Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Christophori Cellarii Compendivm Antiqvitatvm Romanorvm

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

Visual Library

Landesbibliothek Oldenburg

Geschicht. VIII.
A 3.
1120

Landesbibliothek Oldenburg

CHRISTOPHORI CELLARII COMPENDIVM ANTIQVITATVM ROMANARVM.

NVNC
EX MANVSCRIPTO LIBRO
INTEGRVM EDITVM
ET
ADNOTATIONIBVS
ILLVSTRATVM
A
M. IO. ERN. IMMAN. WALCHIO.

EDITIO TERTIA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI.
MDCCLXXIV.

Landesbibliothek Oldenburg

Ge

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

Landesbibliothek Oldenburg

LECTORI BENEVOLO.

S. P. D.

M. IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS.

INTER breuiores antiquitatum Romanarum commentarios ille locum adhuc tenuit, qui CELLARII, meritorum de politioribus litteris laude ac fama maxime florentis, nomen præ se fert, ac nunc noua forma rationeque adornatus in lucem producitur; nec mediocrem eorum, qui harum rerum amatores sunt ac de illis recte sentiendi habent facultatem, sibi conciliauit fauorem.

PRÆFATIO.

Primam lucem liber hic adſpexit, poſtquam celeberrimus illius auctor e vita abierat, anno poſt natum ſeruatorem MDCCX. ac quamuis in iſto deeſſent, quorum ſcientia ne tirones quidem carere poſſunt, præſertim expoſitio *de ſacris Romanorum*, hancque ob cauſſam multi ſuſpicarentur, partes quasdam opuſculi huius interiiſſe, aut id ab auctore ſuo inchoatum quidem, minus autem abſolutum eſſe, tantum tamen abfuit, vt illud fauore legentium careret, vt multis ſe commendaret, hique firma ſtatutaque ſententia ſibi perſuaderent, ab hoc in primis duce viam ad antiquitatum harum notitiam apte atque adcommodate monſtrari poſſe. Id tantum optarunt, vt, ſi fieri poſſet, prætermiſſa reſtituerentur, atque ita liber ipſe pleniorem ſuam ac iuſtam formam reciperet. Cui voluntati ſatisfecit vir ad cæleſtis gaudii domicilium haud ita pridem translatus & ob merita ſua in bonas litteras poſteritati maxime commendatus, HIERONYMVS FREYERVS, atque opuſculo huic augendo & ornando ſubuenit. Qualem ad id operam adhibuerit, ipſe in præfatione enarrat, ac his vtitur verbis:

In-

Interim vt iactura illa, quam hoc modo fecerunt traditi in noſtram diſciplinam iuuenes, ſi non ex toto, quod promittere temerarium foret, tamen ex parte quadam et pro virili reſtitueretur, libellum integrum cum cura pertractaui: quæ ſumme neceſſaria deeſſe videbantur, cum ex publicis doctoris huius prælectionibus, quibus olim auditor ipſe interfueram, tum aliunde ſuppleui, adſerta teſtimoniis vndique conquiſitis comprobaui, ac tandem res omnes eo ordine atque ita digeſſi ac diſtribui, vt ſuo quæque loco et facile adeo poſſint inueniri. Editio hæc anno MDCCXV prodiit ac tantam gratiam apud antiquitatum Romanarum cultores ſibi comparauit, vt non ſolum eam ſex aliæ ſequutæ ſint, ſed etiam vir clariſſimus IO. PETR. ANCHERSENIVS libellum hunc ſub inſcriptione, *Breviarium antiquitatum Romanarum Cellario-Freyerianum*, in publicam emiſerit lucem, ac ſingularem commentationem *de notitia Romæ generali* addiderit, qua de Romæ nominibus, origine, incrementis, magnitudine, & aliis rebus ad vrbem hanc ſpectantibus, exponitur.

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

Nunc ſcriptum hoc iterum nouo habitu adparet. Exhibetur illud ope libri, qui manu auditoris CELLARII adcurate exaratus ac benigniore fortuna ad me delatus fuit, multo auctius, præſertim in ea parte, quæ *de diis ac ſacris antiquioris Romanæ gentis* exponit, ita vt octo & decem capita antea omiſſa, præter hæc autem maiorem teſtimoniorum copiam atque vberiores rerum variarum interpretationes complectatur. Nec eſt, quod diuerſitas librorum manuſcriptorum, diverſæque ex illis natæ editiones, opuſculi huius admirationem tibi moueant, ac materiam præbeant, de fide atque auctoritate illius, tamquam fœtus, quem CELLARII ingenium excluſit, dubitandi. Omnia ſane bene & recte inter ſe cohærent. Laudatus enim CELLARIVS in ſcholis ſuis antiquitates Romanas aliquoties enarrauit, ac diuerſam eas explicandi rationem iniit. Tradidit litteras has nonnullis iuriſprudentiæ cultoribus, eo conſilio, vt ſtudia eorum, quæ ad legum ſcientiam ſpectabant, adiuuaret, ac lucem illis accenderet, hancque ob cauſſam veteres

iure-

iureconsultos, veluti testes, sæpe advocauit, de sacris Romanorum tacuit, atque in variis argumentis explanandis sectatus est breuitatem. Aliis temporibus ad eumdem laborem antiquitatis huius illustrandæ se contulit, ac pro conditione auditorum vberiorem commentandi rationem adhibuit.

Nec solum tamen librum, prout istum manuscriptum accepi, sed simul etiam *adnotationes*, quibus illum illustraui, iuris publici nunc facio. Modum istas conficiendi eum mihi præscripsi, vt breuiter dicta fusius ediſſererem ac probarem, prætermissa, quum necessaria esse viderentur, iusto ordine adderem, ac notitiam recentiorum scriptorum, qui in singulis argumentis percensendis suam collocarunt operam, suppeditarem, vt maioris scientiæ cupidi habeant, quo se vertere possint. Præter hæc *quinque adpendices* accesserunt, quarum *primam* de *asse Romanorum* & *secundam* de *nominibus Romanorum* iam addidit FREYERVS, *tertiam* de *conuiuiis Romanorum* EX IVSTO LIPSIO sumsi & in libellum hunc transtuli, *quartam*

de *vita domestica Romanorum*, ac *quintam* de *ædificiis et supellectili eorum* ipse conscripsi, quæ omnia argumenta auctor transierat. Tu autem, LECTOR BENEVOLE, mihi ac studiis meis faueas, &, si quid erratum aut minus adcurate traditum est, benignius interpreteris, oro.

Ienæ, anno christiano
MDCCXLVII.

CON-

CONSPECTVS GENERALIS
COMPENDII
ANTIQVITATVM
ROMANARVM.

LIBER I.
DE SACRIS ROMANORVM.

SECTIO I. DE DIIS Pag. 1
CAP. I. de ordine & diuisione deorum 1
II. de Ioue 11
III. de Iunone 16
IV. de Minerua 20
V. de Vesta 23
VI. de Cerere 26
VII. de Marte 29
VIII. de Bellona 31
IX. de Vulcano 32
X. de Neptuno 34
XI. de Diana 35
XII. de Apolline 37
XIII. de Mercurio 40
XIV. de Venere 41
XV. de Iano 43
XVI. de Baccho 46
XVII. de Castore & Polluce 47
XVIII. de Bona Dea 48
XIX. de Hercule 49

SECTIO II. DE COLLEGIIS SACRIS 54
CAP. I. de collegiis sacris ac sacerdotiis generatim 54
II. de collegio pontificum 57
III. de pontifice maximo 60
IV. de collegio augurum 65
V. de decemuiris & quindecimuiris sacris faciundis 69

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. VI. de flaminibus Pag. 73
VII. de septemuiris epulonum 76
VIII. de saliis 78
IX. de lupercis 82
X. de arualibus fratribus 83
XI. de fecialibus 85
XII. de rege sacrificulo 87
XIII. de vestalibus virginibus 89

SECTIO III. DE FESTIS DIEBVS SEV FERIIS 101
CAP. I. de diuisione dierum festorum 101
II. de feriis generalibus, & quidem de lectisternio 103
III. de nouemdiali sacro 106
IV. de supplicationibus 107
V. de ludis placando numini factis 109
VI. de festis specialioribus, & quidem de feriis latinis 114
VII. de saturnalibus 116
VIII. de liberalibus 120
IX. de quinquatribus 121
X. de consualibus 123
XI. de cerealibus 123
XII. de calendis 124
XIII. de vulcanalibus 126
XIV. de parilibus 127
XV. de faunalibus 129
XVI. de lupercalibus 129
XVII. de terminalibus 129
XVIII. de lauatione matris deum 130
XIX. de floralibus 132
XX. de bonæ deæ sacro 134
XXI. de vere sacro 134
XXII. de ludis secularibus 135

SECTIO IV. DE RITIBVS AC CEREMONIIS SACRIS 140
CAP. I. de albis & nigris victimis 140
II. de litatione 146

CAP. III.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. III. de coronis in sacrificiis Pag. 147
IV. de vittatis, sacrificantibus & victimis 150
V. de ara cespititia 151
VI. de victima fugiente 151
VII. de ritu verrendi crinibus fana 152
VIII. de inferiarum ritu 155

LIBER II.

DE MAGISTRATIBVS ROMANORVM.

SECTIO I. DE MAGISTRATIBVS ANTIQVIS 157
CAP. I. de regibus 157
II. de interrege & interregno 164
III. de consulibus 165
IV. de consulibus ordinariis & suffectis 172
V. de ritibus consules constituendi 174
VI. de officio consulis 177
VII. de lictore consulari 177
VIII. de tribunis militum consulari potestate 178
IX. de decemuiris 178
X. de prætoribus 179
XI. de ædilibus 186
XII. de tribunis plebis 189
XIII. de tribunis ærarii 195
XIV. de quæstoribus 196
XV. de censoribus 200
XVI. de dictatoribus 207
XVII. de magistro equitum 212
SECTIO II. DE MAGISTRATIBVS NOVIS SVB CÆSARIBVS 217
CAP. I. de nouis magistratibus generatim 217
II. de præfecto prætorio 218
III. de præfecto vrbi 220
IV. de præfectura ærarii militaris 221
V. de præfecto ærario 222
VI. de differentia ærarii & fisci 224
VII. de curatoribus viarum 225
VIII. de curatore aluei tiberini 225

CAP. IX.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. IX. de legato consulari siue principis Pag. 226
X. de procuratoribus cæsaris 229
XI. de quæstoribus principis siue cæsaris 230
XII. de præfecto classis vtriusque 231
SECTIO III. DE MAGISTRATIBVS POSTERIORIS ÆVI 233

LIBER III.
DE MILITIA ROMANA.

SECTIO I. DE ORDINIBVS MILITVM 239
CAP. I. de militibus Romanorum 239
II. de sacramento militari 244
III. de legionibus 246
IV. de diuisione legionis respectu armorum & ætatum 251
SECTIO II. DE ORDINIBVS DVCVM 253
CAP. I. de ducibus 253
II. de imperatoribus 255
III. de legatis ducum seu præsidum 257
IV. de tribunis militum 258
V. de centurione 261
VI. de ductoribus equitum 263
VII. de sociorum militia 264
SECTIO III. DE ARMIS 264
CAP. I. de armis Romanorum generatim 264
II. de parma, scuto & galea 266
III. de ocrea 267
IV. de gladio 269
V. de pilo 270
VI. de lorica 271
VII. de crista 273
SECTIO IV. DE SIGNIS MILITARIBVS 273
CAP. I. de aquila 273
II. de vexillo 274
III. de labaro 275
IV. de classico & tuba 275
SECTIO V. DE MACHINIS BELLICIS 276
CAP. I. de ariete 276

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. II. de balliſta Pag. 280
III. de helepoli 282
IV. de turre rotata 282
V. de muſculo 283
VI. de teſtudine 283
VII. de corona 284
SECTIO VI. DE MILITIA NAVALI 284
CAP. I. de roſtris 284
II. de nauibus 285
SECTIO VII. DE PRÆMIIS MILITIÆ ROMANÆ 286
CAP. I. de coronis 286
II. de triumpho 288
III. de ouatione 292

LIBER IV.

DE ANTIQVO IVRE POPVLI ROMANI.

SECTIO I. DE IVRE CIVIVM ROMANORVM 295
CAP. I. de ortu & progreſſu ciuitatis Romanæ 295
II. de priuilegiis ciuis Romani 299
III. de ſtatu proletariorum & capite cenſorum 305
SECTIO II. DE IVRE QVIRITIVM, LATII ET ITALICO 305
CAP. I. de differentia iuris Quiritium & Latii 305
II. de iure Latii 306
III. de iure italico 308
SECTIO III. DE IVRE MVNICIPIORVM, COLONIAR. ET PRÆFECTVRARVM 309
CAP. I. de iure municipiorum 309
II. de iure coloniarum 311
III. de iure præfecturarum 315
IV. de iure trium liberorum 315
SECTIO IV. DE COMMVNICATIONE CIVITATIS IN PROVINCIIS 316
SECTIO V. DE IVRE PROVINCIARVM 318
CAP. I. de adpellatione prouinciarum 318

CAP. II.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. II. de administratione prouinciarum Pag. 320
III. de diuisione prouinciarum 321

LIBER V.

DE IVDICIIS, LEGIBVS ET COMITIIS ROMANORVM.

SECTIO I. DE IVDICIIS 328
CAP. I. de iudicibus 328
II. de loco iudiciorum 335
III. de accusatore & reo 338
SECTIO II. DE LEGIBVS ROMANORVM 354
CAP. I. de legibus generatim 354
II. de senatusconsulto 358
III. de plebiscito & populiscito 361
IV. de rogationibus 362
V. de historia legum 363
VI. de edicto prætoris 368
SECTIO III. DE COMITIIS 369
CAP. I. de distributione populi, comitia habentis 369
II. de variis comitiorum generibus 376
III. de loco comitiorum 381
SECTIO IV. DE PETITIONE HONORVM 383

LIBER VI.

DE ORDINIBVS ROMANORVM, AC DIVERSO EORVM STATV.

SECTIO I. DE ROMANORVM ORDINIBVS 385
CAP. I. de ordine senatorio 385
II. de ordine equestri 397
III. de ordine plebeio 404
SECTIO II. DE STATV HOMINVM DIVERSO APVD ROMANOS 406
CAP. I. de statu liberorum 406
II. de statu seruorum 412

LIBER

LIBER VII.

DE ROMA LITTERATA.

SECTIO I. DE ROMANORVM STVDIIS ANTE SVLLAM Pag. 419
SECTIO II. DE ROMANORVM STVDIIS POST SVLLANA TEMPORA 431
SECTIO III. DE STVDIIS PROVINCIALIVM 457

LIBER VIII.

DE ROMA LVDIBVNDA.

SECTIO I. DE LVDIS GENERATIM 463
CAP. I. de cauſſa ludorum 463
II. de diuerſitate ludorum 464
SECTIO II. DE LVDIS SPECIALIBVS 465
CAP. I. de ludis circenſibus 465
II. de ludis ſcenicis 475
III. de venationibus 486
IV. de naumachia 487
V. de ludis gladiatoriis 487

LIBER IX.

DE VESTIMENTIS ROMANORVM.

SECTIO I. DE VESTIBVS VIRORVM, IN VRBE VSITATIS 499
CAP. I. de toga 499
II. de materia togæ 502
III. de togarum differentia 504
IV. de prætexta puerili 507
V. de trabea 507
VI. de abolla 508
VII. de læna 508
VIII. de ſyntheſi 509
IX. de lacerna 510
X. de pænula 512
XI. de tunica 513
SECTIO II. DE VESTIBVS MILITARIBVS 515
SECTIO III. DE VESTIBVS MVLIERVM 518

LIBER

LIBER X.

DE FVNERIBVS ROMANORVM.

SECTIO I. DE EXSEQVIIS Pag. 525
II. DE COMBVSTIONE 531
III. DE SEPVLTVRA 536
IV. DE RITIBVS QVIBVSDAM POST SEPVLTVRAM 539
V. DE CONSECRATIONE PRINCIPVM 540

LIBER XI.

DE INSCRIPTIONIBVS ET RE NVMMARIA ROMANORVM.

SECTIO I. DE INSCRIPTIONIBVS 545
II. DE NVMMIS 550
CAP. I. de variis nummorum generibus 550
II. de cognitionis nummariæ vſu 561
III. de rei nummariæ ſcriptoribus 563

ADPENDIX PRIMA.

DE ASSE ROMANORVM. In ſex tabulis 570

ADPENDIX SECVNDA.

DE NOMINIBVS ROMANORVM. Ex Carolo Sigonio & Onuphrio Panuinio 574

ADPENDIX TERTIA.

DE RITV CONVIVIORVM APVD ROMANOS. Ex Iuſto Lipſio 578

ADPENDIX QVARTA.

DE NVPTIIS, SVSCEPTIONE, EDVCATIONE LIBERORVM, ATQVE ADOPTIONIBVS 584

ADPENDIX QVINTA.

DE ÆDIFICIIS AC SVPELLECTILI VETERVM ROMANORVM 595

LIB. I.
DE SACRIS ROMANORVM a)

SECT. I.
DE DIIS.

CAP. I.
DE ORDINE ET DIVISIONE DEORVM.

§. I.

In sacrorum gentilium descriptione primum de ipsis diis illorum, eorumque ordine ac diuisione, aliquid prænotandum est. Omnes dii, saltem plurimi, fama meritorum in cælum fuerunt opinione hominum sublati. Vnde CICERO *lib. I. Tuscul.*

a) De religione ac sacris veterum Romanorum commentati sunt: MICH. ANGEL. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE, cuius *museum Romanum* merito sibi hic vindicat locum: GVILIELM. CHOVLIVS libro *de religione Romanorum*, qui sæpe variisque linguis in lucem prodiit: BVRCK. GOTTH. STRVVIVS *in antiquitatum Rom. syntagmate*; siue *de sacrorum ceremoniis*. His addi possunt,

Tuscul. quæst. cap. 12. *totum prope cælum*, inquit, *nonne humano genere completum est?* id quod alii tantum ad minores deos, ex heroibus factos, referebant, vt idem ex antiqua lege adfert TVLLIVS *lib. II. de legib. cap.* 3. Ipse autem non du-

sunt, qui, quum generatim de religione gentium superstitiosarum scripserunt, simul sacris veterum Romanorum lucem adtulerunt: GERARD. videlicet IO. VOSSIVS, *de theologia gentili;* siue *de origine ac progressu idololatriæ*: DAN. CLASENIVS *in theologia gentili*, quæ non solum separatim emissa; sed etiam *in tom. VII. thes. ant. Græcar. Gronouii p.* I. translata fuit: IOS. LAVRENTIVS *in variis sacris gentilium, in quibus de eorum religione, diis, templis*, cet. *agitur*, quæ itidem *in memorato thesauri antiquitatum Græcarum tomo*, p. 133. exstant: EDVARDVS baro DE CHERBVRY, cuius liber *de religione gentilium errorumque apud eos caussis* ab EZECH. SPANHEMIO animaduersionibus illustratus est, quæ *vol. IV. part. I.* p. 138. *miscellaneorum Lipsiensium nouorum* inueniuntur: ANDR. SCHOTTVS *tractat. de prisca religione & diis gentium*: BALTH. BEBELIVS *dissert. IV. de theologia gentili, ex antiquis nummis illustrata*: ANT. BANNIERIVS *in la mythologie & les fables expliquées par l'histoire*: STEPH. FOVRMONTIVS *in reflexions critiques sur les histoires des anciens peuples*: BERNH. DE MONTFAVCON *in antiquité expliquée.* ROB. MILLARSII, MICH. MORGVESII, THOM. TENNISONII aliorumque non mentionem facio, in quibus percensendis operam suam collocarunt: IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar. cap. VIII.* p. 232. BVRCK. GOTTH. STRVVIVS *bibliotheca antiquitatum generali*, eius *syntagmati antiquit. Rom.* præmissa & ven. SIGM. IAC. BAVMGARTENIVS *not. ad historiam vniuersalem, tom. III.* p. 505. Veteres generis huius scriptores profanos & sacros itidem tacitus prætereo.

dubitat, etiam maiorum gentium deos a nobis, id est, hominibus, profectos in cælum esse, vti demonstrauit *lib. I. Tuscul. quæst. cap.* 13. Quamuis autem sapientiores vanitatem deorum agnoscerent, riderentque multitudinem, vt de SOCRATE, PLATONE, CICERONE constat; b) tamen, quod abusus ita inualuerit, in præsenti nobis omnium, etiam vulgi opinione creditorum, numinum demonstranda est ratio atque conditio, vt caligo illorum temporum & miseranda hominum cæcitas magis magisque adpareat.

§. II.

Diuisio deorum c) erat in *maiorum gentium &*

b) Idem ex aliorum testimoniis patet. MAXIMVS *Tyrius* dicit: *in eo leges vbique terrarum atque opiniones conuenire videbis, deum esse vnum regem omnium & patrem: huic multos additos esse deos alios, qui supremi illius filii sint & quasi in imperio collegæ. In eo græcus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto, diss. I.* p. 7. ed. DAVISII. Reliqua veterum hac de re effata exhibent: PETR. DAN. HVETIVS *quæstion. Alnetan. lib. II. cap.* 2. p. 80. seq. IO. DOVGTÆVS *analect. nou. test.* p. 88. THOM. GALEVS *not. ad Iamblichum de myster. Aegypt.* p. 199. & 266. IO. ALB. FABRICIVS *in delectu argumentorum & syllabo scriptor. de verit. relig. christ. p.* 312. & *bibliograph. antiqu. lib. VIII. cap.* 5. *p.* 232. RADVLPHVS CVDWORTHVS *system. intellectual. cap. IV. p.* 517. ed. cel. IO. LAVR. MOSHEMII: IOS. AVERRANIVS *in lezzioni toscane num. IV.* quod opus post mortem auctoris cura FRANC. ANTONII GORII Florentiæ prodiit.

c) Præter antiquiores, HESIODVM, APOLLODORVM, cum aliis *scriptoribus historiæ poeticæ*, a THOM. GALEO,

minorum deos. Quam distinctionem ipse CICERO dicto ex *Tusculan. quæst.* loco a patricio Romanorum ordine ad cælum & deos adplicuit.

Maiorum gentium dii, qui & *magni* vocantur, distinguebantur in *consentes* & *selectos*, vt AVGVSTINVS *lib. V. de ciuit. Dei cap* 13. exposuit. *Consentes*, qui ita etiam in marmoribus adpellantur, apud GRVTERVM *inscript.* p. XIII. definiuntur, quod ii fuerint, quos Iupiter ad concilium d) adhi-

LEO, Paris. MDLXXV. coniunctim editis: DIODORVM *Siculum*, HYGINVM, aliosque *mythographos latinos*, a THOM. MVNCKERO Amstelod. MDCLXXXI. in lucem emissos; præcipue vero VARRONEM & CICERONEM, de diis paganorum hominum scripserunt: LILIVS GREG. GYRALDVS *syntagm. de historia deorum:* ALEXANDER AB ALEXANDRO *genial. dieb.* a TIRAQVELLO illustratis: VINCENTIVS CHARTARIVS *in imaginibus deorum*: ABRAAM. ORTELIVS *deorum dearumque capitib.* PETRVS MVSSARDVS *histor. deorum:* FRANC. POMEVS, cuius *pantheon mythicum* satis notum est. Præter EILHARDI LVBINI *facem poeticam* addi possunt: SAM. PITISCVS *lexic. antiquit. Rom.* BERNARD. MONTFAVCONIVS, iam laudato opere egregio, *antiquité expliquée* inscripto, & vterque *Græuianus* & *Gronouianus thesaurus.* Ex nummis fabulosæ de diis historiæ lucem accenderunt: PATINVS, VAILLANTIVS, BEGERVS, SPANHEMIVS; ex gemmis vero CHIFFLETIVS, GOLTZIVS, GORLÆVS, BELLORIVS, WILDIVS. De reliquis taceo.

d) Hi duodecim dii *consentes*, id est, *considentes* vel *consentientes* dicti sunt, quia consiliarii Iouis habebantur. Istis numinibus *consessus* deorum constituebatur. Mentionem illius inscriptio apud GRVTERVM *p. II. num.* 11. facit, cui ea addi possunt, quæ hac de re erudite

CLAVD.

hibuerit, numeranturque duodecim. ENNII versiculis, ab APVLEIO de *deo Socratis* conseruatis, ita expressi sunt:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

His maioribus addebantur, quos *selectos* dicebant, octo, vt putatur: Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna.

Minorum gentium dii fuere, quos dixere *indigetes*, e) quod nomen etiam habemus apud LIVIVM *lib. VIII. cap.* 9. TIBVLLVM *lib. II. eleg.* 5. *v.* 46. Quales fuerint, MACROBIVS *lib. I. somn. Scip. cap.* 9. ex HESIODO his versibus, latine translatis, effert:

CLAVD. SALMASIVS *not. in Spartian. vit. Adr. cap. XIV. tom. I. script. hist. August.* p. 138. ex priscis lapidibus aliisque veterum testimoniis obseruauit. Ob eundem consessum etiam dii vocantur πάρεδροι, de quibus, præter laudatum SALMASIVM, EZ. SPANHEMIVS *not. ad Callim. hymn. in Iou.* v. 67. p. 28. STEPH. LE MOYNE *not. ad var. sacr.* p. 382. GISB. CVPERVS *lib. IV. obs.* 3. & *Harpocrat.* p. 149. & 152. inprimis vero GEORG. D'ARNAVD de *diis* παρέδροις videndi sunt.

e) Hi *indigetes* dii, qui & *semidei* vocantur, a *semonibus*, siue semihominibus, qui illis inferiores sunt, & ab OVIDIO *ibid.* v. 81. *plebs superum* vocantur, sunt distinguendi. Ab his *nouensiles* differebant, qui ex peregrinis diis recepti & de nouo magistratus auctoritate consecrati erant: conf. PETR. FABRVM *lib. III. semestr. cap.* I. p. 2. & GERH. IO. VOSSIVM *etymolog. tom.* I. *operum* pag. 346.

Landesbibliothek Oldenburg

indigetes diui fato summi Iouis hi sunt
quondam homines, modo cum superis humana tuentes
largi ac munifici, ius legum nunc quoque nacti.

Homines ergo fuerunt, propter beneficiorum memoriam pro diis culti a posteris, vt: Hercules, deus Fidius, Castor, Pollux, Aesculapius, Quirinus, siue Romulus, Priapus, Vertumnus & virtutum ac potentiarum nomina, Fortunæ, Salutis, Honoris, Pietatis, Libertatis, Concordiæ, Mentis, Pudicitiæ, Fidei, Victoriæ, Iuuentutis: nam & his aras & templa exstruxerunt.

In minorum deorum censu erant etiam dii *rustici* & *plebeii*, quorum præcipuus Pan, siue Syluanus; aut, si distincti hi fuerunt, cognati tamen & eiusdem munéris; item: Pales, dea pastorum, Flora, Pomona, & qui supra indigetibus adnumeratus est, Priapus, porcorum custos, Robigus & Epona, de qua MINVCIVS *Felix cap. XXVIII.* & nos ad illum. His ministri iungebantur Fauni, Satyri, Sileni. Quo pertinent etiam nymphæ varii generis, montium, siluarum, agrorum, quæ singulari nomine Dryades, Hamadryades, Naiades aliisque vocabulis appellantur. In plebeiis diis erant etiam *domestici*, Lares, Penates, Forculus, Cardia, ceteri; item: Cloacina & alia monstrosa nomina. Nuptiarum præter maiores Iunonem, Venerem, Hymenæus proprius erat. Fuit etiam Terminus, quem rusticis diis, vel regionum adnumeres. f) §. III.

f) Secundum vetus ius pontificium, cuius CICERO *lib. II.*

de

§. III.

Præterea aliæ classes deorum erant minorum; quibus tamen maior aliquis, vel plures ex iis præ-

de legibus cap. 8. meminit, tria constituuntur genera deorum. I. *Dii maiorum gentium*, qui omnibus erant communes & pro paganorum hominum opinione res humanas, immo totum vniuersum, administrabant, postquam sese ex terra, quam ipsos primum incoluisse isti adfirmabant, in Olympum ob hominum ingraue-scentia scelera contulerant: conferantur: IO. MARSHAMVS *canon. chronic. ad sec. IV.* p. 53. PETR. DAN. HVETIVS *concord. rationis & fidei, lib. II. cap.* 12. p. 138. & PETR. BVRMANNVS *Ion. fulger. cap. I.* p. 226. Hi maiorum gentium dii in *consentes* & *selectos* diuisi sunt. Ad *consentes* relati fuere Iuno, Apollo, Diana, Mercurius, Minerua, Mars, Venus, Neptunus, Ceres, Vulcanus, Vesta; ad deos autem *selectos*: Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Luna, Orcus, Bacchus, Bona dea, quæ etiam Fauna, Fatua & Vesta prisca est adpellata. II. *Minorum gentium dii*, siue ea numina, quæ ob merita cælestibus adnumerata sunt, itidem varii erant ordinis. Alii enim dii vocati sunt *indigetes* ac *semidei*, vt Hercules, Deus Fidius, Castor & Pollux, Aesculapius, Quirinus: alii *semonum*, quasi *semihominum*, nomen habuerunt, Vertumnus videlicet, Priapus, cet. Alii *nouensiles*, de quibus supra dixi, adpellati sunt. Duobus his generibus numinum accesserunt: III. *virtutes diuinæ*, vt Fortuna, Pietas, Iustitia, Salus, Victoria, Pax, Felicitas, Securitas, Spes, Prouidentia, Concordia, Fides, aliaque numina.

His addita est *plebs deorum*, quæ vero inter se erat diuersa. In hunc censum cadebant *dii rustici*, tam maiores, vt Pan, Syluanus, Terminus, Bonus euentus, Robigus; quam minores, vt dea Rusina, Collatina, Vallonia, Tutilina, cet. II. *dii, qui parturientibus*

sidebant. Tales fuere *marini* dii & *aquatiles*, quorum præsides Neptunus, Oceanus, Thetys, quibus suberant tamquam ministri Tritones; aut Triton & Nereus ac Nereides nymphæ, dii fluminum & fontium, vt Tiberinus pater erat: etiam nymphæ lacuum, vt Egeria. g)

Dii

præerant, vt deus Conseuius, dea Mena, Iuno Fluonia, Sentinus, Pilumnus, aliaque horrenda nomina. III. *matrimonii præsides*, quo Hymenæus, Domiducus, Virginensis, Subigus, Viriplaca, aliique pertinent. IV. *dii, variis hominum actionibus præfecti*, Volupia videlicet, Iuuentus, Angerona, Cloacina, Feronia, Liburna, Adeona, Abeona. V. *numina aquatilia*, ad quorum classem Tritones ac nymphæ fluviatiles pertinent. VI. *auerrunci dii*, vt Auerruncus, Febris, Pauor, Pallor, Tempestates. VII. Singularem ordinem *adiuncti deorum* constituunt, vt Bellona, Nemesis, Cupido, Gratiæ, Salacia, Cabiri, Lares, Penates, Lemures, Furiæ, Parcæ, Nymphæ, cet.

Ad nullam certam classem *dii peregrini* referri possunt, vt Isis, Serapis, qui & Osiris dictus est, Anubis, Apis, Harpocrates, Canopus fuerunt. Hæc omnia, quæ breuissimis dixi, pluribus illustrant præter supra memoratos GYRALDVM, CAVSSEVM & VOSSIVM, BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap. I.* p. 63. seq. & SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom.* De ceteris numina diuidendi rationibus THOM. REINESIVS *inscript.* p. 3. seq. consuli potest.

g) Nymphæ Romanorum diuersi fuere generis. Aliæ enim montibus: aliæ fontibus, campis, mari aliisque locis præerant. Fuerunt nihil aliud, quam feminæ antiquissimis temporibus celebriores. Sic *Egeria* Numæ familiaris: *Acca Laurentia* Romuli nutrix: *Anna Perenna* Didonis soror: *Carmenta* Euandri mater: *Flora* notissimum scortum fuit. Sæpe Nymphæ a locis,

Dii *inferi*, quorum præses Pluto, siue Orcus, qui & Iouis Stygii & Ditis patris nomen habet, vxoremque Proserpinam, Cereris filiam. Pertinent huc generatim omnes dii manes, quorum minister erat Charon portitor: ministræ Furiæ; seu Eumenides; siue Diræ, quæ nominantur: Alecto, Megæra, Tisiphone. Quo & Parcæ pertinent, Noctis filiæ: Clotho, Lachesis, Atropos, quia circa funera versantur: licet alii superis eas adnumerent. Iudices quoque inferorum huc trahendi sunt; Minos, Aeacus, Iouis filius, Rhadamantus.

§. IV.

Dii *auerrunci* h) colebantur, ut malum auerterent, nec nocerent: quales fuere: ipse Auerruncus, Fascinus, vnde: *præfiscine dixerim*, Febris, Pallor, Pauor, Robigus & similes.

cis, vbi commorari credebantur, sunt adpellatæ, Corycides videlicet, Dodonides, Ismenides, Lelegeides, cet. In antiquis monimentis dormientes amphorisque nitentes reperiuntur: conf. LVC. HOLSTENIVM *comm. in vet. pictur. nymphæum referentem tom. IV. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 1800. & GEORG. FABRICIVM *descript. vrb. Rom.* p. 119.

h) *Auerrunci* dii ii fuerunt, qui mala ab hominibus auerterent. Quæ opinio ex antiquissima veterum sententia de duobus principiis, quorum alterum bonum, alterum vero malum esset, fluxit, vti de hac re plura obseruant: PETR. BAELIVS *lexic. histor. & crit. tom. IV.* p. 868. ed. germ. IAC. THOMASIVS de *stoica mundi exustione*, p. 29. & IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiquar. cap. VIII.* p. 238. De ipsis auerruncis diis OLAVS BORRICHIVS *ant. vrb. Rom. facie*, *cap. X.* §. 8. & MARTIN. LIPENIVS *de strenis*, *cap. I.* §. 6. agunt.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V.

Præter hos erant dii *peregrini*, ex peregrinis gentibus aduecti Romam, vt: Isis, Serapis, siue Osiris, Cybele, siue magna mater, Mithra, Persarum deus: conf. CVRTIVS *lib. IV. cap.* 13. & alii. Tandem aliquid de diis *litterarum ac artium* dicendum erit: Apolline, Minerua, siue Pallade, Musis, siue Camenis, eorumque sedibus, fluminibus, fontibus. Hæc sufficiant de diis eorumque in classes distributione.

§. VI.

Sic creditum a vulgo paganorum fuit. Sapientiores ethnici sub fabulis physicam interpretationem quærebant; nec iis tantum contenti fuere, quas in planetarum nominibus etiam nunc expositiones retinemus; aut etiam in aliis astris, non errantibus, vt Herculis; sed subtiliori etiam interpretationi intenti fuerunt, vt ad elementa quoque decurrerent, quamuis incerti semper & instabiles, vt solet in falsis rebus & erroribus.

§. VII.

Eiusmodi interpretationes physicas bene multas habet MACROBIVS, quem alibi adlegabimus. Sufficiat nobis, ex TERTVLLIANO, antiquissimo christianorum scriptore, aliquid in hanc rem adnotasse. Hic *lib. I. aduers. Marcion. cap.* 13. *pag.* 439. *indignas substantias*, inquit, *ipsi illi sapientiæ professores deos pronuntiauerunt, vt Thales aquam, vt Heraclitus ignem, vt Anaximenes aërem, vt Anaximander vniuersa cælestia, ut Strato cælum & terram, vt Zeno aërem & ætherem, vt Plato sidera,*

qua

quæ genus deorum igneum adpellat; & paucis interiectis: *ipsa vulgaris superstitio communis idololatriæ, quum in simulacris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat figurans Iouem in substantiam feruidam, & Iunonem eius in aëriam, secundum sonum Græcorum vocabulorum; item Vestam in ignem, & Camenas in aquam, & magnam matrem in terram seminalia demessam, lacertis aratam, lauacris rigatam. Sic & Osiris, quod semper sepelitur, & in viuido quæritur, & cum gaudio reperitur, reciprocarum frugum & vividorum elementorum & recidiui anni fidem argumentantur: Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ philosophantur.*

Cap. II.

DE IOVE.

§. I.

IVPITER, qui in nummis scribitur *Iuppiter*, ab antiquis etiam in recto casu *Iouis*, a CICERONE exponitur *iuuans pater*. Nam *lib. II. de nat. deor. cap.* 25. *ipse*, inquit, *Iupiter*, id est, *iuuans pater, quem conuersis casibus adpellamus a iuuando Iouem, a poëtis pater diuumque hominumque dicitur.* Homo fuit, Saturni, regis Cretensis, filius, de cuius ortu, educatione, morte & sepulcro MINVCIVS FELIX *cap. XXI. & XXII.* LACTANTIVS *lib. I. diuin. institut. cap.* 11. & de altaribus eius *eodem libro cap.* 21. *sect.* 41. consulantur. Vnde etiam mo-

modo *imberbem* statuerunt veteres, id est, puerum, sive paruum, quem *Veiouem* adpellabant, de quo OVIDIVS *lib. III. fast.* v. 430. GELLIVS *lib. V. cap.* 12. legantur : adde notas nostras ad MINVCIVM FELICEM *p.* 75; modo vocatur *barbatus*, grandines & fulmina iaciens.

§. II.

Epitheta eius & cognomina sunt plurima, ex quibus potiora & frequentius occurrentia hæc sunt:

I. *Optimus maximus.* CICERO *lib. II. de nat. deor. cap.* 25. *Iupiter a maioribus nostris Optimus maximus dicitur : & quidem ante Optimus, id est, beneficentissimus ; quam maximus, quia maius est certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes maximas habere.* Nulli autem deorum, præter Ioui, tribuerunt ethnici hæc coniuncta cognomina.

II. *Seruator, Conseruator*, in marmorum inscriptionibus passim legitur.

III. *Tonans, fulgurans* i) itidem in inscriptionibus, & apud poetas etiam christianos PRVDENTIVM,

i) Iouis *tonantis* fit mentio apud PROPERTIVM *lib. IV. eleg.* I. STATIVM *Theb. lib. VIII.* v. 408. LVCANVM *pharsal. lib. I.* v. 195. GRVTERVM *inscript.* p. XXI. *num.* 6. p. CCXXXII. *num.* 4. p. LXXII. *num.* 5. & in nummo apud LÆVIN. TORRENTIVM *not. in Sueton. vit. Aug. cap. XXIX.* Probe vero Iupiter tonans a Ioue Capitolino, cui pari modo tonitrua & fulgura adsignantur, distinguendus est, quod ex SVETONIO *vit. Aug. cap. XCI.* §. 4. patet : adde PETR. BVRMANNVM *Iou. fulgerat. cap. XIV.* p. 318. & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 219.

Landesbibliothek Oldenburg

VM, SEDVLIVM & similes, qui etiam deum sæpe absolute *tonantem* vocant.

IV. *Stator*, de cuius nominis origine LIVIVS *lib. I. cap.* 12. hæc habet: *at tu pater deum hominumque, hinc saltem arce hostes: deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum sit posteris, tua præsenti ope seruatam vrbem esse, voueo.* k)

V. *Feretrius.* Origo huius nominis habetur apud LIVIVM *lib. I. cap.* 10. Nomen ipsum est a feretro, l) quo arma, quæ dux duci detraxerat, publice a victore gestabantur, vt Ioui suspenderentur, inde dicto FERETRIO, qui etiam templum sub eo nomine habuit. Exempla sunt apud

k) Ab hoc templo Iouis *statoris*, in palatii radice posito, diuersum erat illud, quod a M. Attilio Regulo votum & exstructum fuit, vti LIVIVS *lib. X. cap.* 36. testatur. In nummis Antonini Pii & Gordiani figura humana, a tergo nuda conspicitur, quæ dextra hasta nititur; sinistra vero fulmen tenet cum hac inscriptione: IOVI STATORI. A Græcis scriptoribus, nominatim DIONYSIO *Halicarnasseo*, sæpe ζεὺς ὁρθώσιος vocatur. Conferantur: GVIDO PANCIROLLVS *descript. vrb. Rom. tom. III. thes. ant. Rom.* GRÆVII, p. 339. & SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 363.

l) Eamdem deriuandi rationem & IAC. PERIZONIVS *animadu. hist. cap. VII.* p. 248. amplexus est, quamquam alii Feretrium Iouem a ferendis spoliis vel victimis sic dictum fuisse, credunt. Legantur: IAC. DALECHAMPIVS *not. ad Plin. lib. II. cap.* 53. IO. FREINSHEMIVS *not. ad Flor. lib. I. cap.* 10. §. 6. ONVPHR. PANVINIVS *de triumphis, cap. VIII.* ANTON. PIGHIVS *annal. vrb. Rom.* p. 128. & IVL. CÆS. BVLENGERVS *de triumph. cap. XXXVII.*

Landesbibliothek Oldenburg

apud FLORVM *lib. I. cap. I. §. II. cap. XII. §. 9.* & PROPERTIVM, qui ita canit *lib. IV. eleg. II. v. I.*

nunc Iouis incipiam causſas aperire Feretri.

& *v. vlt.*

hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

VI. *Capitolinus*, m) a Capitolio, vbi templum habebat amplissimum, ita dictus. Origo est apud LIVIVM *lib. I. cap.* 10. vbi de æde Iouis, in Capitolio dedicata, quam mox vocat *inclytum templum.* Hinc CICERO eum *Capitolinum* dixit absolute *orat. pro domo sua cap. penult.* his verbis: *quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominat, precor ac quæso.* n)

VII.

m) Conf. PLINIVM *panegyr. cap. CXIV.* §. 1. Capitolino isti Ioui *optimi maximi* cognomen datum fuit. Eius & sæpe in inscriptionibus fit mentio, vti ex GRVTERO p. XVIII. *num.* 3. p. CCCXXXII. *num.* 3. p. MIX. *num.* 5. cognosci potest.

n) Nomen a celebri illo Capitolino monte, in quo eius templum constitutum fuit, accèpit, de cuius fatis multa TACITVS *lib. III. hist. cap.* 72. tradidit. Habebat hoc templum cellam, præ reliquis sacram, quæ nemini profano patebat, & in quo duæ aureæ coronæ, quarum alteram Galli, alteram vero Carthaginienses *Ioui optimo maximo* consecrauerant, custodiebantur. In eodem templo & Iunonis sacellum fuit, in quo anseres sacri ali & in arca lapidea libri Sibyllini conseruari solebant. De Iouis Capitolini ornamentis, fulmine videlicet aureo, MINVCIVS FELIX *Octau.* p. 218. ed. GRONOVII, & LIVIVS *lib. XXXII. cap. I.* de barba aurea PERSIVS *cap. XXI. sat. II.* v. 58. & SVETONIVS *Calig. cap. LII.* §. 2. & de sceptro aureo OVI-

DIVS

VII. *Imperator.* Diximus de eo ad PLINII *panegyricum cap. V. sect.* 4. Iouem & *Imperatoris* titulo in Capitolio cultum fuisse, vnde omen Traiano sumebatur, quum templum Iouis ingrederetur & forte populus *imperator*, *imperator* clamaret, Iouem precans, ipsum etiam Traianum imperatorem futurum esse, vti statim etiam factus est. LIVIVS *lib. VI. cap.* 29. *Quintius triumphans signum Prænestе deuectum Iouis imperatoris in Capitolium tulit.*

VIII. *Latiaris*; siue *Latialis.* CICERO *orat. pro Milone, cap. XXXI. tuque*, inquit, *ex tuo edito monte Latiaris, sancte Iupiter, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti.* Hic colebatur latinis feriis in monte Albano, de quibus infra in festis. Vide interim, quæ ad *orat.* illam notauimus. Adde LACTANTIVM *diuinar. instit. lib. I. cap.* 22. Hæc præcipua sunt cognomina. o) Alia, a locis variis desumta, vbi colebatur, in *indice Lactantiano* vide.

CAP.

DIVS *fast. lib. V.* v. 45. videndi sunt: adde IAC. OISELIVM & IAC. GRONOVIVM *not. ad memoratum Minucii Felicis locum* p. 219. IVST. RYCQVIVM de *Capitol. cap. XIX.* & SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 359.

o) Vocatus etiam est *anxurus*, teste VIRGILIO *Aeneid. lib. VII.* v. 799. *conseruator* in inscriptionibus apud GRVTERVM p. XIX. *num.* 1. XXII. 13. & in nummis Domitiani & Diocletiani: *Ammon*, cui arietis cornua, a quibus & *cornigeri* nomen trahebat, vindicabantur, vti ex MACROBIO *saturn. lib. I. cap.* 21. p. 305. SILIO *Italico lib. IX.* v. 298. p. 467. ed. DRAKENBOR.

Cap. III.

DE IVNONE. p)

§. I.

IVNO, Iouis soror & coniux, aërem physice, vt diximus, videbatur significare. Addimus CICERONIS locum ex *lib. II. de nat. deor. cap.* 26. *aër*,

BORCHII & LVCANO *pharsal. lib. IX.* v. 514. p. 713. ed. OVDENDORPII constat: *custos* in *inscriptionibus* GRVTERI p. XIX. *num.* 6. & 7. & SENECA *lib. II. nat. quæst. cap.* 45. *Elicius* apud OVIDIVM *lib. III. fast.* v. 327. & PLINIVM *lib. II. cap.* 53. de quo & PETR. BVRMANNVS *Iou. fulgerat. cap. IX.* p. 286. videndus est: *Herceus* testibus OVIDIO *ib.* v. 284. & LVCANO *pharsal. lib. IX.* v. 979. *Dolichenus* in inscriptione apud GRVTERVM p. XX. *num.* 4. seq. *inventor* ibidem p. 21. *num.* 8. *hospitalis*, id quod ex CICERONE *lib. III. de fin. cap.* 20. patet, vt multa alia eiusmodi cognomina tacitus prætream, quæ recitarunt LIL. GREG. GYRALDVS *hist. deor. synt. II.* p. 78. seq. IO. ROSINVS *ant. Rom. lib. II. cap.* 5. BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom.* p. 84. 85. & SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 357. seq.

p) Sexum in diuinis numinibus plerique veterum paganorum hominum & nominatim Romani commenti sunt, vbi obseruandum est, vetustissimos eorum vim actiuam & procreandi res facultatem diis, passiuam vero, & vti dicitur, materialem caussam deabus adscripsisse, quumque numina hæc cum ipsa natura rerum confunderent, factum est, vt deos ἀρρενοθήλεις statuerent, siue mares & feminas simul, qui idem in rerum productione efficerent, quod in hominum generatione mas & femina præstare solent, de qua Græcorum Romanorumque opinione GISB. CVPERVS *apotheos. Homeri*, p. 227. seq. IO.

CAROL.

aër, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cælum, Iunonis nomine consecratur, quæ est soror & coniux Iouis, quod & similitudo est aëris & cum eæ summa coniunctio. Effeminarunt autem eum Iunonique tribuerunt, quod nihil eo est mollius.

§. II.

Epitheta ipsi tribuuntur etiam varia, vt:

1) *Regina:* CICERO *pro domo cap. LVII: te, Iuno regina, precor:* q) 2) *Con-*

CAROL. SCHOTTVS *noua explicat. Homeri apotheos.* p. 52. & IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiqu.* p. 235. videndi sunt. Saturno respondent Rhea, Mater deum, Idæa mater: Ioui Iuno, Diana, Minerua: Vulcano Proserpina: Marti Venus: Neptuno Salacia: Quirino Hora. Vti maribus Genii; sic feminis Iunones adtribuuntur. Conferantur: PLAVTVS *mercat. act. IV. scen. I.* v. 24. SENECA *epist.* CX. p. 514. TIBVLLVS *lib.* III. *eleg. vlt.* PLINIVS *lib.* II. *cap.* 7. p. 8. ed. GRONOVII aliique, quo & hæc apud GRVTERVM p. XXV. *num.* II. pertinet inscriptio: IVNONIBVS IVLIÆ ET SEXTILIÆ, vbi Iunones non sunt Sextilia & Iulia; sed earum Iunonibus siue geniis positus est hic lapis: adde IO. GEORG. GRÆVIVM *præf. ad tom. V. thesauri antiquitatum Romanar.* In alia inscriptione apud IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontif. lib. III. cap.* 16. p. 154. ad natalitia festa Augusti & Tiberii cæsarum Genii *thure & vino* inuitantur, quumque ibidem & *bonæ deæ* fit mentio, GVTHERIVS credit, hoc nomine Iunonem, vxoris imperatoris genium, indicari; quod vero non admodum probabile esse videtur.

q) Adde LIVIVM *lib. V. cap.* 21. & 22. *lib. XXXVII. cap.* 37. inscriptiones apud REINESIVM p. 56. 57. & GRVTERVM p. IV. *num.* 7. 8. 12. p. XXIV. *num.* 6. & 7. p. MLXIII. *num.* 4. & IAN. BROVCKHVSIVM *not. in Propert. lib. IV. eleg.* 5. v. 63. & 22.

2) *Conseruatrix*, in multis inscriptionibus: r)

3) *Sospita;* vel, vt in nummis est: *Sispita.* CICERO *pro Milone cap. X.* Lanuuinum eius cultum memorat, cui *flamen prodendus fuerit a Milone dictatore.* Vide, quæ ibi notauimus ex LIVIO *lib. XXI. cap.* 62. & *lib. XXII. cap.* 1. *lib. XXIII. cap.* 31.

4) *Lucina*, quatenus partui credebatur præsidere. Vnde illud TERENTII in *puerperio: Iuno Lucina, fer opem*, & VIRGILII: *Lucinæ experta labores:* s)

5) *Lacinia.* LACTANTIVS *lib. II. cap.* 7. §. 16. Iunonis Laciniæ templum in Brutiis Italiæ memorat,

r) vti patet ex GRVTERO p. XXV. 2. & 4.

s) Iunonem *Lucinam* a luce dictam esse, plerique consentiunt; quam ob caussam vero nomen hoc ista acceperit, de eo inter se discrepant. Quoniam Iuno per ordinem partubus præerat, multi ex eo, quod lucem infantibus daret, eam ita adpellatam esse, sibi persuadent. Videns IOS. LAVRENTIVM *de sponsal. cap. I.* IO. MEVRSIVM de *puerperio cap. I.* GVIDO PANCIROLLVS *vrb. Rom. descript.* p. 362. eam *Luciniam* adpellat; sed falso. Sine dubio Iunonem *Laciniam*, de qua VIRGILIVS *Aeneid. lib. III.* v. 552. & PETR. BELLORIVS *numism. Ephes. tab. III.* legendi sunt, in mente habuit, eamque cum Lucina Iunone confudit. Ad hæc in PLINII testimonio, ad quod prouocat, nec Luciniæ, nec Laciniæ Iunonis facta est mentio. In omnibus enim probatis editionibus illud ita legitur: *quem Alexander Thebarum expugnatione captum in Cyme dicauerat eidem deo:* adde IO. GEORG. GRÆVIVM *præf. ad tom. III thes. ant. Roman.* Plura de Iunone Lucina adferunt: SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 357. & BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. p.* 88.

Landesbibliothek Oldenburg

rat, etiam LIVIVS *lib. XLII. cap.* 3. & VIRGILIVS *lib. III. Aeneid.* v. 552. A loco ita denominata fuit:

6) *Monetæ*, a monendo t) sic Iuno dicta. CICERO *lib. I. de diuinat. cap.* 45: *scriptum a multis est, quum terræ motus factus esset, vt sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Iunonis ex arce extitisse: quocirca Iunonem illam adpellatam Monetam.* LACTANTIVS *lib. I. cap.* 12. §. 11. aliorsum refert, nempe ad Iunonis simulacrum, quod loquutum fingebatur, quum a Veiis Romam transferretur.

§. III.

Sunt adhuc cognomina, a locis, vbi præcipue hæc dea colebatur, petita, cuiusmodi MINVCIVS *Felix cap. XXV.* §. 16. sic collegit: *Iuno nunc Argiua: nunc Samia: nunc sæua dicitur.* VIRGILIVS *lib. I. Aeneid. v.* 5. *seq.* potest esse interpres de epithetis: *Samia* & *sæua.* u)

t) Adde HENR. DODWELLI *prælection. Cambden.* p. 730. In adpellationis huius rationem præcipue inquisivit DAVID. HOFMANNVS *diss. de dea Moneta* §. IV. p. 9. cui iungendi sunt: PETR. SEGNINVS *numismat. sel.* p. 7. & IAC. DE WILDE *gemm. antiqu.* p. 28.

u) Sic etiam *Patulcia* dicta est, vti patet ex REINESII *inscript.* p. 60. quam adpellationem ex eo istam accepisse, cel. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diss. de diis clauigeris* §. XI. p. 25. suspicatur, quod veteres eam partuum & matrimonii præsidem habuerint: adde GVIL. FLEETWOODVM *syll. inscript.* p. 10. & GROSEVM DE BOSE *diss. de Iano veterum* p. 37. & 38. Præter hæc, varia habuit cognomina Iuno, de quibus præsertim videndi sunt: LIL. GREGOR. GYRALDVS *histor. deorum syntagm. III.* p. 113. seq. & IAC. SPONIVS *miscellan. eruditæ antiquitatis* p. 80. sq. Inter

alia

Cap. IV.

DE MINERVA.

§. I.

MINERVA est vis ingenii & prudentiæ. Inde fingitur Iouis cerebro nata sine matre. x) Quidquid ergo ex ingenio & prudentia erat, tribuebant

alia dicta est *februalis*, quoniam mense februario sacra ipsi fiebant. Conferatur: IO. LOMEIERVS *de lustrat. cap. IV.* pag. 24. *Iuga* & *Iugatina* in inscriptione apud GRVTERVM p. XXV. *num.* 3. quoniam coniuges iungebat: *pronuba*, quia nubentibus præerat, teste VIRGILIO *Aeneid. lib. IV.* v. 166. *cinxia* a cingulo, quo sponsa ornata fuit, quam in rem legantur: BARN. BRISSONIVS *de ritu nuptiar. tom. VIII. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 1028. & IO. GOD. VNGERVS *anal. sacr.* p. 25. De Iunone *Argiua* CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plin.* p. 42. de *Feronia* THOM. REINESIVS *inscript.* p. 58. de *Curite* GISB. CVPERVS *observ. lib. II. obs.* 2. & MARC. ZVER. BOXHORNIVS ad *Plutarchi quæst. Rom. LXXXVI.* p. 1050. deque *Caprotina* ARNOBIVS *aduersus gentes lib. III.* p. 118. & MACROBIVS *saturnal. lib. I. cap. II.* euolvendi sunt. De Iunone Cypra, Domiduca, Fluonia, Gabina, Gamelia, Kalendari, Nuptiali, Opigena, Populonia, Samia, Sororia, Vnxia, aliisque variis eius cognominibus nihil commemoro.

x) Quia ex Iouis capite Mineruam eductam esse, fingebant veteres, ea *Capita*, vt nonnulli volunt, dicta est. Patet hoc præcipue ex OVIDII *lib. III. fast.* v. 835. seq. vbi variæ nominis huius caussæ adferuntur. Partus eius exhibetur in patera apud MICH. ANGELVM CAVSSEVM DE LA CHAVSSE *insign. pont. max. tab.* 322. p. 322. cum quo ea conferri possunt, quæ LIL. GREG. GYRALDVS *synt. dear. XI.* p. 339. doctissimi

CAL-

ebant Mineruæ, vt: hominum in ciuitates congregationem, cet.

§. II.

Inde πολιοῦχος cognominata fuit apud PAVSANIAM in *Laced. cap. XVII.* PINDARVM in *olymp. hymn. V. v.* 23. Etiam conseruatio societatum, quia ex ratione & prudentia est, Mineruæ imputabatur, teste CICERONE *pro domo cap. LVII: te Capitoline, teque Iuno regina, et te custos vrbis Minerua, quæ semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborum extitisti, precor ac quæso.*

§. III.

Eadem & *Pallas* dicitur, y) ac præsertim armata fingitur, quia prudentia hominum vrbiumque fortissimum munimentum est: etiam bella; nisi ex ratione & prudentia, numquam feliciter geruntur.

CALLIMACHI ad *hymn. in Pallad.* interpretes & LAVR. BEGERVS *meleagrid.* p. 9. 24. & 25. hac de re obseruarunt. Fabula hæc ex eo orta fuisse videtur, quod Mineruam vim ingenii & prudentiæ deamque sapientiæ esse, statuerunt veteres; has vero mentis virtutes in cerebro sedem suam habere, crediderunt: conf. IAC. DE WILDE *select. numism.* p. 98. Figuram eius varia ratione nobis veteres exhibent, vti ex PAVSANIA *Attic.* p. 22. APVLEIO *metam. lib. X.* p. 346. & VIRGILIO *Aeneid. lib. VIII.* v. 429. patet, quibus antea memoratus DE LA CHAVSSE *simulacr. deor. cap. IX & X.* & IO. NICOLAI de *substrat. vest.* p. 51. adiungendi sunt.

y) De hoc nomine eiusque origine digni sunt, qui legantur: LIL. GREG. GYRALDVS *syntagm. deorum XI.* p. 340. CASP. PEVCERVS de *diuinat.* p. 176. SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 579. & ex priscis SERVIVS *ad Virgil. Aeneid. I.* v. 43.

Landesbibliothek Oldenburg

tur. z) CICERO *lib. III. de nat. deor. cap.* 21, *Iupiter*, ait, *genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt.* Olei etiam inuentionem a) huic tribuebant, vt ex VIRGILIO *lib. I. Georg. v.* 18. patet:

- - - - *oleæque Minerua*
inuentrix.

CAP.

z) Ea de caussa a poetis *armisona* & *armipotens* dicitur, ut apud VIRGILIVM *Aen. Lib. VII. v.* 544.

- - *tum numina sancta precamur*
Palladis armisonæ.

In gemmis etiam Mineruæ armisonæ caput galeatum apud IAC. DE WILDE *antiqu. gemm. illustr.* p. 27. occurrit. Inde & *pugnax* ab OVIDIO *lib. III.* trist. *eleg.* 9. v. 7. & *lib. I. eleg.* 4. v. 76. *bellatrix* vocatur, quo & referri debet, quod Minerua sæpe cum *victoria* coniuncta in antiquis monimentis conspiciatur. Notum etiam est, deam hanc ipsam *victoriæ* nomine a veteribus cultam fuisse, quod satis EVRIPIDES *Ion.* v. 487. & v. 1529. aliique scriptores testantur: conf. IO. MEVRSIVS *lect. Atticis lib. V. cap.* 20. EZ. SPANHEMIVS *de Vesta & prytanibus græcor. tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 693. & GISB. CVPERVS *apotheos. Hom.* p. 171. 172. Quibus addi potest, quod dea hæc inter numina tutelaria ac præsides vrbium locum habuerit; vt pluribus probat NICOL. SCHWEBELIVS *diss.* de *Ioue* πολιούχῳ §. IV. p. 5. seq.

a) Multorum artificiorum inuentrix habebatur hæc dea, teste ISIDORO *lib. XIX. cap.* 20. qui *Mineruam*, inquit, *gentiles primam lanificii vsum monstrasse, hanc etiam telam ordinasse & coloras se lanas perhibent. Oliuæ quoque hanc dicunt inuentricem & fabricæ multarumque artium repertricem. Ideoque illi vulgo opifices supplicant.* Præsertim ipsi tibiarum inuentio adsignata est, cuius rei varia apud veteres exstant testimonia,

Cap. V.

DE VESTA.

§. I.

VESTA non vno modo describitur: vel terra; vel ignis, quod conciliant, quia ignes sub terra sint. CICERO *lib. II. de leg. cap.* 12. *ab ἑστίᾳ*

nia, quæ THOM. BARTHOLINVS *de tibiis lib. I. cap.* 3. p. 17. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de theatro* p. 221. & GISB. CVPERVS *Harpocrat.* p. 142. collegerunt. Inde & Minerua *musica* nominatur a veteribus auctoribus, quam in rem PLINIVS *hist. nat. lib. XXXIV. cap.* 8. & ex recentioribus IVST. LIPSIVS *excursion. in Tacit.* p. 173. 174. ed. Paris. consulendi sunt. Quum & istud numen sapientiæ & artium liberalium præses habitum sit, in scholis, ludis atque gymnasiis maxime est cultum. Quare & statuæ eius, quas *hermathenas* vocabant antiquiores, in bibliothecis atque academiis ponebantur, cuius rei exemplum apud CICERONEM ad *Attic. lib. I. ep.* 3. habemus: conf. IAC. RÆVARDVS *coniect. lib. I. cap.* 10. p. 18. In eiusmodi Hermathenis Mercurius & Minerua coniungebantur, ad significandum, doctrinam, cui Minerua præerat, nihil sine eloquentia, cuius Mercurius habebatur præses, esse; vide IAC. SPONIVM *misc. eruditæ antiquitatis sect. I. art.* 4. p. 9. seq. EDMVNDVM FRIGELIVM de *stat. Rom. cap. XXIV.* Hinc & apud LAVR. BEGERVM *contemplat. dactyl. Gorlæi* p. 7. & 8. ad aram Mineruæ philosophi disputantes conspiciuntur. Vti vero generatim omnium scientiarum; ita inprimis medicæ artis habebatur præses, credebantque veteres, eam potestate morbos sanandi instructam esse. Quæ etiam caussa est, cur illa adpellata sit *Hygæa* apud PAVSANIAM *Atticis* cap. 23. p. 54. & SVIDAM *lex. tom. III.* p. 824.

foco deducit. *Vesta*, inquit, *quasi focus vrbis, vt Græco nomine est adpellata, quod nos proprie idem Græcum interpretatum nomen tenemus.* OVIDIVS *fast. lib. VI. v.* 291.

nec tu aliud Vestam; quam viuam intellige flammam.

ca-

p. 824. ed. CVSTERI ac *Pæonia* itidem PAVSANIÆ *Attic. cap. II.* & cur Minerua & Aesculapius haud raro coniungantur, qua de re euoluendus est EZ. SPANHEMIVS *epist. IV. ad Morellum* p. 218. Præterea Minerua *medica* vocatur in hac apud GRVTERVM p. MLXVII. *num.* 3. inscriptione: MINERVÆ MEDICÆ CABARDIÆ, a quo ignoto loco p. LXXXI. *num.* 8. *Cabardiacensis* adpellatur: adde THOM. REINESIVM *inscr.* p. 244. Huc & alia inscriptio pertinet, quæ apud ALDVM MANVTIVM *orthogr.* p. 198. IAN. GRVTERVM p. LXXXI. *num.* 9. & GISB. CVPERVM *apotheos.* Homeri p. 300. aliosque ita legitur: MINERVÆ MEMORI COELIA IVLIANA INDVLGENTIA MEDICINARVM EIVS INFIRMITATE GRAVI LIBERATA D. P. quam MARC. ZVERIVS BOXHORNIVS *quæst. Rom. cap. I.* p. 916. immerito pro adulterina & substituta inscriptione habet, vt recte monstrat IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. V. thes. ant. Rom.* Inuocabant eam ægroti & inter eos etiam ii, qui in templis eius incubabant ac per somnia auxilium ab ipsa exspectabant, quo recuperato, vota, antea ob morbi sanationem concepta, persoluebant. Plura de Minerua, medicinæ præside, dabunt: IO. HENR. MEIBOMIVS *comm. in iusiur. Hippocr.* p. 62. CHRIST. CELLARIVS *diss. academicis*, a venerando patre iunctim editis, p. 234. IO. HARDVINVS *nummis antiquis popul. & vrbium illustrat.* in eius *operibus selectis*, p. 121. seq. IO. HENR. SCHVLZIVS *hist. medicin. period. I. sect. II. cap. I.* p. 74. EZ. SPANHEMIVS *epist. IV. ad Morell.* p. 218. ANTON. FRANCISC. GORIVS ad *museum Florent. tom. II.* p. 118. aliique.

Landesbibliothek Oldenburg

canit: paullo ante tamen, *v.* 267.

Vesta eadem est, quæ terra: subest vigil ignis vtrique.

& *v.* 299.

stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur.

Genus & originem idem OVIDIVS *memorato loco v.* 285. prodidit:

ex ope Iunonem memorant Cereremque creatas
semine Saturni: tertia Vesta fuit. b)

b) Vesta Saturni ac Rheæ filia fuit. Sorores habuisse fertur Cererem & Iunonem & fratres: Plutonem, Neptunum & Iouem. Nonnulli Vestam ignem; alii vero terram esse, statuunt; quamuis nonnulli recte obseruent, discrimen statuendum esse inter Vestam maiorem, Vrani siue cæli vxorem, & inter minorem, Saturni & Rheæ filiam, & vti per illam terram, sic per hanc ignem intellectum esse adfirmant. Multi Vestæ nullum extitisse simulacrum volunt, hancque in rem non solum ad OVIDIVM *fast. lib. VI.* v. 291. 297. sed & ad nummos veteres prouocant, qui sæpius Vestam solum sub igne ardente repræsentarent; contrarium vero CICERO probat *lib. III. de nat. deor. cap.* 32. & *lib. III.* de *orat. cap.* 3. ac VIRGILIVS *Aeneid. lib. II.* v. 296. idemque confirmant nummi, qui Vestam, habitu matronæ, stolatam, & velato capite exhibent, vti ex IVST. LIPSIO *loco excitato*, p. 1081. EZ. SPANHEMIO *diatr. de Vesta & prytanibus Græcorum* p. 681. seq. & PETR. BVRMANNO *Iou. fulgerat. cap. XIII.* p. 314. patet, qui Vestæ nomen ex eo ortum esse putat, quia dea hæc *vi sua staret;* pro CICERONIS tamen adducto testimonio probabilius est, id a græco verbo ἑστία, *foco*, deducendum esse. CHRIST. BECKMANNVS *orig. latin. lingu.* p. 355. GERH. IO. VOSSIVS *etymol.* voc. *Vestalis tom. I. operum* p. 639. EDVARD. LEIGH *crit. sacr.* p. 13. ab ebraica voce אֵשׁ *ignis* & יְהֹוָה *domi-*

§. II.

Sic videmus, Vestam secundum fabulas Iunonis Cererisque sororem fuisse. De cultu Vestæ & Vestalibus infra dicemus.

Cap. VI.

DE CERERE.

§. I.

Ceres, c) saturni filia, Iunonis & Vestæ soror, vt iam ex Ouidiano carmine cognouimus. In Sicilia habitasse dicitur, vnde & *Ennæa* poetis Ceres est. Dicta est & *Ennensis* apud CICERONEM

dominus vocabulum hoc deriuant. Quamuis vero dea hæc semper virgo fuisse crederetur, quia ignis nihil producat, ideoque & apud EVSEBIVM *lib.* III. *præpar. euang.* cap. II. a Porphyrio numini huic virginis adscribatur habitus; attamen & *mater* ab antiquis est dicta, vti patet ex VIRGILIO *lib* I. *Georg* v. 499. ex *inscript.* apud GRVTERVM p. CXXI. ex nummo apud EZECH. SPANHEMIVM *de Vesta & prytan. græc.* p. 681. atque ex Vestæ simulacro, Puteolis reperto, quod in gremio infantem fert, apud IVL. CÆS. CAPACCIVM *de reb. Neapol. lib. I.* p. 242. idque ea ex ratione, quia & hæc Vesta vulgo pro terra habebatur, & inter numina vrbis præcipua tutelaria referebatur. De ipsa Vesta, eius templis, cultu, simulacris, cet. plura exhibent præter memoratos celeberrimos viros, IVST. LIPSIVM & EZ. SPANHEMIVM: GERH. IO. VOSSIVS *de idolol. lib. IX. cap.* 22. LIL. GREG. GYRALDVS *hist. deorum synt. IV.* p. 150. ONVFR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. cap. XXIX.* IAC. DE WILDE *gemm. illustr.* p. I. seq. aliique.

c) De Cerere exposuit IO. HENR. EGGELINGIVS *mysteriis Cereris & Bacchi*, quæ Bremæ MDCLXXXII. in lucem emissæ, & *tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII denuo recusæ sunt. Varia contra explicationem

NEM *lib. IV. in Verrem cap.* 49. quia Sicilia frugum feraciſſima, quarum hæc dea inventrix dicebatur. d) VIRGILIVS *lib. I. Georg. v.* 147.

prima Ceres ferro mortales vertere terram inſtituit.

Quum enim filiam, a Plutone raptam, per orbem ter-

nem EGGELINGII monuerat IOACH. FELLERVS in *actis eruditorum* ann. MDCLXXXIII. p. 144. adverſus quos quum iſte eodem anno *cenſuram cenſuræ myſteriorum Cereris & Bacchi* edidiſſet, FELLERVS MDCLXXXV. reſpondit ſuamque de libro eius latam ſententiam defendit. Multa etiam, ad fabulam de Cerere pertinentia, exhibent: HIERON. ALEXANDER *antiqu. tabulæ marmor. explicat. tom. V. theſ. antiq. Rom.* GRÆVII p. 747. ſeq. & MICH. ANG. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE *deor. ſimulacris tab. VI.* p. 772. *memorati tomi theſ. antiqu.*

d) Idem confirmant: OVIDIVS *lib. V. metam.* v. 341. HYGINVS *fab. CCVII.* PLINIVS *lib. VII. cap.* 56. aliique, quos larga manu exhibet THOM. DEMPSTERVS *paral. ad Roſin. ant. Rom.* p. 142. inde & *frugifera* apud GRVTERVM *inſcript.* p. XXVI. *num.* 8. & *num.* 9. *mater agrorum* dicitur, ipſique corona, ex ſpicis facta, ab antiquis adſcribitur: conf. TIBVLLVM *lib. I. eleg. I.* v. 21. aliosque, quos memorat CAROLVS PASCHALIVS *de coron. lib. VII. cap.* 15. p. 501. vbi & ſpicas Cereri oblatas fuiſſe, obſeruat. Ob eamdem rationem ei agricolæ inſtrumenta ſua, agris colendis & arandis inſeruientia, dedicarunt, quia Ceres fruges invenerit, quum antea maieres eorum glandibus vitam ſuſtentare debuerint, quod multa veterum auctorum teſtimonia confirmant; per glandes vero quoscunque arborum fructus intelligi, vt credam, mouet me locus XII. *tabularum*, in quo *glandem in alienum fundum procidentem colligere* permiſſum fuit: conf. IAC. RÆVARDVS *comm. in leg. XII. tabul. cap. XXVI.* GVIL.

STV-

terrarum requireret, e) varias gentes dicitur, siue fingitur potius, agriculturam docuisse.

§. II.

Epitheta illius præter localia, ante data, sunt: f)

1) *Alma:* apud VIRGILIVM *Georg. lib.* I. *v.* 7.
Liber & Alma Ceres.

2) *Flaua: ibid. v.* 96.
flaua Cerès alto ne quidquam spectat Olympo.
quia fruges maturæ flauescunt. Hinc frequenter id

STVCKIVS *antiqu. conuiual. lib.* II. *cap.* 8. LVD. CÆL. RHODIGINVS *lib. XVI, lect. ant. cap.* 3. p. 835. CONR. RITTERSHVS. *ad leg. XII. tab. class. III. cap.* 9. ANT. AVGVSTINVS *ad leg. XII. tabul.* §. 43. Vt frugum inuentio Cereri; sic earum satio Triptolemo adsignata est, qui eam iussu Cereris hominibus monstraverit, vt testes sunt HYGINVS *fabul. cap.* 147. 259. & 277. multique alii apud THOM. DEMPSTERVM *paralip. ad Rosin.* p. 143.

e) Fiebat hoc duabus ardentibus facibus, de quibus OVIDIVS *lib. V. metam.* v. 341. aliique plures canunt. Inde & hæc dea ab eodem poeta *tædifera*, græce δαδοῦχος est adpellata, epist. *II.* v. 42. adde LIL. GREG. GYRALDVM *histor. deor. synt. XIV.* p. 425. In eius sacris eamdem ob caussam faces vsurpabantur, vt LACTANTIVS *lib. I. diuin. institut. cap.* 21. testatur, quod ita fiebat, vt vnus ab ara facem accensam manu comprehenderet, & ad certum in templo locum se conferret, vbi alter eam exspectabat, qui sumtam facem iterum alteri & sic porro tradebat, vti vetus obseruat scholiastes IVVENALIS *sat. XV.* v. 141. De Cereris sacris præ ceteris scripserunt: 10. MEVRSIVS in *Eleusiniis sacris tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 109. & 10. HENR. EGGELINGIVS *loco memorato.*

f) De Cerere *cornigera* videatur EZECH. SPANHEMIVS *diss. VII. de vsu & præstant. numism. tom. I.* p. 394. & de Ce-

id nominis pro ipsis frugibus positum est. Notum illud comici: *sine Cerere & Libero* cet. VIRGILIVS *lib. VIII. Aeneid. v.* 187.

dona laboratæ Cereris Bacchumque ministrant.

LVCANVS *lib. VI. v.* 381.

- - - satis est populis fluuiusque Ceresque.

Chrysippus apud CICERONEM *lib. I. de nat. deor. cap.* 15. dixit: *æthera esse eum, quem homines Iovem adpellarent, quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum, terramque eam esse, quæ Ceres diceretur.*

CAP. VII.

DE MARTE.

§. I.

MARS g) est ipse Iouis filius, h) vt fabulæ habent,

Cerere *mammosa* GISB. CVPERVS *apotheos.* p. 253. A STATIO *lib. IV. silu.* v. 8. & 50. *Actæa* a VIRGILIO *lib. II. Aeneid.* v. 713. ob ereptam filiam *deserta*: a CICERONE *orat. Verrin. IV. cap.* 49. ab Enna, Siciliæ vrbe, vbi maxime culta est, *Ennæa*, a MANILIO *lib. II. astron.* v. 442. ob fruges, quibus præesse ea credebatur, *spicifera* est dicta.

g) Mars per ordinem in antiquis monimentis sagatus conspicitur, nonnumquam etiam nudus cum pallio, hasta, galea, clypeo, vel tropæo & parazonio ad latus: sæpe etiam equo insidens, vel in curru, qui a duobus equis vehitur, exhibetur. Additus quoque est nonnumquam gallus, qui, milites vigilantes esse debere, significat: conf. ABR. ORTELIVS *deor. & dear. cap. I. num.* 15. LIL. GREG. GYRALDVS *hist. deor. synt. X.* p. 314. BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom.* p. 95. LAVR. BEGERVS *contempl. gemmar. dactyl.* GORLÆI p. 35. IAC. DE WILDE *antiqu. gemmis illustr.* p. 95. seq.

h) Vt HESIODVS Θεογον. v. 921. habet. Ab OVIDIO *lib.*

bent, Poetis sæpe dictus *Mauors* i) per epenthesin, vt apud VIRGILIVM *lib. X. Aeneid. v.* 755.

iam grauis æquabat luctus & mutua Mauors
funera.

§. II.

Fingebatur, Thraciæ & Getharum regioni, quod populos haberet bellicosos, præsidere. VIRGILIVS *lib. III. Aeneid.* v. 35. canit:

Gradiuumque patrem, Gethicis qui præsidet armis.

Nam *Gradiuus* etiam poetis est dictus Mars, k) bellorum deus. Sic idem poeta *lib. X. Aeneid.* v. 542.

- - - - arma
lecta refert humeris tibi, rex Gradiue, tropæum.

§. III.

Epitheta l) eius sunt varia: *armipotens:* vid. LV-

lib. V. fast. v. 249. Mars a Iunone sine viro & solum tacto flore conceptus fingitur.

i) Id quod ex GRVTERO *inscript.* p. LVI. *num.* 13. patet, vbi etiam pag. sequenti *num.* 1. & 2. *Mauortius* dicitur.

k) De hac adpellatione ita loquitur SERVIVS ad VIRGILII *lib. I. Aeneid.* v. 296. *gradiuus Mars adpellatus est a gradiendo in bella, vltro citroque; siue a vibratione hastæ, quod Græci dicunt* κραδαίνειν; *vel, vt alii dicunt, quia gramine sit ortus:* adde BARNAB. BRISSONIVM *lib. I. de form.* p. 49. Marti Gradiuo salios legit Numa, vt LIVIVS *lib. I. cap.* 20. refert: conf. TOB. GVTHBERLETHVM *de saliis cap. IV.* p. 18.

l) Sic vocatur Armiger, Belliger, Bisultor, communis, Enyalius, Hesus, Olloudius, pater, saliisubsulus, sequutor, Victor, Vincius, deus inuictus, quæ omnia ex inscriptionibus & LILIO GREG. GYRALDO *histor. deor. synt. X.* p. 317. cognosci possunt. *Siluanus* dicitur a *siluis*, quum non solum iis ac venatio-

LVCRETIVM *lib. I.* v. 34. *Thracius*, *vltor*, *victor*, vtrumque crebrum in inscriptionibus.

Cap. VIII.

DE BELLONA.

§. I.

BELLONA m) soror Martis fingitur, & etiam bellorum dea. HORATIVS *lib. II. sat.* 3. v. 223.

gaudens Bellona cruentis.

si-

tioni praefuit; sed etiam apud Thraces eius delubrum in silua stetit, vt STATIVS *lib. VII. Theb.* v. 40. habet. Marti vltori veteres gladios suos, facinori cuidam insigniori destinatos, consecrare solebant, teste SVETONIO *vit. Aug. cap.* XXIV. §. 10. cui addantur: IVST. RYCQVIVS *de Capitol. cap.* XXVIII. THOMAS REINESIVS *epist. XIX.* p. 51. & SAM. PITISCVS *not. ad Suetonium* p. 559. Varia, lectu digna, de Marte obseruat GAILLARD. GVIRANVS *explic. duor. vetust. numism. Nemausens. tom. I. thes. ant. Rom.* ALB. HENR. DE SALLENGRE p. 1040.

m) De Bellona videndi sunt: LAVR. BEGERVS *contempl. gemmar. dactyl.* GORLÆI p. 24. IAC. DE WILDE *loco memorato*, p. 86. atque alii. Numini huic adiungenda est *Nemesis*, quae etiam inter militaria numina locum habuit, & de qua IO. GEORG. GRÆVIVS *lection. Hesiod.* p. 28. IAC. PERIZONIVS *not. ad Aelian. var. hist. lib. XIII. cap.* 2. p. 852. ed. GRONOVII. IO. ALBERTI *obs. sacr.* p. 286. IO. MICH. DILHERRVS *disput. tom. I.* p. 242. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *miscellan. polit. hum.* p. 60. & IO. CONR. SCHWARZIVS *nou. & adcuratior. explicatione Nemeseon quarumdam a* MONTFAVCONIO *collectarum* exposuerunt.

SILIVS *Italicus lib. V.* v. 221.

ipsa facem quatiens ac flauam sanguine multo
sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

§. II.

Ἐνυώ græce dicitur, etiam a latinis. Idem SILIVS *lib. X. v.* 203.

- - - *veluti nondum satiasset Enyo*
iras sæva truces.

CAP. IX.

DE VVLCANO.

§. I.

VVLCANVS n) Iunonis solius filius secundum HESIODVM *theog.* v. 927. o) quamquam HOMERVS *Iliad. X.* v. 577. eum ex Ioue conceptum dicat. Ignis significatur, sicut ipse præsidere fingebatur officinis igne laborantibus, & suas ipse habe-

n) Apud MICH. ANG. CAVSSEVM DE LA CHAVSSE *deor. simulacr. tab. XIX. tom. V. thes. ant. Rom.* p. 777. Vulcanus exhibetur pileatus, malleum dextra, sinistra forcipem tenens, formaque ac facie deformis. Per ordinem altero pede claudus fingitur, qua de re IO. GEORG. GRÆVIVS *lection. Hesiod.* p. 13. consuli potest. In nummis gentis Aureliæ frequenter caput eius barbatum; forceps vero pone ceruicem visitur. Legendi sunt: ABR. ORTELIVS *capit. deor. & dearum tab. XIII.* BVRC. GOTTH. STRVVIVS *syut. ant. Rom.* p. 104. & IAC. DE WILDE *antiquis gemmis illustrat.* p. 120.

o) Idem & LVCIANVS *de sacrif. tom. I. operum* p. 365. ed. GRÆVII testatur; quod vero Iuno ex Ioue Vulcanum conceperit, de eo præter HOMERVM, PHVRNVTVS *de natura deorum cap. XIX.* videndus est.

Landesbibliothek Oldenburg

habere officinas, in quibus fulmina Iouis cuderet & deorum heroumque arma: vid. VIRGILIVM *lib. VIII. Aeneid.* v. 415. seqq. Hic poeta officinam illam in Vulcaniis insulis finxit, præsertim in illa, quæ Lipara dicitur; CICERO autem fabricam eius memorat in Lemno insula *lib. III. de nat. deor. cap.* 22. *Vulcanus tertius*, inquit, *ex tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus, Menalio natus, qui tenuit insulas, prope Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur.* Hoc vero natum ex fabularum falsitate, vt, si illæ non congruerent sibi, plures vnius nominis deos fingerent, quemadmodum de Ioue factum, de Mercurio & sic etiam hic de Vulcano.

§. II.

Claudicasse illum, tradunt, p) quod cælo ceciderit in Lemnum. Hinc exagitat gentiles MINVCIVS

p) Hinc a COLVMELLA *lib. X.* v. 419. *tardipes; Lemnius* vero a VIRGILIO *lib. VIII. Aeneid.* v. 454. & OVIDIO *meram. lib. IV.* v. 184. vocatur, quia, in Lemnum præcipitatus, crus fregerit. Vulcani vxor *Maia* dicta fuit, vt habet MACROBIVS *lib. I. saturnal. cap.* 12. Ei, vt socii, addebantur *Cabiri*, deorum alias ministri & metallorum inuentores, qui apud Samothracas præcipue sunt culti; plura autem de illis STEPH. LE MOYNE *var. sacr.* p. 382. IOS. IVST. SCALIGER *coniect. ad Varron.* p. 23. IO. SELDENVS *de diis Syris syntagm. II. cap.* 16. p. 361. ADRIAN. RELANDVS *diss. misc. part. I.* p. 193. HIER. ALEANDER *explicat. tab. Heliac. tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 761. TOB. GVTHBERLETHVS *dissert. philol. de mysteriis deorum Cabirorum*, & IO. ANT. ASTORIVS *diss. de diis Cabiris*, litteris mandarunt.

CIVS FELIX *cap. XXI.* §. 13. Interpretationem hanc tradit IO. CLERICVS *ad Hesiodum loc. excit.* p. 132. Iunonem celebrem aliquem fabrum adoptasse, qui ἥφαιστος, id est, *Vulcanus*, vocatus fuerit.

CAP. X.

DE NEPTVNO.

NEPTVNVS q) fingitur princeps deorum marinorum, quod eleganter LACTANTIVS interter-

q) Neptunus, Saturni & Opis filius, Iouisque frater fuisse; in sortitione vero totius vniuersi maris imperium tenuisse fertur. Multi existimant, Neptunum antiquis iam Romæ temporibus *Consi* nomine cultum esse; alii autem recte obseruant, Consum Isidis filium & quidem deum consiliorum, eumdemque fuisse, qui alias *Sigalion* & *Harpocrates* est cognominatus, quique inde digitum, ori admotum, in monimentis antiquis habet, ad indicandum, consilia secreta reticenda, nec patefacienda esse: conf. GISB. CVPERVS *Harpocrat.* p. 27. MARC. ZVERIVS BOXHORNIVS *quæst. Rom. XL. tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 967. Per ordinem nudus & barbatus cum tridente & delphino conspicitur; nonnumquam vero in veste cærulea, quæ maris colorem imitatur, adparet. Quandoque cum equis & cetis mari tranquillo incedit. Plura de Neptuno videbis apud MICH. ANG. CAVSSEVM DE LA CHAVSSE *simulacr. deor. tab. VII.* p. 772. EZ. SPANHEMIVM diss. VII. *de vsu & præstant. numismat. tom. I.* p. 390. LAVR. BEGERVM *de bello & excidio Troiano* p. 8. & 26. IAC. DE WILDE *antiqu. gemmis illustrat.* p. 36. seq. IO. FRID. GVHLINGIVM *diss. de barba deorum* §. IV. & XIV. p. 5. & 13. IO. NICOLAI *de substrat. vestium* p. 91. Adiungunt Neptu-

no

terpretatur *lib. I. cap.* 2. eum cum Ioue ita regnum diuisisse, vt ipse insulas acciperet, Iupiter partes mediterraneas. Nam frater Iouis dicitur fuisse Neptunus. Eius formam, munus, ministrum Tritonem describit VIRGILIVS *lib. I. Aeneid. v.* 138. seqq. Glaucis oculis eum depictum fuisse, ridet MINVCIVS *dicto loco.*

CAP. XI.

DE DIANA.

DIANA r) Iouis & Latonæ filia, Apollinis soror, virgo venatrix: Genus eius scripsit HESIO-

no *Salaciam*, quæ a *salo* & *cieo* secundum VARRONEM *de lat. lingua lib. IV.* p. 14. est adpellata, vt quæ *salum ciere*, siue mare mouere, credebatur: item *Veniliam*, siue exæstuationem maris, a *veniendo* ita dictam, quia vnda ad litus venit: conf. IO. ROSINVM *ant. Rom. lib. II. cap. XIII.* p. 150. Dati enim Neptuno comites sunt Tritones, Nereides, Naiades & Sirenæ cum buccinis, de quibus VIRGILIVS *lib. X. Aeneid.* v. 209. PLINIVS *lib. IX. cap.* 5. & OVIDIVS *lib. I. metam.* v. 333. CATVLLVS *lib. III. eleg.* 6. AVSONIVS *Mosell.* v. 170. 179. consulendi sunt.

r) Diana eadem est, quæ luna, et inde in inscriptionibus non solum *Lucina*, quæ cum Iunone Lucina non est confundenda; sed etiam *Lucifera* dicitur. Inuocabatur a parturientibus, vt ex HORATIO, CICERONE, MACROBIO & TERTVLLIANO adparet; ex recentioribus autem LIL. GREG. GYRALDVS *hist. deor. synt. III.* p. 119. IO. PETR. BELLORIVS *descr. sepulcr. Nasonis tab. VIII.* IO. MEVRSIVS *de puerperio cap. I.* THOM. BARTHOLINVS *de puerperio vet.* p. 25. aliique id pluribus ostendunt. Præterea illa &

DVS *theogon.* v. 918. HORATIVS etiam de illa euolui potest *lib. III. Od.* 22. vbi vocatur *montium custos*,

venationibus praerat, quare *Nemorensis* & *Nemoresis* apud GRVTERVM p. XLI. *num.* 7. & 8. p. XXXIX. *num.* 8. ab HORATIO vero *lib. III. od.* 22. v. 1. *montium custos* vocatur. Ex his omnibus satis patet, quam ob rem Dianae huius imago saepe multis mammis & vberibus ornata conspiciatur, & cur cum lunula bicorni in fronte eam pingant veteres, eaque, vt venatrix, alte succincta, crinibus in nodum contortis, arcum manu tenens, pharetram in dorso, ceruumque aut canem venaticum ante pedes habens, in antiquis monimentis exhibeatur. Nouae sponsae & primo partu leuatae mulieres ipsi zonam; venatores vero, teste CLAVDIANO de *IV. consul. Honorii* v. 160. arcum & pharetras ceruorumque cornua, quae templis eius adfigebantur, ac praedae caput, vel pedes exuuiasque consecrabant. In nummis cum facibus expressa est: vnde & a Graecis φωσφορος; a Romanis vero, vt iam obseruaui, *Lucifera* dicta est: conf. EZECH. SPANHEMIVM *not. ad Callimachum* p. 132. ANT. BORREMANSIVM *var. lect.* p. 211. PETRVM SEGVINVM *numism. select.* p. 12. IOS. MONTERCHIVM *comm. ad rariora maximi moduli numismata* p. 2. De ipsa Diana eiusque apud veteres cultu prae ceteris GVIL. CHOVLIVS *de relig. vet. Rom.* p. 70. seq. CLAVD. MENETREIVS *symbol. Dianae Ephes. stat. tom. VII. thes. ant. Graec.* GRONOVII p. 857. seq. FRANC. DE REBATV *delineat. Dianae Arelatensis tom. I. thes. antiqu. Roman. Sallengriani* p. 599. videndi sunt. His addi possunt ii, qui de Diana Ephesia eiusque templo sunt commentati, a IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiquar.* p. 298. IO. CHRIST. WOLFIO *cur. philol. & crit. ad Actor. XIX*, 27. IO. IARKIO *not. ad* EL. SCHEDIVM *de diis germanis* p. 118. memorati, quibus POLENVS adiungendus est, cuius de hoc argumento commentatio Romae sub

hac

cuſtos, nemorumque virgo, Diua triformis, id eſt, quæ in cælo Luna, in terris Diana venatrix, apud inferos Hecate eſt, s) & *carmine ſeculari* ineunte:

Phœbe ſilvarumque potens Diana.

PLINIVS inter venationes litteris operam dans huc adluſit *lib. I. epiſt.* 6. §. 3. *experieris non Dianam magis montibus quam Mineruam inerrare.*

CAP. XII.

DE APOLLINE.

§. I.

APOLLO, t) qui idem & Phœbus eſt, Latonæ & Iouis filius, Dianæ frater. Natus fingitur in inſula Delo eiusque monte, Cyntho. Hinc *Delius* Apollo dicitur a CICERONE *lib. III. de nat. deor. cap.* 36. & VIRGILIO *Aeneid. lib. III.* v. 162. &

hac inſcriptione prodiit: *diſſertazione ſopra il tempio di Diana d'Eſeſo.*

s) Adde PRVDENTIVM *lib. I. contra Symm.* v. 365. CLAVDIANVM *de rapt. Proſerp. lib.* I. v. 15. AVSONIVM *gryph.* v. 18.

t) De eius figura videndi ſunt: CICERO *lib. I. de natur. deor. cap.* 30. MACROBIVS *lib. I. ſaturn. cap.* 17. ARNOBIVS *lib. VI. aduerſ. gent.* p. 197. ex recentioribus IAC. DE WILDE *ant. gemm. illuſtr.* p. 7. OCTAV. FERRARIVS *de re veſtiar. lib. I. cap.* 3. IO. NICOLAI *de ſubſtrat. veſt.* §. X. p. 40. De tripode ipſi adſignato, obſeruandum eſt, eum vas ternis præditum pedibus, cui ſacerdos, quæ reſponſa dedit, inſidebat, fuiſſe, conf. MICH. ANG. CAVSS. DE LA CHAVSSE *inſign. pont. max. tab. X. XI. & XII. tom. V. theſ. ant. Rom.* GRÆVII p. 317. & IAC. SPONIVM *miſc. erud. antiq.* p. 118.

maternam Delum idem poeta *lib. IV. Aeneid.* v. 144. dixit. Et *Cynthius* a monte illo absolute vocatur, itidem apud VIRGILIVM *eclog. VI.* v. 3. & *georg. lib. III.* v. 36.

§. II.

Lyra ei, siue cythara a poetis tribuitur: conf. HORATIVS *lib. III. od.* 4. & *lib. IV. od.* 15. etiam arcus & sagittæ apud eumdem *carmin. secular. v.* 61. u) quia credebatur carminis auctor, x) præses Musarum, vt eodem *carmine* est v. 62. ac peritus iaculandi sagittis: vide OVIDIVM *lib. I. metam. fab. VIII.* v. 441. Idem credebatur fatidicus & plurium auctor oraculorum, *Delphici*, *Patarei*, *Colophonii* & ceterorum. Hinc dicitur *Delphicus* Apollo a CICERONE *lib. I. de diuin. cap.* 37. Apollo *Py-*

u) Inde ab OVIDIO *lib. I. met.* v. 441. *arcitenens*, a Græcis vero τοξόφορος, ἑκατηβόλος & ἑκατηβελέτης vocatur, de quo interpretes ad SVETONIVM *vit. Neron. cap. XXXIX.* §. 5. legendi sunt.

x) Inprimis medicinæ habebatur auctor atque inuentor: conferatur inscriptio apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 123. cui IAC. PHIL. THOMASSINVS *de denariis cap. XXIII.* HIERON. ALEANDER *tab. Heliac. explicat. tom. V. memorati* p. 711. IO. HENR. MEIBOMIVS *in iusiur. Hippocrat. cap. IV.* CHRIST. CELLARIVS *diss. academicis* p. 232. adiungendi sunt. Eamdem ob rationem sæpe in antiquis tam Græcorum quam Romanorum monumentis ἀλεξικακὸς, ἰατρὸς, *Pæan*, *Conseruator*, σωτὴρ adpellatus est: adde EZ. SPANHEMIVM *not. in Callimachi hymn. in Apoll.* p. 73. 76. IO. HENR. SCHVLZIVM *hist. medicinæ period. I. sect. II. cap.* I. §. 16. DAN. CLERICVM dans *l'histoire de la medecine part. I. lib.* I. *cap.* 7.

Landesbibliothek Oldenburg

Pythius lib. II. offic. cap. 22. y) quia Pytho & Delphi eadem vrbs.

§. III.

Sunt & alia cognomina, z) quæ cuncta fere oraculi aliquid adiunctum habebant, vt *Grynæus* Apollo apud VIRGILIVM *lib. IV. Aeneid.* v. 345. *Colophonius* teste LACTANTIO *lib. I. cap.* 7. & *Sminthæus ib.* §. 9. Laurus ipsi sacra erat, apud VIRGILIVM *eclog. VII. v.* 62. de qua re eiusque ficta origine pluribus OVIDIVS *lib. I. metamorph. fab.* 9. agit. Missis fabulis, sol Phœbus est & Apollo; tamen, si mauis distinguere, Apollo homo sagax & prudens fuit, vt inde inuentor artium & elegantiorum litterarum, etiam per prudentiam suam vates futurorum crederetur.

y) Vide, præter multos alios, IO. ANDR. BOSIVM *not. ad Nepotem Miltiad. cap. I.* §. 3.

z) Apollo adpellatus etiam est & GRANNVS & BELENVS. De illo nomine exponunt: BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom.* p. 92. & CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diss. de Aesculap. & Hygea* p. 17; de hoc vero præter BERTHALDVM, IVRIEV, LE MOYNE & BRAVNIVM, consulendi sunt: BERN. DE MONTFAVCON dans *l'antiquité expliquée tom. II. part. II. lib. II. cap.* 4. §. 2. pag. 390. & PHIL. A TVRRE *diss. de Beleno veterum Aquileiens. deo* p. 255. eius *monumentorum veteris Antii.* De reliquis Apollinis cognominibus agit SILVESTER LVRSENIVS *diatrib. de Apolline & rarioribus eius cognomin.* eius *libro de templo & bibliotheca Apollinis Palatini* addita.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XIII.

DE MERCVRIO.

§. I.

MERCVRIVS, Iouis & Maiæ filius, Atlantis per filiam nepos: vid. HORATIVM *lib. I. od. 2. v. 43.* & *od. 10.* Natus est in monte Cyllene; inde & *Cyllenius* cognominatus fuit, VIRGIL. *Aeneid. lib. IV. v. 252.* Nuntius deorum fingebatur: a) ideo alæ ipsi aptatæ ad pedes, *ibid. v. 237.* & apud HORATIVM *lib. I. od. 10.*

§. II.

Vt vero in incertis fabulis fluctuabant pagani; ita plures Mercurii efficti. Lege LACTANTIVM *lib. I. cap. 6. §. 2.* qui eiusdem *libri cap. 10. §. 7.* vere ipsum furem & nebulonem dixit. Callidus enim & fraudulentus homo fuit, ideoque etiam mercaturæ præfectus erat.

Cap.

a) Eadem de caussa & eloquentiæ præesse existimabatur, & Græci eum Ἑρμην a græca voce ἐρεῖν adpellabant, testibus PHVRNVTO *de natura deorum cap. XVI.* p. 164. & PORPHYRIO apud EVSEBIVM *præpar. euang.* p. 114. Rem ipsam pluribus enarrant: THOM. GALE *not. in Iamblichum* p. 182. LVD. CÆL. RHODIGINVS *ant. lect. lib. XXIX. cap. 14.* p. 1633. IAC. OISELIVS *not. ad Minuc. Felic.* p. 184. EL. SPANHEMIVS *not. ad Aristoph. Plut. v. IIII.* p. 267. ed. KVSTERI. Quare Paullus, propter singularem, qua præditus erat, loquendi vim, Mercurius habebatur, *Act. XIV, 12.*

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XIV.

DE VENERE.

§. I.

Venvs est indigna, de qua multis agatur. b) Libidinosissima mulier in Cypro orta credebatur; sive ex spumo maris nata, eodem primo aduecta, & quidem ad vrbem Paphon, vbi postea potissimum colebatur, & *Paphia* cognominabatur, apud virgilivm *georg. lib. II.* v. 64. Vrbs hæc, nefandis sacris profanata, ab apostolo euangelii luce purgata illustrataque fuit, quum ibi Simonem magum miraculo compescuit & Sergium proconsulem ad Christum adduxit.

§. II.

Cognomina alia sunt *Amathusia*, c) apud tacitvm *lib. III. annal. cap.* 62. ab Amathunte, Cypri

b) Venus in statuis, nummis & gemmis diuerso exprimitur modo. Plerumque nuda, quandoque stolata, raro armata, cum pomo in dextra & temone in sinistra adparet. Conferantur: bvrc. gotth. struvius *ant. Rom. cap. I.* p. 99. lavr. begervs *thes. Brandenb. part. I.* p. 170. & in *meleagrid.* p. 5. iac. de wilde *ant. gemm. illustr.* p. 48. 49. Nonnumquam barbata conspicitur, vt ex marc. zver. boxhornio *quæst. Rom. XIII. tom. V. thes. ant. Rom.* grævii p. 936. potest cognosci. Semper apud veteres differentiam inter Venerem popularem ac cælestem sive Vraniam fuisse, monstrant petr. ivriev dans *l'histoire des dogmes & des cultes part. IV. cap.* 7. p. 692. & carol. patinvs *comm. in antiquum Marcellinæ monumentum p.* 407.

c) Adde catvllvm XLVIII. 51. & virgilivm *Cir.* v. 242. & *lib. X. Aeneid.* v. 51.

vrbe; & *Erycina*, ab Eryce, Siciliæ monte. Quæ religio etiam Romam translata fuit, & ibi quoque templum exstructum sub *Erycinæ Veneris* nomine. Ideo autem Romani hoc nomen sanctius colebant, quia fama vel fabula erat, Romanos ab Aenea, Veneris filio, genus deriuare: præsertim cæsares gentem suam Iuliam ab Iulio, Aeneæ filio, voluere deductum esse. Vnde & templum & multæ inscriptiones VENERI GENETRICI, id est, cæsarum matri, factæ. CICERO *lib. III. de nat. deor. cap.* 23. plures recenset Veneres, vt fere omnes deos suos pagani propter diuersas originum deriuationes multiplicabant, & aliam ex spuma procreatam refert: aliam ex Ioue & Dione, quæ nupserit Vulcano: aliam *Syriam* adpellat, Tyroque conceptam, quæ *Astarte* vocetur, quod ipsum nomen *Astoreth* est idoli Sidoniorum, 2 *Reg. XXIII*, 13. Alia cognomina sunt: d) *Cytherea*, apud HORATIVM *lib. I. od.* 4. *Dionæa* a *Dione*, quæ secundum CICERONEM mater fuerat; sed nomen commune & filiæ est apud SILIVM *lib. VI.* v. 697. Vnde *Dionæa mater*, intellige, Aeneæ: vid. VIRGILIVM *lib. III. Aeneid. v.* 19. *eclog. IX. v.* 47.

CAP.

d) De eiusmodi cognominibus pluribus edisserunt iam memorati PITISCVS & GYRALDVS. Veneris filius Cupido fuit, de quo IVL. CAROL. SCHLÆGERVS *diss. de nummo Alex. M. cap. VIII. seqq.* IAC. SPONIVS *misc. eruditæ antiqu.* p. 8. & IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. V. thes. antiquit. Rom.* edisserunt.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XV.

DE IANO.

§. I.

In selectis diis præcipui erant: IANVS, rex Italiæ, Saturnum, a Ioue pulsum, excipiens: vid. VIRGILIVM *lib. VIII. Aeneid. v.* 319. *seq.*

§. II.

Fingitur bifrons apud VIRGILIVM *lib. VII. Aeneid. v.* 180. & MINVCIVM FELICEM *cap. XXI.* §. 13. qui sequenti *cap. XXII.* id quoque de Iano rege, Saturnum excipiente, prodidit, & vtrumque hominem esse probauit.

§. III.

Numa Pompilius templum Iano Romæ ea lege condidit, vt semper pateret belli tempore, & clauderetur, quum vbique pax esset & arma quiescerent. e) Raro itaque clausum in bellicosa ciuitate

e) Ex eo *Patulcius* & *Clausius* est vocatus. Pacis enim tempore clausæ erant ianuæ templi, quod illi consecratum erat; durante vero bello, istæ patebant. OROSIVS *lib. VII. cap.* 2. adfirmat, tempore nati Christi templum hoc clausum fuisse; sed errauit sine dubio, quum eo anno bellum cruentissimum in Germania, Druso & Tiberio ducibus, est gestum. Legantur: HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisanis diss. II. cap.* 10. *tom. III. operum* p. 309. & 10. MASSONIVS *in Iani templ. Christo nascente referat.* aliique, a IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiquar.* p. 295. memorati. De Iano eiusque cultu præsertim videndi sunt: GROSEVS DE BOSE *diss. de Iano veterum & nummis nonnullis, eum respicientibus*, quæ gallice Parisiis MDCCV. prodiit: PHILIP-

te hoc templum fuit, statim a conditu sub Numa, iterum post Punicum primum bellum. Deinde patuit vsque ad Augustum, qui ter clausit, quia eo imperante verus princeps pacis homo nascebatur, atque sic hoc quoque a paganis, quamquam non animaduertentibus, significandum erat: vide VELLEIVM PATERCVLVM *lib. II. cap.* 38. §. 3. & *historiam* nostram *antiquam.* f)

CAP.

LIPPVS VENVTI, qui Romæ commentationem sub hac emisit inscriptione: *dissertazione sopra il tempio di Giano.* Speciatim de Iano *clauigero* CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diss. de diis clauigeris* p. 4. agit.

f) Reliqui selecti dii, a nostro auctore omissi, sunt:

I. *Saturnus*, sub cuius regimine tempora omnium felicissima; ipsum vero a Ioue filio regno expulsum fuisse, veteres perhibent. Habebatur deus temporum, atque vt senex valde decrepitus, falcem manu tenens, tristis & pallidus & cum serpente, qui caudam propriis dentibus mordebat, nonnumquam etiam cum filio parvulo, quem deuorare vellet, repræsentabatur. Præsidebat hortis & custos ruris habebatur: Saturno *Lua* adscripta est a *luendo* siue expiando sic dicta, teste A. GELLIO *lib. XIII. cap.* 21.

II. *Genii*, qui etiam ad selectorum deorum classem referuntur, & de quorum natura, indole atque officiis HENRICVS LINDENBROGIVS *obseruationibus ad Censorinum de die natali:* IO. TAFFINVS *de ludis secularibus cap. XIII.* GEORG. WONNA *diss. III. de geniis*, Ienæ MDCLXIII. habitis: ANTON. FRANC. GORI *diss. de genio domestico*, quæ *tom. III.* eius *musei Etrusci* exstat, & PASSERI *comm.* de eodem argumento, aliique videndi sunt. Ipsos genios expressos videbis apud IO. CIAMPINI *vet. mon. tom. II.* p. 2. & MICH. ANGELVM CAVSSEVM DE LA

CHAVS-

CHAVSSE *tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 785. De geniis loci, qui certis regionibus præesse credebantur, vid. GISB. CVPERVM *lib. III. obseru.* p. 335. *Harpocrat.* p. 242. & EZ. SPANHEMIVM *diss. III. de vsu & præst. numism.* p. 187. Genio bono *lares*, ac genio malo *lemures* illique *penates*, ut numina cognita, addebantur, ac cum iis pro præsidibus & custodibus hominum putabantur, de quibus pluribus agunt: EZ. SPANHEMIVS *de Vesta diatrib. tom. V. thes. Græviani* p. 666. PASSERI *comm. de ara sepulcrali*, MARC. ZVER. BOXHORNIVS *quæst. Rom. VI.* aliique, a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar. cap. VIII.* p. 260. memorati.

III. *Sol*, princeps siderum, deus inuictus vel omnipotens ac *Mithra* pictus, de quo numine eiusque sacris præter alios legi possunt: GISB. CVPERVS *Harpocrat.* p. 111; IAC. SPONIVS *miscell. erudit. antiquit.* p. 87. Cultus huius numinis in oriente & inprimis apud Persas maximus fuit, vt ex SAM. PITISCO *not. ad Curtium lib. IV. cap.* 13. & GERH. IO. VOSSIO *de idol. lib. II. cap.* 9. p. 350. patet. Negavit hoc THOM. HYDE *hist. relig. vet. Persar. cap. IV.* p. 106. sed merito refutatur a PHIL. A TVRRE *monument. vet. Antii* p. 194.

Luna, soror solis fuit, & *Latona*, itemque *Lunus deus* nonnumquam dicta est, de qua SPARTIANVS *vit. Caracall. cap. VII.* & IAC. SPONIVS *misc. erud. ant.* p. 90. euolui possunt.

IV. *Orcus*, quem ita græco nomine, alias vero *Ditem* & *Diespitrem*, itemque *Iouem Stygium* vel *Summanum* dicebant antiquiores, cuiusque inscription. apud GRVTERVM p. MXV. *num.* 7. & apud CICERONEM *de diuin. lib. I. cap.* 10. mentio fit; ipsam vero Plutonis figuram eleganter describit CLAVDIANVS *lib. I. de raptu Proserp.* v. 77. Putabatur pro præside ac rectore totius inferorum regni, qui mortuos ad tribunal suum prouocaret, iisque præmia & supplicia distribueret, teste CLAVDIANO *loco excitato* v. 55.

De

Cap. XVI.

DE BACCHO.

Bacchvs, g) Iouis & Semeles filius, bis natus, ovid. *metam. lib. III. v.* 310. Vini colendi auctor fertur, ut notum est. h) Vocatur & *liber pater*

De eius vxore Proserpina arnobivs *lib. V.* p. 171. deque tribus, qui sub ipso erant, iudicibus, Aeaco, Minoe & Rhadamantho: eius ministro Charonte, qui mortuorum animas in alterum transferret orbem, deque furiis, Parcis & Harpyiis gyraldvs *histor. deor. synt. VI.* p. 201. seq. legendus est. Plutonem hunc non eumdem esse cum deo Pluto, diuitiarum præside, docet inscriptio apud gryterym p. XXI. *num.* 8.

g) Conf. etiam ciceronem *lib. II. de nat. deor. cap.* 24. Simulacra eum mox vt iuuenem, mox vt senem exhibent. Sæpe adparet nudus, & in capite cornua gerens, quod etiam pampineis, hedera & ficulneis frondibus ornari solebat. ovidivs *lib. IV. metam.* v. 17. ei muliebrem adsignat figuram. De tigride & panthera, ei vindicata, lege eumdem *lib. III. metamorph.* v. 666. Eius comites Sileni, Satyri, Bacchæ, Thiyæ, Mimallones & Bassarides nymphæ fuere.

h) Eamdem ob rationem ei thyrsus, vua & cantharus adscribitur: lege tibvllvm *lib. II. eleg.* 2. diodorvm *Siculum lib. II.* p. 212. tacitvm *lib. XI. annal. cap.* 31. propertivm *lib. III. eleg.* 3. & sidonivm apollinarem *carm. XXII.* v. 30. Vindemia redeunte, Bacchum sacrificiis aliisque sacris ceremoniis & Græci & Romani honorare solebant: conf. 10. dovgtævm *analect. vet. test. exerc.* 155. p. 413. seq. isaac. casavbonvm *de poesi satyrica lib. I. cap.* 5. & ezech. spanhemivm *not. ad Aristoph. nub.* v. 310. p. 281. ed. kvsteri. Bacchus & inter deos artis medicæ tutelares locum habuit, quod mul-

pater apud CVRTIVM, *Lyæus*, *Bromius* apud OVIDIVM *lib. IV. metam. v.* 11. Insignia eius scripsit eleganter SILIVS *lib. VII. v.* 195. Vitia & crimina eius ostendit LACTANTIVS *lib. I. cap.* 10. §. 8.

CAP. XVII.

DE CASTORE ET POLLVCE.

§. I.

HI *Dioscuri*, id est, Iouis filii i), *in actis apostolorum* vocantur. k) Sed alter tantum Iouis putabatur, alter hominis filius; qui vero ita amore iuncti fuissent, vt immortalis mortali alternas vi-

multis exemplis DAN. VINCKIVS *amœnitat. philologico-medicis cap. I.* §. 6. probauit. Plura de hoc numine adferunt: LAVRENT. BEGERVS *diss. de Cranaë inf.* p. 26. IO. HENR. EGGELINGIVS, *myst. Cereris & Bacchi tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII, p. 57. ANT. VAN DALE *diss. IX. ad antiquit. & marmor. spectant.* p. 84. seq. CHRIST. KORTHOLTVS *not. ad Iustinum martyr.* p. 19. ed. GRABII: IAC. SPONIVS *miscell. erud. antiq.* p. 25. aliique plures apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 239.

i) Alii dicunt, Pollucem & Helenam Menelai vxorem, Iouis; Castorem & Clytemnæstram, quæ Agamemnoni nupsit, Tyndari liberos fuisse.

k) Eorum sidera coniuncta nautis periclitantibus salutem adferre credebantur, vnde & sæpe naues ab iis nomen suum accipiebant, vt ex memorato ab auctore loco *Actor.* XXVIII, 11. patet: adde IO. ALBERTI *obs. sacr.* p. 288. EZ. SPANHEMIVM *not. ad Callimachum* p. 556. & *de vsu & præst. numism. tom. I.* p. 475. vbi plura de his Dioscuris leguntur; & VIRGILIVM *lib. VI. Aeneid.* v. 121.

Landesbibliothek Oldenburg

vices in cælo concesserit: vid. SILIVS *lib. IX. v.* 295. & *lib. XIII. v.* 805. l) MINVCIVS FELIX *cap. XXI.* §. 16. Mater ipsorum Læda, Lacedæmonia.

§. II.

Aetas fuit breui ante Troianum bellum, quia socii erant belli Argonautici. Præsides artis equestris, pugilatus & aliorum certaminum credebantur: item fausta sidera nauigantium. Vid. MINVCIVS *cap. VII.* §. 3. & *cap. XXI.* §. 5.

CAP. XVIII.

DE BONA DEA. m)

SIC FAVNA siue FATVA, antiquissima regina, fuit adpellata, & a matronis & virginibus Ve-

l) Quod ideo fictum a paganis hominibus esse videtur, quoniam in sidus geminorum translati esse dicebantur, quorum alter vbi oritur, alter occidit. Vterque & Castor & Pollux *Castores* dicebantur: conf. HENR. DODWELLVS *præl. Cambelen.* p. 694.

m) Bona dea eadem, quæ Vesta prisca siue tellus fuit, ideoque ab auctore ad deos selectos referri debuisset. In inscriptionibus sæpe *magna mater deum*, *mater magna*, *mater Idæa*, *dea Phrygia*, *mater Berecynthia* vocatur: conf. MACROBIVS *saturn. lib. I. cap.* 12. AVGVSTINVS *de ciuit. Dei lib. VII. cap.* 24. & inprimis LVCRETIVS *lib. II. v.* 598. De hoc numine singularem commentationem LAVRENT. PIGNORIVS sub hac inscriptione edidit: *magnæ deum matris Idææ & Attidis initia, ex vetustis monumentis eruta*, quæ *tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 505. exstat. Ab Iside numen hoc distinctum fuisse, probat inscriptio apud GRVTERVM p. XVII. *num.* 2. Taurobolium huic

Vestalibus ita culta in pontificis siue consulis domo, vt nefas & summum piaculum esset, vllum masculum hominem per eos dies intra ædes illas versari. Quibus sacris quum Clodius ancillæ vestibus irrepsisset, & in ea caussa Cicero testimonium perhibuisset, inexpiabile odium Clodii aduersus Ciceronem exortum est. CICERO sæpe huius rei meminit *pro Milone cap. III. & V.* & *pro domo*; maxime vero de *haruſp. resp. cap. XVII.* & *parad. IV.* vbi *opertum bonæ deæ* vocatur propter illam occultationem. LACTANTIVS etiam consuli potest *lib. I. cap.* 22. §. 9. & *lib. III. cap.* 20. §. 4.

CAP. XIX.

DE HERCVLE.

§. I.

HERCVLES, n) qui & *Alcides* vocatur, VIRGIL. *eclog. VII. v.* 61. & *lib. VI. Aeneid. v.* 801. ex illo numero deorum est, qui propter me-

huic numini, vt Attidi criobolium, proprium fuit, de quo VAN DALE *diss. IX. ad ant. & marmora spectant.* p. 1. seq. & IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pont. lib. IV. cap.* 13. legendi sunt.

n) De exuuiis leonis, quibus Hercules ornatus in antiquis conspicitur monimentis, deque pomis eius aureis, ac clava, a qua ab OVIDIO *lib. I. fast. v.* 543. *clauiger* dicitur, deque arcu & sagittis eius videndi sunt: ALBRICVS *de deorum imaginibus cap. XXII.* MICH. ANG. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE *de simul. deor. cap. XXX.* HIERON. ALEANDER *tab. Heliac. explic. tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 715. & GER.

merita & præclare facta fuerint consecrati. Multa de eo fabulati sunt & duodecim eius laboribus, quæ

IO. VOSSIVS *de idololatr. lib. II. cap.* 15. in primis PETR. DAN. HVETIVS *demonstrat. euang. propos. IV.* p. 273. consulendus est, qui in originem numinis huius adcurate inquirit. Habebatur in numero deorum vialium, vnde & itinera facturi ipsi supplicare solebant; qua de re EVERH. OTTO *de tutela viar. publ. part. I. cap.* 10. p. 178. seq. & NIC. BERGIER *de publ. & militar. imp. Rom. viis lib. IV. sect.* 43. §. 10. legantur. De Hercule *somniali*, qui incubantibus in eius templis somnia mittere credebatur, CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plin.* p. 248. & IAC. SPONIVS *de aris ignotor. deor. tom. VII. thes. ant. Rom.* GRONOVII p. 268. & *miscell. erud. ant.* p. 100. exponunt. De Hercule Saxano, Tiburtino, Tricoso IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. V. thes. ant. Rom.*, de Hercule *inuicto* IAN. BROVCKHVSIVS *not. ad Tibull.* p. 74. & 400. *de Magusano* BOXHORNIVS *quæst. rom. I. de Musagete* EDMVNDVS FRIGELIVS *de statuis* p. 24. & IAC. PHIL. THOMASINVS *de donar.* p. 169. de Hercule *sancto* DAN. HEINSIVS *not. ad Ouidium lib. VI. fastor.* v. 213. & IO. PASSERATIVS *not. in Propert. lib. IV. eleg.* 10. v. 71. conferri possunt.

Herculem hunc Sabinos *Sancum* adpellasse, Romæque *dei fidii* nomine cultum esse, FESTVS voc. *propter* & VARRO *de lat. lingu.* p. 14. ex recentioribus vero IO. MICH. DILHERRVS *disp. tom. I.* p. 65. probant, quo & inscriptiones apud GRVTERVM p. XCVI. *num.* 5. seq. pertinent, vbi deus ille Fidius SEMO SANCVS adpellatur. Indigetes enim dii *semones* haud raro dicti sunt. Eiusmodi inscriptionem IVSTINVM *martyrem* fefellisse, vt Simoni mago statuam erectam fuisse crediderit, dudum solide, præsertim contra pontificis romani sectatores, ab eruditissimis viris, quos venerandus pater *hist. eccl. sec. I. cap.* 4. *sect.* 1. §. V.

quæ quod non omnia concordabant, pro more etiam plures finxere Hercules: vid. CICERO de *nat. deor. lib. III. cap.* 16.

§. II.

Plures Hercules tradunt nobis ii, qui interiores & reconditas litteras scrutantur, ibidemque sex numero narrant. Sed hæc ita commiscentur, vt tamen vulgo, vnum fuisse, creditum fuerit, qui ex Hispania bellum per Italiam in Indiam vsque protulerit. Notæ sunt etiam *tragœdiæ*, quæ Senecæ tribuuntur, *Hercules furens* & *Hercules Oetæus*. Vitia eius & refutationem diuinitatis habet LACTANTIVS *lib. I. cap.* 9. Et quoniam in hoc falso numine nomina deorum finiemus, ἐπίκρισις adhuc adiicienda est Ciceronis ex *lib. III. de nat. deor. cap. XV: Iam vero in Græcia multos habent ex hominibus deos, Herculem, Aesculapium,* o) *Tyn-*

§. V. p. 476. memorauit, est monstratum. De reliquis Herculis cognominibus SAM. PITISCVS *lexic. antiq. Rom. tom. II.* p. 268. consulendus est.

o) Aesculapius præsertim artis medicæ deus tutelaris fuit, qui vel a patre, vel a Chirone Centauro, cui alendum eum pater tradiderat, artem hanc didicit, vt veteres perhibent. Eum insigni legatione Epidauro expetitum, forma draconis in Italiam venisse, VALERIVS MAXIMVS *lib. I. cap.* 8. §. 2. aliique testantur. Mortuos illum resuscitasse, & a Ioue, ne plures mortales artem medicam discerent, fulmine deletum fuisse, poetæ fingunt. Multa habet in antiquis inscriptionibus cognomina, vel ab eius sanandi peritia, vel a locis, vbi inprimis est cultus, sumta. Fingitur modo barbatus: modo imberbis, vt in nummo Antonini Pii apud EZECH. SPANHEMIVM *de vsu & præst. numism. tom.*

daridas. Romulum nostri aliosque complures, quos quasi nouos & adscriptitios ciues, in cælum receptos, putant.

Hæc

I. p. 181. Signum eius fuit draco, quem ANDR. MORELLVS *specim. rei nummar. tab. XII.* p. 132. exhibet, quod animal diis, inprimis vero Aesculapio, ob eius felicitatem, vigilantiam, salutem & potentiam, veteres adscripserunt; cuius rei forsan serpens æneus, salutis caussa in solitudine erectus, occasionem dedit; qua de re PETR. DAN. HVETIVS *demonstrat. euang. propos. IV. cap.* 8. p. 166. & EZ. SPANHEMIVS *epist. I. ad Morellum* p. 69. videndi sunt. De ipso Aesculapio eiusque cultu ex multis scriptoribus hic adduxisse sufficiat: CHRIST. CELLARIVM *diss. academ.* a venerando patre editis, p. 235. seq. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVM *diss. de Aesculapio & Hygea, diis* Φιλανθρώποις, OCTAVIVM FALCONERIVM *inscription. athleticis tom. VIII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 2343. seq. 10. HENR. SCHVLZIVM *comp. hist. medicinæ lib. I. cap.* 8. p. 44. seq. aliosque a SAM. PITISCO *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 50. memoratos. Ad deos indigetes pertinet etiam *Quirinus*, siue *Romulus*, quem semper cum armis ac hasta, vel cum fratre Remo lupam lactantem exhibet antiquitas, & de quo LIVIVS *lib. I. cap.* 16. VIRGIL. *lib. VIII. Aeneid.* v. 631. & FLORVS *lib. I. cap.* 1. legendi sunt. VERTVMNVS antiquissimus Falisscorum deus fuisse dicitur, qui frugibus autumni & mercaturæ apud Romanos præficiebatur, ac in omnes formas sese transferre mentesque humanas pro voluntate sua vertere ac disponere posse, credebatur: adde HORATIVM *lib. I. epist.* 20. v. 1. & PROPERTIVM *lib. IV. el.* 2. v. 1. seq. De *Priapo*, qui apud veteres & *Portumnus* vocabatur ac hortis præerat, eiusque obscena imagine, 10. IAC. BOISSARDVS *antiquitat. tom. VI.* p. 36. IAN. GRVTERVS *inscript.* p. XCV. & ex veteribus HORATIVS *lib. I. serm. eclog.* 8.

Hæc igitur indocti; quid vos philosophi? qui meliora? omitto illa. Et *cap. XVI: sed vt hæc concedantur*,

v. 1. seq. VIRGILIVS *eclog. IV.* v. 34. & PRVDENTIVS *Symmach. lib. I.* v. 111. consulendi sunt. Omnes eiusmodi dii ad indigetes referebantur a Romanis. Ab his *virtutes diuinæ adfectionesque animi* diuersæ sunt, quas pariter diuino prosequuti sunt cultu Romani, iisque templa & ædes consecrarunt, vti hoc de *Fortuna*, *Virtute & Honore*, *Mente*, *Pietate*, *Fide*, *Spe* aliisque numinibus tam veterum loca, quam inscriptiones perhibent, de quibus præ ceteris digni sunt, qui legantur: BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Roman.* p. 134. seq. LIL. GREG. GYRALDVS *histor. deor. synt. I.* p. 26. seq. & 10. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiquar. cap. VIII.* p. 261. Intima deorum sors comprehendebat omnia ista numina, quæ vel agris ac ruri, vel aliis vilioribus mortalium actionibus præfecti esse credebantur. Ad rusticos deos *Pan* referendus est, antiquissimus Arcadum deus & ab Euandro Romam traductus, atque ab iis etiam sub *Luperci* & *Fauni* nomine cultus, cuius figuram optime SILIVS *Italicus lib. XIII.* v. 326. p. 665. ed. DRAKENBORCHII & MINVCIVS FELIX *Octau. cap. XXI.* p. 206. ed. GRONOVII describunt. De Fistula eius, quam primus ex arundinibus compofuisse fertur, TIBVLLVS *lib. II. eleg.* 5. v. 29. & VIRGILIVS *eclog. II.* v. 31. seq. testes sunt: adde ABR. ORTELIVM *deor. dearumque capit. cap. II. fig.* 33. & ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVM *diss. de consecratis gentil. lucis* p. 183. eius *dissertationum academicar.* De *Siluano* HORATIVS *lib. II. ep.* 1. v. 139. & VIRGILIVS *eclog. X.* v. 48. conferendus est: de deo *Termino* eiusque cultu exstat dissertatio in *memoriis Treuoltinis* anni MDCCVI. mens. August. p. 1380. seq. de reliquis vero diis rusticis, tam maioribus, quam minoribus, iisque, qui variis hominum actionibus præerant, iam laudatus BVRC. GOTTH. STRVVIVS *loco memorato* egit, ad quem breuitatis caussa lectorem remittimus.

Landesbibliothek Oldenburg

tur, reliqua qui tandem non modo concedi, sed omnino intelligi possunt? quum fruges Cererem, vinum Liberum dicimus, genere quidem sermonis nos vtimur vsitato; sed ecquem tam dementem esse putas, qui illud, quo vescamur, deum esse credat? Nam, quos ab hominibus peruenisse dicis ad deos, tu reddes rationem, quemadmodum id fieri potuerit; aut cur fieri desierit? & ego discam libenter.

§. III.

Post Ciceronem autem crebro factum, vt imperatores in numerum deorum referrentur; verum illud irridet etiam PLINIVS *paneg. cap. II.* adde LACTANTIVM *lib. I. de falsa relig. cap.* 15. Tales in deorum numerum relati, vt sæpe loquitur EVTROPIVS, dicebantur potius *diui*, quam *dei* latine, vt *diuus Cæsar*, *diui fratres*, id est, Marcus & Lucius Antonini. Græci autem non distinguunt inter diuum & deum; sed vterque Θεὸς & STRABO sæpe Καῖσαρ ὁ Θεὸς *lib. VIII. X. & XIII.* Adde PÆANIVM *lib. VII. cap.* 8. §. 6. Euectio ad eiusmodi honorem diuinum vocabatur latine *consecratio*, Græce ἀποθέωσις, cuius ritum HERODIANVS descripsit.

SECT. II.

DE COLLEGIIS SACRIS.

CAP. I.

DE COLLEGIIS SACRIS AC SACERDOTIIS GENERATIM. p)

CICERO *de haruſp. resp. cap. IX.* distinguit eiusmodi

p) De sacerdotibus, siue iis, qui apud veteres Romanos sacro-

modi collegia atque munera nonnulla. *Maiores nostri*, inquit, *statas sollemnesque ceremonias pon-*

tifi-

crorum curam habebant eaque administrabant, generatim obseruandum est, Romulum, teste DIONYSIO *Halicarnasseo lib. II.* p. 92. iam binos sacerdotes ex singulis curiis simul cum eorum vxoribus ad sacerdotia elegisse; Numam vero Pompilium omnia ista munera in octo classes, in curiones videlicet, flamines, tribunum celerum, augures, virgines Vestales, salios palatinos, fetiales & pontifices diuisisse. Eligebantur isti ex viris, summa dignitate conspicuis, vt ex CICERONE *pro domo, cap. I.* disci potest, & quidem initio pontifex maximus comitiis tributis: rex sacrificulus centuriatis: flaminesque curiatis a populo; reliqui vero ab ipso collegio, vti ex LIVIO *lib. XI. cap.* 42. constat; quod vero ius eligendi sub tribunatu Cn. Domitii Ahenobarbi a collegiis ad populum, testantibus SVETONIO *vit. Neronis cap. II.* §. 1, p. 727. ed. PITISCI & CICERONE *orat. II. de leg. agrar. cap.* 7. translatum fuit. Hoc populi priuilegium postea a Sylla abrogatum; a Tito Atio Labieno restitutum: ab Antonio iterum populo ademtum; Pansa vero consule denuo plebi concessum fuit. Sub imperatoribus, qui sacerdotes eligendi potestatem sibi, vt DIO CASSIVS *lib. LI.* p. 457. refert, vindicarunt, numerus sacerdotum valde auctus est. Per legem priscam, ad quam DIO CASSIVS *lib. XXXIX.* p. 99. prouocat, duo ex vna gente in vno sacerdotio esse, non potuerunt, quapropter etiam nepotum Augusti alter pontifex, alter vero augur fuit, vt inscriptio apud GRVTERVM p. CCXXXIV. *num.* 4. docet; filius tamen sine vlla difficultate patri succedere potuit, quemadmodum ex CICERONE *orat. philippic. XIII. cap.* 5. patet. Sacerdotum plurium munera per vitæ tempus durabant, vt DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II.* p. 92. & PLVTARCHVS *quæst. LXVII.* huius rei testes sunt: conf. CAROL. SIGONIVM *de iur. Rom. lib. I.*

cap.

tificatu : rerum bene gerendarum auctoritates augurio : fatorum veteres prædictiones Apollinis, vatum libris ; portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri putarunt. Quibus verbis CICERO distinguit quatuor collegia : pontificum, augurum, decemuirum, siue quindecimuirum & tandem aruspicum. q) CAP.

cap. 19. & IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontif. lib. I. cap.* 8. p. 15. Erant immunes ac liberi non solum a militia, sed etiam ab omnibus oneribus, quæ extra ordinem erant præstanda; qua de re DIONYSIVS *Halicarnasseus loc. memorato*, APPIANVS *bell. ciuil. lib. II.* p. 306. & SYMMACHVS *lib. X. ep.* 54. legendi sunt. Vtebantur toga prætexta : capitis ornamenta erant apex, tutulus ac galerus. In nummis modo cum calceis, modo nudis pedibus sacrificantes exhibentur. Sacerdotes ipsi commode in duas classes diuidi possunt. Nonnulli singularis cuiusdam dei sacris præfuerunt. Sic *Luperci* Panis : *Potitii* Herculis : *Sodales Titii* Sabinorum deorum : *Salii* Martis : *Vestales virgines* Vestæ sacerdotes fuerunt. Alii contra ea nulli certo numini addicti erant ; sed generatim certa sacra administrarunt, vt pontifices, qui toti præerant religioni rebusque ad deorum cultum pertinentibus : fratres aruales, qui pro arborum frugibus : curiones, qui pro curiis sacrificabant : augures, qui auspicia curabant, quo & aruspices, feciales, quindecimuiri sacris faciundis : rex sacrificulus : septemuiri epulonum aliique referri debent; conf. CAROLVS SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 19.

q) GISB. CVPERVS *lib. IV. obs. cap.* 13. obseruat, quatuor summa pontificum collegia fuisse, pontificum, augurum, quindecimuirum & septemuirum Epulonum; non autem aruspicum, vti noster auctor putat. Idem cum CVPERO probant : HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisanis diss. II. cap.* 5. & 10. GEORG. GRÆVIVS

Cap. II.

DE COLLEGIO PONTIFICVM.

§. I.

Pontifices erant, penes quos cura religionis ac ceremoniarum fuit. Rex Numa constituit, creatis pontificibus patricii generis quatuor, quibus deinceps additi quatuor plebeii, vt octo essent. LIVIVS *lib. IV. cap.* 4. dicit: *pontifices, augures, Romulo regnante, nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt*, & *lib. X. cap.* 6. *rogationem promulgarunt, vt, quum quatuor augures quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes adlegerentur*, & *cap.* 9. *octo pontificum, nouem augurum numerus factus.* r) D 5 §. II.

VIVS *præf. ad tom. V. thes. ant. Rom.* Præter antiquiores, VARRONEM, FABIVM PICTOREM aliosque, de sacerdotum Romanorum iuribus, priuilegiis atque officiis commentati sunt: POMPONIVS LÆTVS *de sacerdotiis Romanorum*; RAPHAEL VOLATERRANVS *de magistrat. & sacerdot. Rom.* qui duo scriptores a PHILIPPO CAROLO iunctim *antiquitatibus Rom.* p. 267. seq. additi sunt: ONVPHR. PANVINIVS in prioribus CXLV. *capitibus* eius *libr. de ciuitate Romana*: PAVLLVS MERVLA *tract. de sacerdotibus Romanorum*: IAC. GVTHERIVS *lib. IV. de vet. iur. pontificio*: CAROL. SIGONIVS *de antiquo iure ciuium Roman. lib. I. cap.* 19. Non est, quod GVIL. SCHOVLII, WOLFGANGI LAZII aliorumque mentionem faciam, qui a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar. cap. XIII.* p. 451. & BVRC. GOTTH. STRVVIO *synt. ant. Rom.* p. 555. percensentur.

r) Sulla postea numerum pontificum auxit, &, vti ex hoc, ab auctore excitato, LIVII loco patet, illos, qui olim

§. II.

Pontifices quatuor patricii *maiores* dicebantur, plebeii *minores*. Ita inscriptiones apud GRVTERVM p. 361. *num.* 1. & p. 370. *num.* 3. PONTIFICI MAIORI: vid. CICERONEM *de aruſp. reſp. cap. VI.* & LIVIVM *lib. XXII. cap.* 57. qui scribit: L. *Cantilius, ſcriba pontificis, quos nunc minores pontifices adpellant.*

§. III.

Et pontifices & augures dicebantur *ſacerdotes*, eorumque munera *ſacerdotia*, erantque ita in sacris

olim scribæ apud pontifices fuerunt, ipsorum pontificum ordini adnumerari voluit. Eiusmodi scribæ inscriptio apud GRVTERVM p. CCCVI. *num.* 6. mentionem facit, vbi de Q. Ingenuo Maximiano traditur, quod fuerit SCRIB. PVBLICVS PONTIF. Toti collegio, quod ante octo constitit viris, septem addidit hic Sulla, &, vt illi *maiorum*, ita hi *minorum* nomen nacti sunt, vti ex GRVTERO *inscript.* p. CCCLX. *num.* 4. p. CCCCXI. *num.* 1. p. CCCCXXIII. *num.* 4. constat: adde ONVPHR. PANVINIVM *de ciuitate Rom. cap. XXXIII.* ANDR. DOM. FLOCCVM *de poteſt. Rom. lib. I. cap.* 8. p. 163. POMPONIVM LÆTVM *de ſacerdot. Rom. cap. X.* p. 277. & HENR. NORISIVM *cenotaph. Piſan. diſſ. I. cap. V.* Vsque ad annum vrbis Romæ DCL. ab ipso collegio pontifices electi & cooptati sunt; post hoc vero tempus per legem *Domitiam* ipsa electio collegio erepta & ad populum translata est. Magna quidem fuit pontificum auctoritas; tribunis tamen plebis parere debebant, teste CICERONE *pro domo, cap. XLV.* Lege IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontificio lib. II. cap. II. tom. V. theſ. ant. Rom.* GRÆVII p. 101. Sacerdotes etiam aliis reipublicæ officiis fungi potuisse, patet ex ANT. VAN DALE *diſſ. IX. ad ant. & marm. ſpect.* p. 42.

cris collegiis, vt & senatores simul possent esse, summisque honoribus consulatus, præturæ ac similibus præfecti. Non ergo ipsi pontifices sacrificarunt; sed ministri & viliores homines, qui *sacrificuli* ac *popæ* s) vocabantur. Pontifices autem tantummodo curam & inspectionem sacrorum & ceremoniarum habebant. t)

CAP.

s) *Popæ* ii fuerunt, qui victimas ad aras ducebant, easque malleo percutiebant: conf. OVIDIVS *lib. I. fastor.* v. 319. Alii erant *cultrarii*, qui victimæ cadenti cultrum supponebant, de quibus SVETONIVS *vit. Caligul. cap. XXIX.* videri potest; alii vero *victimarii*, qui aquam, molam atque ignem in aris parare solebant, teste LIVIO *lib. XL. cap.* 29. adde IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontificio lib. II. cap.* 14. p. 108. ADR. TVRNEBVM *aduersar. lib. XVIII. cap.* 5. IO. SAVBERTVM *de sacrific. cap. VI.* SAM. PITISCVM *not. in Sueton. vit. Calig. cap. XXXII.* §. 8. p. 577. aliosque, qui in eiusdem *lex. ant. Rom. tom. III.* p. 123. memorantur.

t) Omnes res, quæ ad religionem ac deorum cultum rite instituendum spectabant, senatus ad pontificem maximum remittebat, qui collegio eas proponere & latam ab isto sententiam senatui renuntiare debebat, vbi sæpe fiebat, vt in difficilioribus caussis & alii sacerdotes convocarentur. Vtrumque ex LIVIO *lib. XXXIV. cap.* 44. & CICERONE *pro domo cap. VII.* patet, quem locum egregie illustrat BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap. XII.* p. 584. Vbi tamen probe est obseruandum, pontifices a senatu in iis potissimum rebus, quæ ad sacra diiudicanda pertinebant, consultos esse; de reliquis vero caussis ipsum senatum sententiam dixisse, omniaque disposuisse, vti hoc de procuratione portentorum ex LIVIO *lib. I. cap.* 20. de destruendis Serapidis & Isidis fanis ex DIONE CASSIO *lib. XL.* p. 142.

Cap. III.

DE PONTIFICE MAXIMO.

§. I.

Pontificvm collegio & omnibus aliis sacris collegiis, vt augurum, vestalium u) cet. præerat pontifex maximus summa auctoritate, quem Numa instituit, teste LIVIO *lib. I. cap.* 20. *Huic*, inquit, *sacra omnia exscripta exsignataque adtribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subiecit, vt esset, quo consultum plebs*

142. de edicendo nouendiali sacro ex LIVIO *lib. XLII. cap.* 3. de supplicationibus decernendis ex eodem scriptore *lib. XXXI. cap.* 8. patet. Sæpe vnus pluribus sacerdotiis simul præerat. Videantur ANT. VAN DALE *diss. IX. ad antiqu. & marmora spect.* p. 8. & 81. & CHIFFLETIVS *in Geminio titulo sepulcral. tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 619.

u) Pontifex maximus, vti in omnia sacerdotia, ita inprimis in virgines vestales imperium habebat, quemadmodum ex OVIDIO *lib. III. fast.* v. 417. constat. Eas singulari ritu capiebat, teste A. GELLIO *lib. I. cap.* 12. p. 76. ed. GRONOVII, ac de criminibus & delictis earum cum collegio sententiam ferebat, testibus CICERONE *de haruspic. resp. cap. VII.* & LIVIO *lib. IV. cap.* 44. p. 308. Quapropter etiam a PLVTARCHO *vit. Num.* p. 44. ἐπίσκοπος vestalium dicitur, IVST. LIPSIVS *syntagm. de Vesta & Vestal. cap. V. & VI. tom. III. operum* p. 1084. seq. PAVLLVS MANVTIVS *de legibus cap. II.* in *Rosini antiquit. Rom.* p. 825. & BARNAB. BRISSONIVS *de formul. lib. I.* p. 118. pluribus monstrant.

Landesbibliothek Oldenburg

plebs veniret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo, turbaretur. Nec cæleſtes modo ceremonias, ſed iuſta quoque funebria, placandosque Manes, vt idem pontifex edoceret: quæque prodigia fulminibus alioue, quo viſo miſſa ſuſciperentur atque curarentur. x)

§. II.

x) Nomen *maximi* etiam ii acceperunt, qui in collegio, vbi erant, principes fuerunt: lege ANT. VAN DALE *loco excit.* p. 97. Officia ac munera pontificis maximi ad has potiſſimum partes reduci poſſunt: I) præpoſitus erat toti cultui diuino omnibusque rebus ſacris, curabatque ea, quæ ad ceremonias ſpectarunt, ac prouidebat, ne religio detrimentum caperet, vti ex TACITO *lib. II. cap.* 91. PLVTARCHO *vit. Numæ* p. 67. & LIVIO *lib. I. cap.* 20. p. 30. ed. CLERICI conſtat, quo & referenda eſt inſcriptio apud IAC. GVTHERIVM *de iur. vet. pontificio, lib I. cap.* 12. p. 27. vbi CONSERVATOR CEREMONIARVM PVBLICARVM pontifex maximus vocatur: II) vbi actus religioſi, vt dedicationes templorum, vota, obſecrationes aliique huius generis ritus inſtituebantur, præibat pontifex maximus, adhibitis certis ac ſtatutis dicendi formulis, quas SENECA *conſolat. ad Martiam cap. XIII.* p. 266. *pontificale* adpellat *carmen*, cui LIVIVS *lib. V. cap.* 41. p. 381. & VALERIVS *Maximus lib. VIII. cap.* 13. §. 2. p. 724. ed. THYSII aliique adiungendi ſunt: III) anni diſponendi atque annalium conficiendorum curam habebat, vt MACROBIVS *lib. I. ſaturnal. cap.* 12. p. 242. & *lib. III. cap.* 2. p. 387. item CICERO *de oratore lib. II. cap. II.* p. 105. confirmant, quo & SVETONIVS referendus eſt, quando de Auguſto *cap. XXX.* refert, eum, vt pontificem maximum, annum ad priſtinam redegiſſe rationem: IV) cognoſcebat de cauſſis adrogationum atque adoptionum, vti hoc ex GELLIO *lib. V. cap.* 19. p. 338. ed. GRONOVII & CICERO-

§. II.

Propter necessitatem sacrorum non licebat ei, extra Italiam proficisci, primusque, qui egressus est, Publius Licinius Crassus, consul & simul pontifex maximus, qui contra Aristonicum profectus in

CERONE *pro domo cap. XIV.* patet; vbi tamen notari debet, non ipsos pontifices rogationem ad populum tulisse; sed eos solum arbitros in hac caussa fuisse: adde CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 10. V) pari modo & de caussis, quæ ad matrimonia spectabant, iudicabat. Reliqua, quæ inprimis in vestalium virginum caussa ipsi tradita erant, officia silens transeo. Præterea multa iura ac priuilegia cum pontificatu maximo erant coniuncta. Omnes sacerdotes, immo etiam rex sacrorum, teste LIVIO *lib. II. cap.* 2. ipsi erant subiecti. Habitabat in domo publica, quam priscum Numæ palatium prope Vestæ templum fuisse, EX SVETONII, DIONIS CASSII, PLVTARCHI aliorumque testimoniis comprobat BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom.* p. 581. Eius insignia ac vestes, quæ prætexta, lituus, albogalerus & instrumenta sacrificiorum fuerunt, tacitus prætereo. Num pontifex maximus legis ferendæ habuerit potestatem? num Italia abesse potuerit ac imperio & iure exercitum imperandi præditus fuerit? disquirit IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. I. cap. XIII. seq.* p. 28. seq. Primum pontificem Numa, teste LIVIO *lib. I. cap.* 20. creauit, &, quoniam idem *lib. IV. cap.* 14. plurium, a Numa creatorum, pontificum meminit, coniici facile potest, in priori loco supremi in numero pontificum solam fieri mentionem, qui postea *maximus* est cognominatus. Circa bellum Punicum primus T. Coruncarius ex plebe honorem hunc obtinuit, vt VELLEIVS *lib. I. cap.* 128. testatur. Ipsos pontifices maximos veteris Romæ recenset ONVPHRIVS PANVINIVS *lib. V. fastor. Rom.* p. 94. & 330. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

in Asiam, victus cæsusque fuit, de quo LIVII *epitome* LIX. consulatur. Postea lex illa & consuetudo negligebatur, vt exemplo Iulii Cæsaris, itidem pontificis maximi, & post eum Marci Lepidi abunde constat.

§. III.

Etsi autem cura & dignitas eius fuerit amplissima; tamen non in magistratibus numerabatur; sed in priuatis, vt CICERO clare dixit *orat. I. Catilin. cap. I.* quod Scipio Nasica pontifex maximus Tiberium Gracchum priuatus interfecerit.

§. IV.

Tanta autem auctoritas y) tantumque momentum in pontificatu maximo erat positum, vt imperatores augusti inde ab Octauio Augusto semper hoc munus & titulum sibi reseruauerint; z) nec

y) Quamuis pontificis maximi dignitas esset summa; tamen & ipsi collegio, sine quo nihil fere suscipere poterat, erat subiectus, &, quum suam potestatem a populo pariter ac toto collegio nanciscereturr, prouocatio ab ipso ad collegium & a collegio ad populum locum habebat: conf. LIVIVM *lib. XXXIV. cap.* 44. *lib. XXXVII. cap.* 51. & LAMPRIDIVM *vit. Alex. Seueri cap. XXI.*

z) Quum enim omnis respublica religionum ceremoniis & legibus humanis continetur, imperatores Romani, ne quidquam absolutæ eorum potestati deesset, & summum hoc sacerdotium sibi vindicarunt. Post Lepidi mortem Augustus pontificatum maximum suscepit, quem honorem populus, viuo adhuc Lepido imperatori suo detulerat; recusauerat vero eum tam diu, quam Lepidus in vita erat, vt APPIANVS *bell. ciuil. lib. V.* p. 746. refert, cui SVETONIVS *vit. Augusti cap. XXXI.*

nec postea alius apud Romanos vsque in christiana tempora pontifex maximus factus est, qui non idem imperator esset, cæsar & augustus.

CAP.

XXXI. §. 1. adiungendus est. Vsque ad tempora Alexandri Seueri vnum tantum fuisse pontificem maximum, hocque honorificum nomen imperatores non solum gessisse, sed etiam ipsos sacra administrasse, christianosque cæsares vsque ad Gratianum adpellationem hanc retinuisse, fuse probat IO. ANDR. BOSIVS *exercitationibus* duabus: altera *de pontifice maximo Romæ veteris:* altera vero *de pontificatu maximo imperatorum Romanor.* quæ eiusdem *notitiæ scriptorum ecclesiasticorum* p. 219. additæ sunt, & exstant etiam *tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII, p. 225. seq.

Merito quæritur: num, quando plures imperatores simul imperium tenuerunt, omnes; an vnicus solum ex iis pontificatum maximum gesserit? PANVINIVS, BVLENGERVS, ROSINVS, aliique existimarunt, omnes simul eo nomine vsos fuisse; GVTHERIVS vero & SELDENVS crediderunt, omnes quidem pontifices adpellatos esse; vnum autem ex illis eumque solum pontificem maximum fuisse. Ab his discedunt BOSIVS, SPANHEMIVS, NORISIVS AC PAGIVS, qui adfirmant, sub regimine Balbini ac Pupieni demum introductam esse consuetudinem, pluribus simul *pontificis maximi* adpellationem adsignandi. Quæ omnia diligenter percenset BOVHIERIVS in *Dissertation sur le grand Pontificat des Empereurs Romains*, edit. Diuion. MDCCXLII. vbi ex inscriptionibus probatur, quod iam sub Tito & Vespasiano consuetudo hæc, pluribus simul nomen istud honorificum vindicandi, fuerit. De eodem argumento etiam IACOB. ELSNERVS *schediasmate critico, quo auctores aliaque antiquitatis monimenta emendantur, vindicantur & exponuntur, cap. vlt.* commentatus est: adde ANT. VAN DALE *diss. IX. antiquit. & marm. illustr. inseruient.* p. 175. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. IV.

DE COLLEGIO AVGVRVM.

§. I.

Avgvres dignitate non impares erant pontificibus, adeoque auguratus munus clarissimum. a) Differentia inter auguratum & pontificatum supra in pontificibus ex Cicerone *de haruſp. reſp. cap. IX.* demonstrata fuit, quod statæ sollemnesque ceremoniæ pontificatu: rerum bene gerendarum

a) Augures primum Romulus instituit, quumque tres essent antiquitus tribus, Ramnes, Titienses & Luceres; ita totidem etiam augures constituit, ac singulis tribubus proprium dedit augurem, teste Livio *lib. IV.* p. 219. Postea quartus augur, & sine dubio a Seruio Tullio, qui & quartam addidit tribum, adiectus est. Hi omnes ex patriciis legi solebant, donec anno vrbis CCCCLIV. his quatuor auguribus quinque & ex plebeiis accesserunt, vt Livivs *lib. X. cap.* 6. p. 194. & *cap.* 9. p. 197. refert. Sulla deinde numerum eorum ad XV. auxit, ita, vt plenum collegium augurum constitueretur, cui qui præsidebat, *magister collegii augurum* dictus est. Munus eorum potissimum in eo consistebat, vt de rebus tam publicis quam priuatis earumque euentu ex auium volatu & cantu ac tripudio voluntatem deorum cognoscerent ac de futuris rebus pronunciarent: conf. Ciceronem *lib. II. de legibus cap.* 8. Livivm *lib. IV. cap.* 31. Sæpe hoc munus cum aliis ciuilibus officiis coniunctum fuit, teste Cicerone *lib. X. epist.* 4. *ad famil.* quod & multæ apud Gryterym inscriptiones confirmant. Ne auguralis scientia arcana plebi innotesceret, sacerdotium hoc nemini, ne ob maxima quidem flagitia, adimi potuit: lege Plvtarchvm *quæst. Rom. XCVII.*

gerendarum auctoritates augurio contineantur. Idem CICERO *lib. I. de nat. deor. cap.* 44. ita effert : *cur sacris pontifices, cur auspiciis augures præsunt?* Munus ergo illorum erat, auspicia & auguria, b) hoc est, initia omnium rerum sollemnium & publicarum procurare.

§. II.

b) Haud abs re erit, quædam hic breuiter ac strictim de scientia augurali veterum Romanorum addere. Vti ex CICERONE *lib. II. de diuinat. cap.* 6. videmus, sex diuinationum fuerunt genera. Illæ enim ex extis, auibus, sideribus, sortibus, somniis & librorum fatidicorum libris sumi solebant. Ad auguralem disciplinam quod adtinet, auspicia petebantur :

I. *ex auibus*, partim ex earum cantu : partim ex volatu, & vt illæ *oscines*, ita hæ *præpetes* atque *alites* nuncupabantur : conf. CICERONEM *lib. I. de diuinat. cap.* 53. FESTVM voce *præpetes :* A. GELLIVM *lib. VI. cap.* 6. & SERVIVM ad *Virgilii lib. III. Aeneid.* v. 261. Omnia, tam bona, quam infausta, non solum ex ipsa cæli parte, quæ ab auguribus baculo curuo, *lituo* dicto, designata erat & *templi* nomen habebat, vbi mox sinistra, mox dextra eius pars pro bono existimabatur signo; sed etiam ex ipsis auibus earumque diuersis speciebus pendebant; vbi tamen vero obseruari debet, quod priscam illam, a Romulo introductam, Etruscam disciplinam auguralem Numa immutauerit.

II. *Ex pullis*, qui in cauea, *auguraculi* nomen habente, a *pullariis* adseruabantur. His *offa* siue puls offerebatur, quem si auide accipiebant, & aliquid ex illo in terram decidebat, pro optimo habitum est augurio. Dictum illud fuit *tripudium solistimum*, quod idem est ac *terripauium*. Veteres enim vocabulum *pauire* pro *ferire* vsurparunt. Nam aliqua offæ pars in terram cadere, pullus vero terram *pauire*, id est, ferire debebat; quamuis alii *tripudium* a tripode ortum esse credant:

conf.

§. II.

Hi quoque *sacerdotes* dicebantur & auguratus *sacerdotium*, vt ex PLINIO *lib. IV. epist.* 8. adparet,

 quod

conf. CICERO *lib. II. de diuin. cap.* 34. PLVTARCHVS *Grach.* p. 832. FESTVS voce *puls*, p. 386. *auctor. latin. lingu.* GOTHOFREDI, LIVIVS *lib. X. cap.* 40.

III. *Ex cælo*, quum augures ex tonitru, fulgure & fulminibus, quorum varia, testibus SENECA *lib. II. nat. quæst. cap.* 39. & AMMIANO MARCELLINO *lib. XXIII.* p. 341. exstitere genera, futurarum rerum euentum prædicerent, quod augurium tantam apud veteres sibi vindicauit auctoritatem, vt & ipsa comitia disturbare ac distrahere potuerit, quemadmodum ex LIVIO *lib. XL. cap.* 42. constat. Petebantur a diis eiusmodi fulmina, id quod *impetrare*, a quo vocabulo nota illa augurum loquendi formula, *impetritum*, orta est, ac *Iouem elicere* adpellabant: conf. PLINIVS *lib. II. cap.* 53. LIVIVS *lib. I. cap.* 31. *lib. XXVIII. cap.* 2. VIRGILIVS *lib. IX. Aeneid.* v. 630. LVCANVS *lib. I.* v. 533.

IV. *Ex diris*, siue signis tristibus, de quibus præter ceteros CICERO *lib. I. de diuinat. cap.* 17. & OVIDIVS *lib. XV. metamorph.* videndi sunt. Ipsa auspicia, vbi ad loca, iis destinata, referuntur, triplicis erant generis: I. *vrbana*, quæ vel in singulari montis Palatini loco, *arcis auguratorii* & *auguraculi* nomen habente; vel in omnibus vrbis collibus, si Auentinum montem exceperis, post noctem mediam haberi potuerunt ab auguribus, qui læna vel trabea induti, capite velato, tam sedentes, quam cubantes cum suo lituo cæli regiones in quatuor partes diuidere, ac cum votis & precibus auguria exspectare solebant: II. auspicia *extra vrbem*, quæ omnes maiores magistratus in locis septis & sub libero positis cælo, adhibito augure, vel in ipso tabernaculo, vel extra istud, capiebant, & tentorio rite capto, sacrificiisque peractis, signa cælestia a Ioue expetebant & immotis oculis serenum cælum intuebantur:

quod persæpe a summis viris & consularibus ambiebatur, vnde dignitas eius inclarescit. Sic Cicero, Appius Pulcher & Plinius iunior augures fuere, omnes consulares. Initio quatuor tantum erant, a Numa Pompilio constituti: vide LIVIVM *lib. IV. cap. 4. & lib. X. cap. 6.* Quinque additi sunt postea plebeii, eodem *lib. X. cap. 6. & 9.* Sulla auxit, vt essent quindecim, quibus vnum denuo superaddidit Iulius Cæsar: vid. LIVII *epitom. LXXXIX.* Auspicia & auguria curarunt præsertim in comitiis & aliis rebus magnis agendis.

§. III.

Illorum ergo erat, de cælo seruare, & si sinistrum aliquid obseruauerint, obnunciare, atque ita comitia dirimere, quod in ipsorum potestate erat. CICERO *Philipp. II. cap. 33. quid videras?* inquit, *quid senseras? quid audieras? nec enim de cælo servasse dixisti; neque hodie dicis*, & paucis interiectis: *magna tua potius, quam reipublicæ calamitate ementitus es auspicia: obstrinxisti populum romanum religione. Augur auguri, consul consuli obnunciasti.* Adde *pro domo cap. XV.* vbi dicitur: *augures responderunt, quum de cælo seruatum sit, cum populo agi non posse.* LVCANVS *lib. V. v. 395.*

nec cælo seruare licet, tonat augure surdo. c)

CAP.

tur: III. *in castris*, vbi ante aram auguralem quæcunque auguriorum exhibebantur genera. Præterea auguria erant maxime, vti euenerant, vel *oblatiua;* vel *impetrita;* vel *statiua.* De reliquis eorum generibus, pedestribus videlicet, piacularibus, caducis, aliisque taceo.

c) De auguribus videndi sunt: ONVPHR. PANVINIVS

de

Cap. V.

DE DECEMVIRIS ET QVINDECIMVIRIS SACRIS FACIVNDIS.

§. I.

HORVM munus erat, libros Sibyllinos d) adire & interpretari iussu senatus: deinde etiam

de ciuit. Rom. cap. XVII. MICH. ANG. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE *de insignib. pontif. max. tab. II.* ANDR. DOM. FLOCCVS *de potestat. Rom. lib. I. cap. 4.* p. 153. POMPON. LAETVS *de sacerdot. Rom. cap. V.* p. 271. & BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap. XII.* p. 594. De ipsis veterum auguriis, auspiciis, scientia augurali, variis diuinationum generibus, cet. scripserunt præter antiquiores, VERANIVM, APPIVM *Pulchrum* & IVLIVM *Obsequentem*, AVGVSTINVS NIPHVS *lib. II de auguriis*: IO. PIERIVS VALERIANVS *de fulminum significationibus*: IVL. CÆS. BVLENGERVS, cuius commentationes *de auguriis & auspiciis: de ominibus: de prodigiis: de terræ motu & fulminibus tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII exstant: IO. BAPTISTA BELLVS *diatr. de partibus templi auguralis*: ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS *dissertat. academ.* p. 551. & BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap. VI.* p. 252., quibus alii, a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar. cap. XI.* p. 418. memorati, adiungendi sunt.

d) Inter varios veterum Romanorum libros sacros, qui ad cultum deorum, oraculorum ac diuinationum scientiam spectabant, principem sibi vindicant locum *libri Sibyllini*, quorum historiam A. GELLIVS *lib. I. cap. 19.* p. 99. ed. GRONOVII & DIONYSIVS *Halicarnassens lib. IV.* p. 259. memoriæ prodiderunt. Adibant eos Romani tempore seditionum ac turbatæ reipublicæ, inprimis, quando prodigia aliaque funesta signa ad-

alia sacra procurare, LIVIVS *lib. X. cap.* 8. Sibyllinorum librorum historiam ad CICERONIS *orat. III. Catilin. cap.* 4. §. 9. p. 186. exposuimus, vbi CICERO *fata Sibyllina* vocat, quæ consulebantur a Romanis, quoties in magno quodam periculo consilia explicari non poterant. A Tarquinii superbi ætate custodiebantur huiusmodi libri in Capitolio vsque ad bellum Marsicum, quo, incenso Capitolio, ipsi quoque conflagrarunt. Qui vero postea libri

adparuerant. Fuerunt libri illi Romæ vsque ad bellum Marsicum, quo cum Capitolio, in cuius templi cella subterranea adseruabantur, concremati sunt, in quorum locum postea alii ex ceteris vrbibus partim delati, partim descripti libri a Romanis sunt substituti. De iis commentati sunt præter DAN. CLASSENIVM, GEORG. MOEBIVM, ANTON. VAN DALE aliosque, qui de oraculis veterum paganorum hominum exposuerunt: ONVPHR. PANVINIVS *tr. de Sibyllis*: ERASM. SCHMIDIVS *oration. de Sibyllis & libris Sibyllinis*: ISAAC. VOSSIVS *de Sibyllinis*: DAVID. BLONDELLVS *de Sibyllis*: SERVATIVS GALLÆVS *dissertationib. de Sibyllis earumque oraculis*. Multos alios, a IO. ALB. FABRICIO *biblioth. Græc. lib. I. cap.* 29. *tom. I.* p. 167. memoratos, prætereo. Quæ ad nostra tempora peruenerunt, oracula Sibyllina, a IO. OBSOPOEO & memorato SERVATIO GALLÆO in lucem edita, merito supposita & post Christum natum confecta habentur, quamuis SCHMIDIVS, VOSSIVS & IO. CRASSETVS *diss. de oraculorum Sibyllinorum veritate* eorum antiquitatem tueri voluerint. Quæ adhuc in vtramque partem de horum librorum auctoritate atque ætate sunt disputata, fuse enarrantur a SERVATIO GALLÆO, FABRICIO, quorum iam mentionem feci, ac TOBIA ECKARDO in *non-christianorum de Christo testimoniis cap. II.* p. 18.

Landesbibliothek Oldenburg

libri Sibyllini erant, collecti fuerunt hinc inde in Italia & prouinciis ex variis fragmentis vaticiniorum, quæ Sibyllarum nomen præferebant. TACITVS *lib. VI. annal. cap.* 12. *quod a maioribus*, inquit, *quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus, Sibyllæ vna seu plures fuere; datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent vera discernere. Igitur hinc quoque notioni quindecimuirum is liber subiicitur:* adde SVETONIVM *vit. Aug. cap. XXXI.* §. 1.

§. II.

Ipse Tarquinius primum duumuiros, ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο constituit ad libros istos custodiendos, vt DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. IV.* p. 259. tradit. Postea decemuiris id negotium commiserunt, & tandem quindecim. LIVIVS *lib. VII. cap.* 27. dd) *pestilentia*, inquit, *ciuitatem adorta, coëgit*

dd) Incertum est, a quo hic decemuirum ordo auctus sit. Sine dubio id Sulla fecit, qui etiam aliorum sacerdotum ampliauit numerum. Teste enim DIONYSIO *Halicarnassæo lib. IV.* p. 260. ante Sullæ tempora numerus denarius adhuc fuit; CICERONIS vero ætate quindecimuiri iam exstitere, vti ex eius *lib. VIII. epist.* 4. *ad famil. tom. I.* p. 451. ed. GRÆVII patet. SERVIVS *ad Virgil. lib. VI. Aeneid.* v. 73. postea sexaginta viros constitutos fuisse scribit; qui tamen quindecimuirum retinuissent nomen. Nemini, præter quindecimuiros, libros Sibyllinos inspiciendi facultas dabatur, quapropter & quindecimuiri ipsi, iussu Augusti, libros vetustate consumtos, vt DIO CASSIVS *lib. LIV.* p. 532. refert, describere debebant, &, vt solis his libris tempus

senatum, imperare decemuiris, vt libros Sybillinos inspicerent, eorumque monitu lectisternium fuit; & lib. XXII. cap. 9. quod non ferme decernitur, nisi, quum tetra prodigia nunciata sunt, decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur, qui, inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod eius belli caussa votum Marti foret, id non rite factum, de integro & amplius faciendum esse. Et *lib. XXXVI. cap.* 37. *eorum prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex senatus consulto decemuiui quum adissent, renunciarunt, ieiunium instituendum Cereri esse.* Sub cæsaribus autem erant quindecimuiri, vt supra ex TACITI loco constitit. Quum autem adhuc decemuiri essent, erant quinque patricii, quinque plebeii, quod LIVIVS *lib. VI. cap.* 42. obseruauit.

§. III.

His præterea etiam sacra quædam facienda commissa sunt. LIVIVS *lib. X. cap.* 8. ita scribit: *decemuiros*

pus suum consecrare possent, ab omnibus aliis muneribus vrbanis, secus ac alii sacerdotes, erant liberi. Proprie Apollinis fuerunt sacerdotes, quare etiam in domo sua tripodem æneum habuerunt, auctore SVETONIO *vit. Aug. cap. LII.* id quod & eorum nummi, qui tripodem & delphinum præ se ferunt, testantur. Apud FLAVIVM VOPISCVM *vita Aurelian. cap. XIX. pontifices* vocantur hi quindecimuiri, quia, vt SALMASIVS *not. ad hunc locum tom. I. scriptor. hist. Aug.* p. 463. docet, multi ex eiusmodi quindecimuiris pontificum munere sunt functi. In illorum cura & ludos seculares fuisse, ex TACITO *lib. XI. annal. cap. II.* §. 3. *tom. II. operum* ed. PICHONII patet, cui ONVPHR. PANVINIVS *de ludis secular. tom. IX. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 1071. adiungendus est.

viros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri ceremoniarumque aliarum plebeios, videmus. Vnde etiam *decemuiri sacrorum* adpellantur *lib. VI. cap.* 42.

§. IV.

Christiani scriptores sæpe etiam prouocant ad Sibyllina oracula, vt christianam veritatem inde aduersus paganos comprobent, vt videmus apud LACTANTIVM *lib. I. de falsa relig. cap.* 6. §. 7. *lib. II. cap.* 11. §. 18. *cap.* 12. §. 20. *lib. IV. cap.* 6. §. 17. Verum credibile haud est, illos versus esse veterum Sibyllarum, quum sæpe multo clarius de Deo & Christo loquantur, quam vel ipsi prophetæ veteris testamenti. Probabilius ergo est, a pio homine, sed christiano in recenti ecclesia, compositos illos versiculos esse; aut, si veteres Sibyllarum versus, interpolatos, vt eo facilius paganis hominibus, qui maximi hæc oracula faciebant, persuaderent, id quod inter tot innumeras schedas, hinc inde diuersis regionibus atque prouinciis dispersas, non facile obseruari ac dignosci potuit. e)

Cap. VI.

DE FLAMINIBVS.

§. I.

FLAMINES dicuntur quasi *filamines*, a filis, quæ

e) De quindecimuiris his pluribus exponunt: ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. III. genial. dier. cap.* 16. PETR.

in ornatu ipsorum ex galero dependebant, vt FESTVS POMPEIVS interpretatur.

§. II.

Flamines igitur sacerdotes f) erant & maioris quidem dignitatis. Numa Pompilius tres creavit: g) flaminem dialem, id est, iouialem, qui omni-

PETR. TAFFINVS *de anno secul. Rom. tom. VIII. thes. ant. Rom.* p. 494. ONVPHR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. cap. XXXV.* aliique.

f) Flamines sacerdotes quidem fuerunt, non vero pontifices; ita tamen in eorum collegium recepti fuisse videntur, vt, quando senatus rem maioris momenti ad pontifices detulerat, & ipsi sedem in eorum collegio habuerint; quod ex CICERONE *pro domo cap. XLIX.* luce clarius potest comprobari: adde ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. XII.* Flamines hi singulare collegium non constituebant, quoniam singuli alicuius dei sacris præerant, quæ quilibet per se administrare debebat, vt ex CICERONE *lib. II. de legib. cap.* 8. discimus, quando autem nonnumquam in inscriptionibus *flaminis diuorum omnium* fit mentio, sciendum est, flaminis pariter ac pontificis nomen sacerdotes publicos municipiorum gessisse & sacerdotem præcipuum hoc nomine insignitum fuisse.

g) Flamines a Numa institutos fuisse, præter LIVIVM *lib. I. cap.* 20. DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. II.* p. 124. AVRELIVS VICTOR *cap. III.* §. 1. p. 40. & LACTANTIVS *lib. I. diuin. institut. cap.* 22. confirmant. Romulo primam eorum creationem adsignat PLVTARCHVS *vit. Num.* p. 64. sed iste scriptor in Romana historia tantam fidem, quantam alii, sibi non vindicauit. Creabantur flamines a populo comitiis tributis, ita, vt pontifex maximus tres nominaret, ex quibus vnus a populo electus & constitutus est, vt ex VALERIO MAXIMO *lib. VI. cap.* 9. A. GELLIO *lib. XV.*

omnium maximus erat, vt Ioui sacra faceret: huic duos flamines adiecit, Marti vnum, alterum Quirino: vide LIVIVM *lib. I. cap.* 20. *Flamen dialis* Iouis adsiduus sacerdos erat; nec poterat ab vrbe abnoctare, vt LIVIVS *lib. V. cap.* 52. tradit; neque licebat, exercitum videre, quod AVLVS GELLIVS addit *lib. X. cap.* 15. vbi plura de hoc flamine eiusque dignitate leguntur. h)

§. III.

XV. cap. 27. & LIVIO *lib. XXXVII. cap.* 54. constat. Flaminibus certis de causis sacerdotium eripi potuisse, itidem LIVIVS *lib. XXVI. cap.* 23. & VALERIVS MAXIMVS *lib. I. cap. I.* §. 4. docent. Vxores flaminum *flaminicæ* adpellabantur, quarum MACROBIVS *lib. I. saturn. cap.* 16. TACITVS *lib. IV. annal. cap.* 16. §. 6. GELLIVS *lib. X. noct. Attic. cap.* 15. TERTVLLIANVS *exhortat. ad castit. cap. XIII.* p. 672. ed. RIGALTII, & inscriptio apud GRVTERVM p. 322. *num.* 2. mentionem faciunt. De flamineo, quod eiusmodi flaminicæ gestarunt, SOLERIVS, siue, qui sub hoc nomine latet, THEOPH. RAYNAVDVS *de pileo*, p. 140. videndus est.

h) De flamine diali eiusque dignitate, officiis ac eximiis priuilegiis legi possunt: ONVPHR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. cap. XXV.* ANDR. DOMINIC. FLOCCVS *de potest. Rom. lib. I. cap.* 5. PAVLLVS MERVLA *de sacerd. Rom. cap. II.* §. 9. IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontificio lib. I. cap.* 31. *tom. V. thes. ant. Rom.* p. 65. seq. IAC. OISELIVS *animaduersion. in Gellii lib. X. noct. Attic. cap.* 15. & SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 162. Flamini diali iusiurandum vetitum fuisse, ex veterum scriptorum testimoniis *comm. de antiquor. christian. doctor. de iureiurando sentent. cap. I.* §. 2. p. 8. monstraui. De patrimis ac matrimis, quæ flamini diali in sacris seruiebant, MARC. ZVER. BOXHORNIVS *quæst. Rom. XXXV.* legatur.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Postea supra tres illos, a Numa constitutos, creati fuerunt & alii flamines, sed minores; qualis fuit *flamen carmentalis*, apud CICERONEM *de claris orator. cap.* 14. & plures in prouinciis, i) vt passim in inscriptionibus adparet; maxime autem diuorum, siue cæsarum, in deorum numerum relatorum, flamines constituebantur, qui a diis suis, quos colebant, cognomen adepti sunt, vt flamines Augustales, k) Flauiales, Traianales cet. etiam alio casu flamen Claudii, flamen Adriani, passim in inscriptionibus. l)

CAP. VII.

DE SEPTEMVIRIS EPVLONVM.

§. I.

NON antiquissimum hoc collegium fuit; sed postquam multiplicarentur sacrificia & ceremo-

i) Flamines etiam in municipiis fuerunt, quorum forma prope ad similitudinem reipublicæ Romanæ accedebat: conf. CICERONEM *pro Milone cap. X.* Erant ex ordine decurionum, a quibus etiam, vt ex lapide prisco apud GRVTERVM *inscript.* p. CCCCXXXVIII. *num.* 7. patet, creari solebant.

k) Conf. de his LAVRENTII THEODORI GRONOVII *marmor. bas. Colossi Tib. Cæs. erecti cap. XI. tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 475. & HENR. DODWELLVM *prælection. Cambden.* p. 1613. seq. HENR. NORISIVM *cenotaph. Pisan. tom. III. operum* p. 117.

l) De flaminibus plura exhibent: IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontificio lib. I. cap.* 6. 11. & 29. seq. ONVPHR. PANVINIVS *de ciuitat. Rom. cap. XII. XXVI. & XXVII.*

moniæ post Annibalis bellum primum triumviri epulones facti m) adiunctique pontificibus sunt, vt epulas sacrificiorum curarent. Originem ita descripsit LIVIVS *lib. XXXIII. cap.* 42. *Romæ*, inquit, *eo primum anno triumuiri epulones facti*, & CICERO *lib. III. de orat. cap.* 19. sub Lucii Crassi persona, qui proxime ante Sullam fuit: *pontifices veteres*, seu maiores, *propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, vt etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.*

§. II.

Postea auctus est numerus & *septemuiri* facti, haud dubie a Sulla, qui numerus erat Ciceronis tempore & belli ciuilis. LVCANVS *lib. I. v.* 602.

septemuirque epulis festis.

Cæsar quidem, vt apud DIONEM *lib. XLIII.* extremo p. 272. est, dicitur tres septemuiros addidisse; verum non probatum id videtur, aut in vsum introductum fuisse. Nam in inscriptione antiqua, Au-

XXVII. & præ ceteris HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisanis diss. I. cap.* 4. *tom. III. operum* p. 79. & *diss. II. cap.* 5. p. 204.

m) Sine dubio numerum eorum, vt reliquorum sacerdotum, Sulla auxit. Vbi enim oratio Crassi apud CICERONEM *lib. III. de oratore cap.* 19. cum iis, quæ LVCANVS *lib. I. pharsal.* v. 602. habet, comparatur, satis adparet, ante Sullam triumuiros, statim vero post eum septemuiros extitisse. Dignitatem septemuirum haud minimam fuisse, ex inscriptionibus apud GRVTERVM p. CCXXXV. *num.* 10. & CCXXXVI. *num.* 9. patet. Horum septemuirum collegium ex quatuor summis extitisse, supra probaui.

Landesbibliothek Oldenburg

Augusto, Cæsaris diui filio, dicata apud GRVTERVM *inscript.* p. CCXXVII. *num.* 1. legitur: COLLEG. VIIVIR. EPVLON. Hoc munus vel collegium videtur ipse CICERO *septemuiratum* adpellasse, *Philipp. I. cap.* 38.

CAP. VIII.

DE SALIIS.

§. I.

SALIOS, Martis n) sacerdotes, Numa Pompilius instituit duodecim, o) iisque tunicæ pictæ

n) Mars hic, in cuius honorem Salii instituti sunt, *Gradivi* habuit nomen, de quo iam supra quædam memoravi. Ante Romanorum tempora Herculis sacerdotes hi salii fuerunt: conf. VIRGILIVM *lib. VIII. Aeneid.* v. 285. & MACROBIVM *lib. III. saturnal. cap.* 12.

o) Hi duodecim, a Numa instituti, ex solis sumebantur patriciis, qui quum sacra in palatio celebrarent, inde *palatini* sunt dicti. Post Numam Tarquinius salios *albanos:* Tullus Hostilius *collinos*, qui & *quirinales*, *agonales* & *agonenses* adpellabantur, constituit, vt diserte DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II.* p. 129. testatur. SERVIVS igitur ad *lib. VIII. Aeneid.* v. 285. errat, quando collinos hos salios a quirinalibus distinguit, vtrorumque vero Numam esse auctorem scribit. Eodem loco *pauoriorum* & *palloriorum* facit mentionem; de quibus vero omnes ceteri tacent scriptores. Quodsi ii re ipsa exstiterunt, a Pauore & Pallore numinibus sine dubio nomen suum nacti sunt. Inscriptio apud GRVTERVM p. MXXIX. *num.* 6. docet, & imperatores salios suos postea accepisse: adde HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 163.

Landesbibliothek Oldenburg

ctæ p) insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegumen cælestiaque arma, quæ *ancilia* q) adpellabant, ferre, ac per vrbem ire, canentes carmina r) cum tripudiis sollemnique saltatu

p) Gestabant salii tunicam pictam, æreo balteo cinctam, &, vt DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. II.* p. 129. refert, togam, quam, ne in saltando ipsis impedimento esset, fibula contraxerunt, id quod etiam gemma apud LEONARD. AVGVSTINVM *tom. I. num.* 152. confirmat. In capite apices atque æneas galeas: in dextro lanceam, aut virgam, sinistra vero ancile habuerunt, & sic, gladiis suis instructi, ad tibiæ sonum saltarunt & inter saltandum hymnos cecinerunt: lege DIONYSIVM *Halicarnassæum loco excitato* p. 129. & PLVTARCHVM *vit. Num.* p. 67.

q) *Ancilia* scuta parua & rotunda Martique sacra fuerunt. Tradunt veteres, eiusmodi scutum æneum anno octauo regni Numæ, quo pestilentia vrbem inuaserat, de cælo in regis huius manus decidisse, idque ab Egeria diuinitus esse missum, addito responso, eam vrbem, in qua ancile istud adseruaretur, omnium potentissimam esse futuram. Ne autem istud furto auferretur, per Veturium Marmurium, in cuius honorem vltimo festi die carmen singulare cantabant, multa alia eiusmodi scuta fabricanda Numam curasse, referunt. Atque ista scuta *anciliorum* habuerunt nomen: conf. TOB. GVTHERLETHVS *de saliis, cap. XII. seq.* IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontificio lib. I. cap.* II. *tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 26. ALDVS MANVTIVS *tr. de parma, clypeo, scuto, pelta & ancili*, qui *tom. I. thesauri antiquitatum Romanarum Sallengriani* exstat: IO. DANRAMVS *diss. de ancilibus Romanorum*, Hafniæ MDCCVI. edita, aliique.

r) Carmina, quæ a Saliis in honorem omnium numinum canebantur, *axamenta* dicta sunt; versus autem, singulis

tatu s) iussit. Hæc LIVII sunt verba & descriptio *lib. I. cap.* 20. t) Rex Tullus Hostilius alios duodecim addidit, vt est apud DIONYSIVM *Halicarnass. lib. III.* p. 173.

§. II.

lis diis consecrati, a nominibus eorum, vt *Iunonii*, *Mineruii*, cet. sunt adpellati. Multa de his axamentis habet TOBIAS GVTHBERLETHVS *libro memorato cap. XIX.* cui GERH. IO. VOSSIVS *etymol.* voc. *axis*, *tom. I. oper.* p. 70. adiungendus est.

s) Is, qui motibus certis præsiliebat, a CAPITOLINO *vita Marc. Antonini cap. IV. tom. I. script. hist. Augustæ* p. 302. *præsul* vocatur, qui, quum præsultaret, *amtruare* dictus est; *redamtruare* vero reliquorum fuit saliorum, vt LVCILIVS *sat. IX.* v. 28. & FESTVS voc. *redamtruare* p. 399. obseruant. Pari modo is, qui præcinebat, *vates* est adpellatus, vt CLAVD. SALMASIVS *not. ad memor.* CAPITOLINI *locum* animaduertit. Qui saliis præerat, nominabatur *magister* habebatque potestatem reliquos inaugurandi.

t) Quis primus Salios instituerit, est incertum. Nonnulli eorum auctorem *Arcadem* Salium: alii Saonem Samothracem: alii porro Euandrum esse, volunt. Hoc est certissimum, salios apud Græcos non visitatos fuisse; probabile autem est, Romanos eos ad imitationem Pyrrhichiæ saltationis vel Curetum instituisse. Numa illos quidem primum Romam transtulit; antea vero iam in aliis Italiæ ciuitatibus sub Herculis sacerdotum nomine cogniti fuere, quod ex SERVIO *ad Virgilii lib. VIII. Aeneid.* p. 285. patet. Diem, quo ancilia mota sunt, calendares Romanorum fasti, a BVCHERIO, HERWARTO & LAMBECIO editi, ad VII. idus Martii referunt; alii vero ipsis calendis Martiis festum hoc initium habuisse contendunt. Plura de his saliis exhibent: STEPH. LE MOYNE *not. ad var. sacra* p. 362. 366. ANDR. DOM. FLOCCVS *de potest. Rom. lib. I. cap.* 7.

GISB.

§. II.

A saltatu illo *salii* dicti sunt. Hinc HORATIVS *lib. I. od.* 36. *v.* 12.

neu morem in salium sit requies pedum.

Idem *lib. IV. od.* 1. *v.* 28.

- - - *pede candido*
in morem salium ter quatient humum.

VIRGILIVS *lib. VIII. Aeneid. v.* 285.

tum salii ad cantus incensa altaria circum.

Peractis sacris & saltatione salii opiparis epulis excipiebantur, vnde prouerbium: *saliares epulæ.* HORATIVS *lib. I. od.* 37. *v.* 2.

- - - *nunc saliaribus*
ornare puluinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.

Adde FESTI POMPEII, antiquissimi grammatici, explicationem, quam ad Mirandulæ epistolas ad-

GISB. CVPERVS *lib. IV. obs.* 1. SAM. PITISCVS *not. ad Sueton. vit. Othon. cap. VIII.* p. 892. SAL. DEYLINGIVS *obs. sacr. part. III.* p. 420. & inprimis TOB. GVTHBERLETHVS *de saliis.* Nonnulli, ad quos STEPH. LE MOYNE præsertim pertinet, putant, Paullum ad sollemnia saliorum festa animum suum aduertisse, quando *Rom. XIII*, 12. *arma lucis* opponit *operibus tenebrarum* armisque iniustis ac violentis; quæ vero sententia non admodum multam probabilitatis speciem præ se habere videtur: conf. SAL. DEYLINGIVM *loco memorato*: AMELIVM, siue, qui sub hoc nomine latet, PETR. ZORNIVM, *in der Erörterung der schwersten Schriftstellen neuen Testam. part. II.* p. 828. & 10. CHRIST. WOLFIVM *cur. phil. & crit. tom. II.* p. 269.

adscripsimus p. 53. & SVETONIVM *vit. Claud. cap. XXXIII.*

CAP. IX.

DE LVPERCIS.

§. I.

LVPERCI erant Panis sacerdotes, u) ex antiqua Arcadum institutione, vnde ritus per Euandrum in Italiam translatus, quem ita LIVIVS *lib. I. cap.* 5. describit: *Nudi iuuenes lyceum Pana venerantes, per luxum atque lasciuiam currebant.* Flagellabant flagello, ex loro caprino facto, mulieres & ancillas obuiam venientes. x) §. II.

u) Luperci dicti sunt a nomine *Lupercus*, quod Pan, teste IVSTINO *lib. XLIII. cap. I.* p. 603. gerebat, & forte ea de caussa, quoniam vt deus pastorum ac rusticus lupos a grege arcere existimabatur. Tres fuerunt illorum societates. Alii *Fabiani:* alii *Quinctiliani:* alii denique, quos Iulius Cæsar, vt SVETONIVS *vit. eius cap. LXXVI.* §. 2. & DIO *lib. XLV.* p. 243. referunt, addidit, *Iuliani* sunt adpellati. Duorum priorum OVIDIVS *lib. II. fastor.* v. 377. facit mentionem: conf. SAM. PITISCVS *not. ad memoratum Suetonii locum* p. 129. ADR. TVRNEBVM *lib. VII. aduersar. cap.* 3. aliosque.

x) Luperci eiusmodi, quum per vrbem discurrerent, obuenientium tam mulierum, quæ hac verberatione fœcunditatem augeri existimabant; quam virorum terga cædebant. Hoc *caromidiari* adpellabant, vt vetus *scholiastes* ad *Iuuenalem sat. II.* v. 142. & ex eo SALMASIVS *not. ad Spartianum vit. Adriani cap. XVIII.* p. 170. obseruat, hæcque vox non instrumentum, quo isti luperci flagellabant; sed locum corporis, ab illis percussum, significat. Τὸ κάτωμον enim, siue κάτωμα, est pars sub collo inter scapulas, quam Latini *interscapu-*

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Ineptum & spurcum sacrum; nihilominus magni factum a Romanis, vt summi viri etiam hoc sacerdotium ambirent, quemadmodum de Marco Antonio consule refert CICERO *Philipp. II. cap.* 33. & 34. inter lupercos lupercalibus ludis & ipsum Lupercum cucurrisse.

§. III.

Omissos aliquamdiu hos ludos Augustus restituit: vid. SVETONIVM *eius vit. cap. XXXI.* Locus Romæ his turpissimis sacris dicatus, dicebatur *lupercal*, VIRGILIVS *lib. VIII. Aeneid. v.* 343.

- - - gelida monstrat sub rupe lupercal
Parrhasio dictum Panos de more lycei.

Adde, quæ nos ad dictam *Philipp. II.* notauimus, & conf. in primis PRVDENTIVM *in Romano v.* 161. seq. egregie hos impuros ritus exagitantem.

CAP. X.

DE ARVALIBVS FRATRIBVS.

§. I.

ROMVLI institutum erat, sumtum ex numero

palum, *interscapilium* vel *conscalpium* vocant. Ex hoc SVETONIVM *vit. Claudii cap. XXVII.* §. 7. nonnulli emendare ac ibi pro *catenis verberatum* legere volunt *catomis verberatum*; qua de re SAM. PITISCVS *not. ad hunc locum* consuli potest. De voce *catomidiare* præter PITISCVM & SALMASIVM, ADR. TVRNEBVS *lib. I. aduersar. cap.* 28. p. 31. EZ. SPANHEMIVS *not. ad Callimachum hymn. in Cerer.* v. 45. p. 694. PETR. BVRMANNVS *not. ad Petronium* p. 626. & *interpretes Ouidii, tom. III. operum* p. 111. ed. BVRMANNI euoluendi sunt.

filiorum nutricis Accæ Larentiæ, de qua GELLIVS *lib. VI. cap.* 7. ita ex Sabino Massurio refert: *ea mulier ex duodecim filiis maribus vnum morte amisit: in illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit, seque & ceteros eius filios fratres arvales adpellauit. Ex eo tempore mansit collegium fratrum aruaLium, cuius sacerdotii insigne est spicea corona & albæ infulæ.* Eadem tradit PLINIVS *lib. XVIII. cap.* 2.

§. II.

Munus eorum ita describit VARRO *lib. IV. de lat. lingu. cap.* 15. p. 15. *fratres aruales dicti sunt, quia sacra publica faciunt, propterea vt fruges ferant arua.* Hostiæ dicebantur *ambaruales.* FESTVS POMPEIVS, p. 249. *ambaruales hostiæ, quæ pro aruis a duobus fratribus sacrificabantur.* Ex inscriptionibus constat, nobilissimos viros hoc in collegio fuisse. y)

CAP.

y) Fratres aruales, quorum numero duodecim fuerunt, ab ipso collegio cooptatos fuisse, probabile est. Is, qui huic præerat collegio, vt in ceteris eiusmodi societatibus, *magistri* gessit nomen, quod inscriptiones fratrum arualium apud IAC. SPONIVM *misc. erud. antiquit.* p. 5. seq. & GRVTERVM p. CXVIII. abunde confirmant. Sacrificia arualia, testibus VIRGILIO *eclog. V.* v. 79. 80. ac TIBVLLO *lib. I. eleg. II.* v. 34. in honorem Bacchi & Cereris eum potissimum in finem publice quotannis, sub initium veris, quo germen ex terra emergit, instituebantur, vt agri fœcundi redderentur, omniaque, quæ iis ac pecori totique agriculturæ nocere possent, auerterentur. Sacrificium hoc *ambarvale* dicebatur, quoniam hostia tribus repetitis vicibus circum arua ducebatur, quam tota familia, quernis coronis ornata, sequebatur, hocque ritu peracto & libatione finita, victima cædi atque immolari, additis precibus,

Cap. XI.

DE FECIALIBVS. z)

§. I.

VARRO feciales a fide dictos existimat *loco indicato*, quod fidei publicæ inter populos præ-

 rant.

bus, a CATONE *de re rust. cap.* CXLI. recitatis, solebat, quæ omnia VIRGILIVS *lib. I. georg.* v. 343. fuse descripsit. In eiusmodi sacris porcam potissimum atque agnam immolatam esse, inscriptiones arualium fratrum docent. Hac ratione officium illorum in eo potissimum erat positum, vt sacris suis fœcunditatem messis procurarent. CVIACIVS *lib. II. obseruat. cap.* 5. monet, fratres aruales de definiendis ac describendis terminis ac finibus, qui apud veteres Romanos sacri habebantur, sententiam ferre debuisse, hocque ex veteri comprobat glossa, vbi aruales fratres δικασταὶ διαγινώσκοντες περὶ ὅρων vocantur. Insignia eorum infulas albas & coronas, ex spicis conflatas, fuisse, PLINIVS *lib. LXVIII. histor. nat. cap.* 2. & A. GELLIVS *lib. VI. noct. Attic. cap.* 7. p. 358. ed. GRONOVII tradunt. De his fratribus arualibus ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. I. genial. dier. cap.* 26. *tom. I.* p. 196. eiusque interpres ANDR. TIRAQVELLVS ac GISB. CVPERVS *lib. IV. obs. cap.* 13. videri possunt.

z) Ad ius feciale quod spectat, id a Sergio Resio originem habere, VALERIVS MAXIMVS *epit. de nomin. rat.* p. 849. ed. THYSII & AVRELIVS VICTOR *de vir. illustr. cap. V.* §. 4. referunt. *Fecialium* collegium Numa, quum bellum Fidenatibus ob excursiones, in agro Romano factas, esset indicturus, instituit, vt ex DIONYSIO *Halicarnasseo lib. II.* p. 131. patet; ius vero ipsum ac bellicas ceremonias formulamque, bellum indicendi, Ancus Martius demum, rex Romanorum quartus, ab antiqua gente Aequicolis, vt LIVIVS *lib. I. cap.* 32. p. 47. tradit, accepit. Officium horum fecialium eo-

pio-

rant. Nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum, & vt fœdere fides pacis constitueretur.

§. II.

Ex his mittebant, antequam conciperetur bellum, qui res repeterent, & per hos etiam nunc fit fœdus. Non enim putabant Romani veteres, iustum bellum esse, quod per fecialem non prius fuerit hostibus indictum. Quibus verbis in repetendo aut in dicendo vsus fuerit fecialis, a) descripsit

pioſe DIONYSIVS *Halicarnaſſeus loco excitato;* breuiter autem CICERO *lib. II. de leg. cap.* 9. enarrat, quando ita pro veteri pontificio iure ſcribit: *fœderum pacis, belli, inducierum oratores, feciales, iudices ſunto, bella diſceptando.* Adhibebantur itaque feciales ad fœdera, quæ ante meridiem a *patre patrato*, totius collegii huius præſide, partim per immolationem vel porcæ, vel porci; partim per lapidem, qui teſte POLYBIO *lib. III. cap.* 21. abiiciebatur, per populi & ſenatus auctoritatem, tactis in fidei pignus & aris & ſacris, & firmatis a patre patrato iureiurando fœderis pactis, ſanciebantur; vid. LIVIVM *lib. I. cap.* 24. CAROL. SIGONIVM *de antiquo iur. Ital. lib. I. cap. I.* BARNAB. BRISSONIVM *de form. lib. IV.* p. 356. aliosque. Ante legem Domitiam feciales ab ipſo collegio, de quo LIVIVS *lib. XXXVI. cap.* 3. agit, cooptati; poſt illam vero populi curiatis comitiis creati eſſe videntur. Caput illorum lana velatum; tempora vero verbena ornata fuiſſe, VIRGILIVS *lib. XII. Aeneid.* v. 120. & PLINIVS *lib. XXII. hiſt. natur. cap.* 2. p. 753. teſtantur.

a) Comitiis curiatis &, poſt Seruium regem, centuriatis bellum decernebatur, vbi id feciales non prohibebant. Quum res repeterentur, populi iuſſu ad fines hoſtium quatuor mittebantur feciales, verbena ornati, vt deos, fœderum vltores, teſtes facerent, ex quibus vnus clara

voce

descripsit GELLIVS *lib. XVI. cap.* 4. & LIVIVS *lib. I. cap.* 24. & 32. qui & exempla præbet *lib. IX. cap.* 10. & 45. quo vltimo loco legitur: *feciales venerant, res repetitum.* b)

CAP. XII.

DE REGE SACRIFICVLO.

§. I.

SACRIFICIA quædam fuerunt regum propria, quæ ab alio quam rege non poterant celebrari. Regibus igitur exactis, ne illa sacra cessarent, constitutus est quidam rex sacrorum, qui magna quidem dignitate erat, omni autem alio magistratu debebat abstinere. Per hunc illa regia

voce *res sibi dari*, sollemni poscebat formula, quæ si non darentur, post tres & triginta dies pater patratus bellum indicebat, proiecta a feciali quodam in hostium fines hasta ferrata aut sanguinea præusta. Qui ritus postea, aucto in immensum Romano imperio, in agro prope vrbem, qui *hostilis* dicebatur, est obseruatus, teste OVIDIO *lib. VI. fast.* v. 205. vt superstitioni plebis satisfieret. Præterea feciales de iniuriis, quæ a sociis factæ erant, sententiam ferre ac curare debuisse, ne legati violarentur; aut alia contra leges pacis ac belli induciarumque fierent, ex supra memorato DIONYSII *Halicarnassei* testimonio, VALERIO MAXIMO *lib. VI. cap.* 6. §. 3. & 5. & LIVIO *lib. IX. cap.* 10. patet.

b) De hoc argumento vide ANDR. DOM. FLOCCVM *de potest. Rom. lib. I. cap.* 9. ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. XXXII.* MARC. ZVER. BOXHORNIVM *quæst. Rom. XXX.* & inprimis IOANN. IENSIVM *commentat. de fecialibus pop. Rom.* quæ in eiusdem *ferculo litterario*, Lugd. Batav. MDCCXVII. edito, p. 51. exstat.

Landesbibliothek Oldenburg

sacra erant procuranda. Dicebatur *rex sacrificulus.* LIVIVS *lib. II. cap. 2. rerum deinde*, inquit, *diuinarum habita cura, &, quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, ne vbi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant.*

§. II.

Id sacerdotium pontifici subiecere, c) ne additus nomini honos libertati, cuius tum primaria erat cura, officeret. Idem etiam *regem sacrificum* dixit *lib. XL. cap. 42. de rege sacrifico sufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Seruilium pontificem maximum fuit & L. Cornelium Dolabellam duumuirum naualem, quem ut inauguraret pontifex, magistratu sese abdicare iubebat.* Vocatur etiam *rex sacrorum* a CICERONE *pro domo cap. XIV. & de aruſp. resp. cap. VI.*

CAP.

c) Factum hoc est, ne nomine suo, Romanis tam inuiso, abuteretur. Quapropter etiam cum populo agere, ei non licebat, &, postquam sacra fecerat, se confestim, quasi in fuga esset, ex conuentu proripere debebat, vt ex PLVTARCHO *quæst. Rom. LXII.* discimus. Vide etiam de eo DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. IV.* p. 269. Vxor eius *regina* vocabatur, vti hoc non solum ex MACROBIO *saturnal. lib. I. cap.* 15. sed etiam ex hac apud GRVTERVM inscriptione, p. MLXXXVII. *num.* 8. discimus: REX SACRORVM AVGVR CVM MANLIA L. F. FADILLA REGINA SACRORVM. Mansit regis sacrificuli sacerdotium vsque ad Theodosii senioris tempora. FESTVS voc. *regia* testis est, domum sacrificuli *regiam* adpellatam fuisse. Plura de eo ONVPHR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. cap. XXXVI.* ANT. VAN DALE *diss. IX. antiquit. & marmor. illustrand. inseru.* p. 200. IAC. OISELIVS *not. ad Gellii lib. XV. cap.* 26. aliique exhibent.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XIII.

DE VESTALIBVS VIRGINIBVS.

§. I.

Vestales virgines d) erant sacerdotes Vestæ, per quam tellurem intelligebant, vt supra *cap. V.* exposuimus. Antiqua religio & ante Romam conditam Albanis vsitata, quemadmodum Romuli mater etiam traditur talis virgo vestalis fuisse; reges autem Romani in certiorem formam atque locum redegerunt.

§. II.

Numa instituit quatuor huiusmodi virgines, & templum dedicauit. Tarquinius Priscus duas addidit, secundum PLVTARCHVM rex Seruius, qui numerus postea constanter sic seruatus fuit, vt non plures quam sex essent huius sacri ordinis virgines. e) Hæc de numero earumque officio & di-

d) Inter varia genera feminarum, quæ sacris præficiebantur, & de quibus BERNH. DE MONTFAVCON *palæogr. græc.* p. 160. CAROL. PATINVS *commentar. ad vetus monumentum Marcellinæ*, IO. SAVBERTVS *de sacrificiis*, *cap. VIII.* aliique exponunt, virgines Vestales principem sibi vindicant locum. Præter has, etiam Romæ aliæ feminæ sacerdotes, vt sacerdos Cereris, flaminum vxores, virgines saliares, sacerdotes bonæ deæ aliæque fuerunt.

e) Fiebat hoc ea de caussa, vt populus, qui in sex distributus erat partes, nimirum in primos & secundos Titienses, Ramnes & Luceres, singularem sacrorum haberet ministram. Sex hæ Vestales sæpe in nummis comparent, quarum prima testibus OVIDIO *lib. IV. fast.*

sciplina pluribus persequitur DIONYSIVS *Halicarnass. lib. II.* pag. 125. seq.

§. III.

Electionem illarum & ætatem GELLIVS *lib. I. cap.* 12. tradit. Eligebantur a pontifice maximo, f) quod singulari verbo *capere* g) dicebant, vt iti-

fast. v. 639. SVETONIO *vit. Cæs. cap. LXXXIII.* §. 1. *vit. Domit. cap. VIII.* §. 13. & PLINIO *lib. IV. epist. II. virgo maxima* est adpellata, de qua ONVPHR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. tom. I. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 227. & 275. videndus est.

f) Pontificis maximi erat, vt in id inquireret: num virgo capienda idonea ad hoc sacerdotium sit; nec ne. Ratio vero habebatur non solum ætatis & generis, quod honestum esse debebat; sed etiam corporis, quoniam omnes, qui lingua debili erant, aurium sensum amiserant, aut aliam corporis labem habebant, ab isto sacro munere excludebantur. Lege Papia sancitum fuit, vt per pontificem maximum viginti ex populo legerentur virgines, ex quibus demum in publico ac præsentia totius populi sortitio fieri solebat, quod SVETONIVS *vit. Aug. cap. XXXI.* testatur, cui TACITVS *lib. II. annal. cap.* 86. adiungi debet. Per totum ministerii sui tempus istæ virgines castitatem sanctissime custodire debebant, cuius rei caussam OVIDIVS *lib. VI. fastor.* v. 287. seq. & CICERO *lib. II. de legib. cap.* 12. reddunt. Initiatarum capillus detondebatur, qui ad arborem, *lotum* dictam, deuectus, in terra abscondi solebat, teste PLINIO *lib. XV. hist. natur. cap.* 44.

g) Dicebatur *capi*, quia eam pontifex maximus, quasi vi *captam* a patre eiusque potestate abducebat. Inter capiendum pontifex his vtebatur verbis: *sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ ius siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Romano quiritibusque vti, quæ optima lege fouit, ita te amata capio*, vti verba hæc ex

libro

itidem GELLIVS docet & historici confirmant. Non autem maior, quam decem annorum; nec minor, quam sex annorum capiebatur. Triginta annis deæ seruire debebant, decem, vt discentes, decem, vt colentes, decem, vt docentes. h) Tum, peractis triginta annis in sacerdotio, abire a sacris licebat: etiam nubere. i) Hoc de annis DIONYSIVS *dicto loco.*

§. IV.

Lex illis imposita perpetuæ virginitatis sub defossionis pœna. Munus autem earum fuit, ignem in foco Vestæ perpetuum conseruare, ne exspi-

libro primo Fabii Pictoris GELLIVS *lib. I. noct. Attic. cap.* 12. p. 77. ed. GRONOVII recitat, atque obseruat, virginem Vestalem, simul vt capta atque in Vestæ atrium deducta & pontificibus tradita fuerit, sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris potestate exiisse, & ius testamenti faciundi adeptam esse.

h) Hac de re SENECA eleganter ita scribit: *virginum Vestalium more, quæ annis inter officia diuisis discunt facere sacra, &, quum didicerint, docent, de vit. beat. cap. XXIX.*

i) Post triginta hos annos matrimonium inire, ipsis quidem erat licitum; quoniam autem earum conjugia infausta habebantur, plurimam partem in pristino suo statu vsque ad vitæ finem permanebant, cum quibus ea conferri possunt, quæ IVST. LIPSIVS *de Vesta & Vestalibus cap. VII.* de Albanis obseruat Vestalibus, quibus paullulum duriores hac in re leges præscriptæ erant, vti hoc ex emendato DIONYSII *Halicarnassei* loco probat.

Landesbibliothek Oldenburg

spiret. k) Exstinctionis culpa flagris luebatur. l)

§. V.

k) Quare ignem perpetuum Vestæ consecrauerint veteres, docet PHVRNVTVS *de nat. deorum cap. XXVIII.* & quare eius templum, in quo sacer iste ignis summa adseruabatur cura, rotundum fuerit, ex PLVTARCHO *vit. Num.* p. 67. discimus. Ignis iste, cui alendo præerant huiusmodi virgines, in ipsa ara, quam VALERIVS MAXIMVS *lib. I. cap. I. §. 7. foculum* vocat, positus est, testibus LVCANO *lib. X. pharsal.* v. 992. & SILIO *Italico lib. I.* v. 542. atque, vt ex VALERIO MAXIMO *lib. IV. cap.* 45. §. 1. constat, in vasis fictilibus fuit reconditus; non tamen erat flamma ex oleo aut alia materia ardens; sed ex substratis cineribus & lignis alebatur. Quando per negligentiam aut somnum Vestalium exstinctus erat, quod inter prodigia omnium maxima numerabatur, nouus ignis primo Martii die, quo nouum auspicabantur annum, testibus MACROBIO *lib. I. saturnal. cap.* 12. & OVIDIO *lib. III. fast.* v. 149. non ex alio igne accendi solebat; sed, vti FESTVS voce *ignis* refert, *mos erat, tabulam felicis materiæ tam diu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* Aliam accendendi rationem, ope videlicet solis atque vasculi, per quod radii solis, quemadmodum apud nos in speculis caustici fieri solet, in vnum cogebantur, veteribus vsitatam fuisse, tradit PLVTARCHVS *vit. Num.* p. 66. quem morem & Romanos in vsu habuisse, ex IVLIANO *orat. IV.* probant: DION. PETAVIVS *not. ad hunc locum* p. 267. & EZECH. SPANHEMIVS *de Vesta & Prytan. Græcor. tom. V. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 690. contra LIPSIVM, qui hoc *synt. de Vesta & Vestalibus cap. VIII.* negauerat.

l) Exempla rei huius VALERIVS MAXIMVS *lib. I. cap. I. §. 6.* & LIVIVS *lib. XXVIII. cap. II.* exhibent.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V.

Simulacrum nullum in templo fuit, præter *palladium*, m) Troia, vt credebatur, adlatum, quod HERODIANVS *lib. I. cap.* 14. dixit; vel cælo delapsum, vt CICERO *Phil. XI. cap.* 10; quod tantæ sanctitatis apud ipsos fuit, vt nec vlli homini illud adspicere licuerit, præter Vestales. HERODIANVS *lib. V. cap.* 6. παλλάδος ἄγαλμα κρυπτὸν καὶ ἀόρατον σέβουσι Ῥωμαῖοι, *Palladis signum occultum colunt Romani.* n)

§. VI.

m) De palladio hoc LIVIVS *lib. XXVI. cap.* 27. refert, *Vestæ ædem petitam & æternos ignes & conditum in penetrali fatale pignus imperii Romani esse*; quid vero istud imperii pignus fuerit, de eo ipsi veteres discrepant, vti hoc ex DIONYSIO *Halicarnasseo lib. II.* p. 196. atque ex PLVTARCHO *vit. Camill.* p. 139. patet. Communis opinio est, id palladium fuisse simulacrum quoddam ligneum, de cælo delapsum, tutelareque Troianorum numen, quod Græci ex arce Troiana, vbi in templo Palladis sanctissime adseruatum fuit, clam & furto abstulissent, a quibus postea Aeneas id cum omnibus Troianorum sacris in Italiam deduxisset Lauiniique collocasset, ex quo loco deinde illud ab Ascanio Albam Longam translatum, sub rege vero Tullio Hostilio Romam deuectum sit. Veteres de hac re ipsi dissentiunt, quorum sententias PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. III.* p. 14. recitat.

n) Multa de hoc palladio obseruat IVSTVS LIPSIVS *libro excitato cap. IX.* variosque nummos, quibus id conspicitur, exhibet. In gente quoque Iulia nummi exstant, in quibus Aeneas sinistra Anchisem humeris tolerans, dextraque palladium gerens visitur; in nummo autem apud LAVR. BEGERVM *contemplat. gemmar. dactyl. Gorlæi* p. 24. Diomedes, palladium auferens,

§. VI.

Iura, priuilegia, honores vestalium erant eximii, o) nec earum aliqua in publicum prodibat; nisi

rens, exhibetur. In interiori templi Vestæ parte teste LVCANO *lib. IX. pharsal.* v. 993. id absconditum adeoque sacrum habitum fuit, vt ne virginibus Vestalibus, præter eam, quæ *maxima* adpellata est, id videre licitum fuerit, quod ex LVCANO *lib. I. pharsal.* v. 597. haud difficulter colligi potest. De palladiis præter LIPSIVM & GVTHERIVM ii consuli possunt, quos PETR. ZORNIVS *in der Erörterung der schwersten Schriftstellen neuen Testaments part. II.* p. 313. indicauit.

o) Virgines Vestales eximiis fruebantur priuilegiis ac iuribus. Habebant enim non solum lictorem; sed istis etiam, confirmante hoc DIONE CASSIO *lib. XLVII.* p. 338. ab Augusto ea concessa erant, quæ matribus trium liberorum permittebantur, vt idem scriptor *lib. LV.* p. 549. testatur. Sontes per earum occursum fortuitum a supplicio liberabantur: vid. PLVTARCHVM *vit. Num.* p. 66. Vsæ sunt, vti & reliqui sacerdotes, carpento, quod TACITVS *lib. XII. annal. cap.* 42. PRVDENTIVS *lib. II. contra Symmach.* v. 1087. & IVST. LIPSIVS *not. ad Tacit. loc.* comprobant. Incedebant cum vittis ac veste prætexta, limbo purpureo ornata, auctore OVIDIO *lib. III. fast.* v. 30. Caput earum vel velatum, vel capillus in nodum contortus erat, vt nummi testantur. Adhibebantur vt legati in caussa pacis & ad impetrandam veniam in delictis, quod TACITVS *lib. III. hist. cap.* 81. & *lib. XI. annal. cap.* 31. docet. Alebantur ex publico, adsignatis ipsis prædiis ac collatis in istas stipendiis eximiis, vt ex LIVIO *lib. I. cap.* 20. & TACITO *lib. IV. annal. cap.* 16. constat. Concessus fuit ipsis locus honestior in spectaculis, cuius rei SVETONIVM *vit. Aug. cap. XLIV.* testem habemus.

Landesbibliothek Oldenburg

nisi lictore præeunte & populum submouente, quemadmodum ipsæ etiam ortu & sanguine erant nobilissimæ & clarissimorum parentum filiæ. Quæ senior inter illas erat, vocabatur *maxima vestalis*, vti est apud SVETONIVM *vit. Domitian. cap. VIII.* & PLINIVM *lib. IV. epist. II.* §. 6.

§. VII.

Exemplum exstincti ignis tradit LIVIVS *lib. XXVIII. cap.* II. *Terruit animos*, inquit, *hominum, ignis in æde Vestæ extinctus, ob quam caussam cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu Publii Licinii pontificis. Id quamquam, nihil portendentibus diis, ceterum negligentia humana acciderat; tamen & hostiis maioribus procurari, & supplicationem ad Vestæ* scil. templum *haberi placuit.*

§. VIII.

Exemplum falso adcusatæ habet LIVIVS *lib. IV. cap.* 44. *Posthumia virgo vestalis de incestu caussam dixit, crimine innoxia, ob suspicionem propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet, parum abhorrens famam.*

§. IX.

Exempla defossarum idem LIVIVS tradit *lib. VIII. cap.* 15. *Minutia vestalis suspecta primo propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud pontifices*, id est, apud collegium pontificum, in quo pontifex maximus præses erat, *ab indice seruo; quum decreto eorum iussa est sacris abstinere, facto iudicio, viua sub terram ad portam Collinam, dextra via strata, defossa, scelerato campo. Credo ab incestu id ei loco nomen factum.* Deinde *lib. XXII.*

cap.

cap. 57. *duæ vestales eo anno Opimia atque Floronia stupri compertæ, & altera sub terram, vt mos est, ad portam Collinam uecata fuerat : altera sibimet ipsa mortem consciuerat.* Præterea epitom. LIV. *lib. LXIII. tres simul virgines vestales incestu damnatæ dicuntur, idque incestum vindicatum.* Insigne exemplum est etiam apud PLINIVM *lib. IV. epist.* 11. vbi supplicium accuratius describitur, & *subterraneum*, vt vocat, *cubiculum.* Supplicium stupratorum etiam LIVIVS habet *lib. XXII. cap.* 57. *Lucius Cantilius, qui cum Floronia*, vestali virgine, *stuprum fecerat, a pontifice maximo eo vsque virgis in comitio cæsus erat, vt inter verbera exspiraret.* Et PLINIVS *epist. dicta : Celer, eques Romanus, cui Cornelia vestalis obiiciebatur*, ac si cum ea rem habuisset; *quum in comitio virgis cæderetur, in hac voce perstiterat : quid feci? nihil feci.* Durauit hic cultus Vestæ vsque ad christianos imperatores, & Theodosius omnem demum abrogauit, vt testis est ZOSIMVS *lib. V. cap.* 38. §. 4. & 6. p)

SECT.

p) Præter hos, a nostro auctore recensitos, sacrorum ministros, varii fuerunt, qui, quum hic omissi sunt, breviter pro ordine recitari debent. In hunc censum cadunt :

I. *aruspices*, dignitate auguribus inferiores, & a Romulo instituti, vt ex victima eiusque extis futura prædicerent ac numinum voluntatem exponerent : vide CICERONEM *lib. II. de legib. cap.* 8. & DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. II.* p. 90. Consulebantur etiam de fulguribus, quibus expiandis præfecti fuerunt; testibus: SENECA tragico, *Troad.* v. 355. p. 392. VIRGILIO *lib. X. Aeneid.* v. 175. & IVVENALI

sat.

sat. VI. v. 586. quod & inscriptio apud GRVTERVM p. XXI. *num.* 4. docet. Qui his aruspicibus ministrabant, *adiutores haruspicum* dicebantur, quod lapis priscus apud GRVTERVM p. CCCIV. *num.* 5. confirmat. *Vicarii haruspices*, quorum ENNIVS apud CICERONEM *lib. I. de diuinat. cap. vlt.* & IVVENALIS *sat. VI.* v. 584. meminerunt, haruspicibus reliquis dignitate inferiores erant, & priuatis etiam, per præmia inuitati, responsa ex astrorum signis atque in manu aut fronte obseruatis ductibus dabant. Acceperunt Romani hoc diuinationis genus ab Etruscis, idque duabus potissimum constitit partibus. Primum enim aruspices in extis inspiciendis versabantur. Generatim obseruarunt, num omnia exta integra ac sana; an tabefacta, pallida, vlcerosa ac languida sint: num aliquid absit, an supersit; numque ipsa hostia, ad sacrificium adducta, sponte sequatur, nec ne, aut tristes edat mugitus; præterea autem flamma, thure, mola salsa, aqua aliisque rebus vel fausta, vel infausta prædicere solebant. Speciatim oculos ad cor & iecur, præcipue vero ad fibras, fissum & caput aduerterunt, vti hæc omnia ex OVIDIO *lib. XV. metam.* v. 136. & 813. ex SENECA *Thyest.* v. 756. CICERONE *lib. I. de diuinat. cap.* 10. & 52. & TIBVLLO *lib. II. eleg.* 1. alliisque patet. Deinde & ex fulguribus futurorum interpretes ac nuntii esse voluerunt, & vti augures de quocumque, quod extra ordinem in cælo comparauit, signo, ita haruspices inprimis de locis, fulmine tactis, consulti sunt. Quoniam vero in isto loco, qui fulmine percussus erat, *bidentis* siue ouis sacra fiebant, iste *bidental* nominatus est. Sæpe etiam fulgura formabantur, eaque sub lapide infra terram, cui operculum, *puteal* dictum, imponi solebat, condebantur, quorum *fulgurum conditorum* non solum FESTVS voce *Scribonianum*, sed etiam IVVENALIS, LVCANVS, PLINIVS aliique, quos BVRC. GOTTH. STRVVIVS *Synt. ant. Rom.* p. 294. recitat, mentionem faciunt.

II. *sodales Titii*, qui in honorem Tatii, Sabinorum regis, a Romulo instituti sunt, vt Sabinæ gentis fauorem sibi eo magis conciliaret, teste TACITO *lib. II. hist. cap.* 95. §. 2. Postquam autem & imperatoribus, inter deos relatis, certa decernebantur sacra, ii & suos singulares acceperunt flamines, quibus, vt in ministerio adiuncti, sodales addebantur, ab isto imperatoris nomine, cuius sacris præerant, nuncupari. Sic alii Marciani, alii Heluiani, Alexandrini Veriani, Flauii, Adrianales, Seueriani, Aureliani sunt dicti, inter quos præcipue in inscriptionibus sodalium Augustalium fit mentio, qui sæpe cum sodalibus Titiensibus coniunguntur. Sumebantur ex decurionibus; collegium vero eorum sex constabat viris, quam ob rem & *seuiri Augustales* in GRVTERO *inscr.* p. LXIV. *num.* 6. vocantur. Sæpe etiam *magistrorum Augustalium* in inscriptionibus, vti apud RAPH. FABRETTVM *inscript.* p. 90. & IAN. GRVTERVM p. CCCXX. *num.* 12. p. CCCLXXII. *num.* 7. p. DCCXXXVII. *num.* 7. fit mentio, quos eosdem cum *magistris larum diuinorum & magistris larum Augustorum & genii Cæsaris* esse, multi non sine probabilitate credunt: conf. HENR. NORISIVM *cenotaph. Pisan. diss. I. cap.* 6. THOM. REINESIVM *epist. XXXI. ad Rupertum* p. 156. VAL. CHIMENTELLIVM *marmor. Pisan. de honore bisell. cap. L.* BVRC. GOTTH. STRVVIVM *synt. ant. Roman. cap. XII.* p. 614.

III. *curiones*, quorum triginta Romulus pro numero curiarum constituit, vt pro singulis curiis sacra fierent, quod ex DIONYSIO *Halicarnasseo lib. II.* p. 93. patet. Vide de illis NICOL. BERGIERIVM *de viis militar. lib. V. sect.* 8. *p.* 62. *tom. X. thes. ant. Rom.* GRÆVII: CLAVDIVM PRÆVOTIVM *de magistrat. Rom. cap.* I. HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 702. ANT. VAN DALE *diss. X. ant. & marmor. illustrand. inseruientib.* p. 86. Hos curiones nonnulli inepte cum *magistris curiæ* confundunt.

IV. Ce-

IV. *Cereris sacerdos Græca.* Vti enim ex CICERONE *pro Balbo cap. XIV.* discimus, sacra Cereris semper per Græcas sacerdotes sunt administrata, quo & inscriptiones apud *Gruterum* p. CCCIX. *num.* 2. & 3. & p. CCCVIII. *num.* 4. referendæ sunt.

V. *sacerdos dei solis inuicti Mithræ*, qui in saxis litteratis etiam *solis sacerdos : pater patrum dei solis invicti Mithræ : pater patratus* D. S. I. M. vocatur. Sacerdotes hi sollemni ritu ad sacra hæc, quæ maxime diuersa erant, vt priscus lapis apud GRVTERVM p. CCCIII. *num.* 12. docet, initiati atque in antro quodam, teste IVSTINO *martyre dial. cum Tryphone iudæo* p. 296. consecrati sunt.

VI. *Bacchæ* & *Orgiophantæ*, Bacchi sacerdotes, a quibus sacrificia ipsi instituebantur, atque in isti simulacra Bacchi lignea & fictilia, quæ *oscilla* dicere veteres solebant, in altissimis arboribus suspendebantur : vid. IAC. PHILIPPVM THOMASINVM *de donariis cap. XXVII.* Sacerdotum horum princeps *archibucolus dei liberi* in inscriptione apud GRVTERVM p. XXVII. *num.* 4. dicitur.

VII. *galli*, sacerdotes matris deum, siue Cybeles. Erant castrati, in memoriam Atyos, qui deæ huic perpetuam castitatem spopondérat, ab ipsa vero, postquam sangaritidem nympham amore insolito prosequi cœpit, ad furorem adactus, sibi ipsi testiculos, vti referunt, abscíderat. Quam ob caussam & eius successores se vt furibundi gerere, & inter furorem vaticinia edere solebant: vid. LVCANVM *lib. I.* v. 561. IVVENALEM *lib. VI.* v. 513. & PLINIVM *lib. XXXV. hist. natural. cap.* 12. Qui huic collegio præerat, *Archigallus* est dictus : conf. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Ael. Lamprid. vit. Heliogab. cap. VII.* p. 806. ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. XXXVIII.* FRID. ADOLPH. LAMPIVM *de cymbal. vet. lib. II. cap.* 16. ANDR. DOM. FLOCCVM *de potest. Rom. lib. I. cap.* 12. ANT. VAN DALE *diss. IX. antiquit. & marmor. illustrand. inseruient.* p. 150. seq. BVRMANNVM,

NVM, CVPERVM, VOSSIVM aliosque silentio transeo.

VIII. *duumuiri & triumuiri sacri*, quorum illi comitiis tributis, pro lege Papiria, eo potissimum fine creati sunt, vt ædem, quæ ab aliquo erat vota, rite dedicarent ac consecrarent, cuius rei exempla apud LIVIVM *lib. II. cap.* 42. & *lib. XXXV. cap.* 41. sunt; hos vero ad ædes sacras collapsas reficiendas adhibitos esse, idem historicus *lib. XXV. cap.* 7. confirmat. Fuerunt & alii sacerdotes Romæ, cultui certi cuiusdam numinis præfecti, vt *Potitii* & *Pinarii*, *Bellonarii*, cet. quorum illi Herculis, hi vero Bellonæ administrarunt sacra; quamuis illorum in antiquis ingenii monimentis haud frequens fiat mentio. Qui inter eiusmodi memoratos sacerdotes primum habebant locum, *antistites* & *magistri* adpellabantur; vtraque tamen honorifica adpellatio & certis sacerdoribus adtributa est, vti hoc de Cereris sacerdotibus, de magistris Egeriæ, Feroniæ, Augustalibus, fani Dianæ, larum diuinorum satis compertum est.

Ad ministros denique sacerdotum pertinent:

I. *camilli* atque *camillæ*, sacerdotum liberi, vel alii pueri ac puellæ: conf. DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. II.* p. 92. & MACROBIVM *lib. I. saturnal. cap.* 8.

II. *flaminii* & *flaminiæ*, flaminis dialis eiusque vxoris ministri.

III. *æditui*, qui sacris ædibus præfecti & pro diversis numinum templis distincti erant.

IV. *curatores*, siue ii, in quorum cura non solum ipsa templa ac fana numinum, sed etiam ipsa sacra fuisse videntur, vt inscriptiones docent.

V. *kalatores*, qui sacerdotum serui ac præcones fuerunt: vid. GRVTERVM p. CCCV. *num.* 3. p. CXXI. *num.* 1. FESTVM voc. *kalator*.

VI. *præciæ* & *præclamitatores*, qui flaminibus præibant, &, vt homines opere abstinerent, exclamabant, ne sacra polluerentur. *Scribas* pontificum: *lictores* virginum Vestalium: *præficas* in funeribus, laudum mor-

SECT. III.

DE FESTIS DIEBVS SEV FERIIS. q)

CAP. I.

DE DIVISIONE DIERVM FESTORVM.

FESTI dies Romanis non vnius generis erant; sed quidam *stati* & ad certum mensem cer-

mortui interpretes ac præcones: *designatores*, qui toti funebri pompæ præerant: *tibicines* ac *fidicines*, *vespas*, siue *vespillones*, pauperum cadauera tempore vespertino efferentes, aliosque sacerdotum ministros tacitus prætereo.

q) Statæ sollemnesque ceremoniæ principem in veteri Romano pontificio iure absoluunt partem. Ad ipsum *ius pontificiale*, & *ius religionis* & *ius ceremoniarum* vocatum, quod adtinet, id ex Etruscorum disciplina Numa, harum rerum peritissimus, sumsit: ex eo sacrorum ritus præscripsit & omnia, quæ ad numinum cultum pertinent, per octo libros rite digessit, secundum quos postea, vt LIVIVS *lib. I. cap.* 32. refert, Ancus Martius omnia disponenda curauit, tam quæ ad ipsos deos, quam eorum cultum totamque spectabant religionem. Eiusmodi sacrorum ritus, ne illi ex memoria hominum per longum temporis spatium discederent, quernis tabulis incisos fuisse, DIONYSIVS *Halicarnassseus lib. III.* p. 178. testatur. CVRTIVS INGHIRAMIVS seculo superiori *Etruscarum antiquitatum fragmenta* Florentiæ edidit, eaque pro veris antiqui pontificii iuris reliquiis harum rerum æstimatoribus obtrudere voluit; LEO vero ALLATIVS satis fraudes INGHIRAMII ostendit, quod & GER. IO. VOSSIVS *de hist. latin. lib.*

tumque tempus adligati, certisque dedicati numinibus : alii *generales* erant, & quouis tempore poterant institui, variisque numinibus dedicari, prout res & status reipublicæ exigebat, r) vt lectisternium,

lib. I. cap. 9. fecit: adde BVRC. GOTTH. STRVVIVM *Synt. ant. Rom. cap. II.* p. 190. vbi & antiquiores iuris pontificii commentatores, inter quos VARRO, IVL. CÆSAR, LABEO ANTISTIVS & FENESTELLA principes sunt, recitantur. Nonnulla veteris huius iuris pontificii vestigia apud SENECAM *epist. CVIII.* A. GELLIVM *lib. I. cap.* 12. *lib. IV. cap.* 6. LACTANTIVM *de falsa religione lib. I. cap.* 6. & MACROBIVM *lib. III. saturnal. cap.* 5. inueniuntur.

r) De feriis veterum Romanorum, præter antiquiores, FERRIVM, FLACCVM, IVLIVM, MODESTVM aliosque, commentati sunt: PETR. MORESTELLVS in *Alypio*, *siue de priscorum Roman. feriis*: SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA *in præcidaneis ad fastos calendares Romanorum*, & RVDOLPH. HOSPINIANVS *de festis iudæorum & ethnicorum.* PAVLLVM MERVLAM, LIL. GREG. GYRALDVM, IO. LVD. RVELLIVM, BVRC. GOTTH. STRVVIVM aliosque tacitus prætereo. Feriæ eiusmodi erant vel *publicæ*, vel priuatæ. Illæ diuidebantur I. in *statiuas*, quæ ab vniuerso populo certis & constitutis diebus ac mensibus celebrabantur, prouti Agonalia, Carmentalia, Cerealia, Consualia, Lupercalia, Faunalia, Parilia, Floralia, Terminalia, Liberalia atque alia fuerunt: II. in *conceptiuas*, quæ singulis annis a magistratibus indici solebant, vt latinæ & sementinæ feriæ: paganalia ac compitalia: III. in *imperatiuas*, quæ noua ex caussa constituebantur, ob bellum videlicet bene ac fortiter gestum, ob prodigia, aliasque ob rationes. Eam enim ob rem nouemdialia indicta esse, apud LIVIVM *lib. I. cap.* 31. habetur, quoniam lapidibus pluisse nuntiatum

nium, nouemdiale sacrum, supplicationes, ludi placando numini facti & similes. Ex statorum numero sunt: Faunalia, Lupercalia, Terminalia, Cerealia, Liberalia, Quinquatrus, Lauatio matris deum, Parilia, Floralia, Bonæ deæ sacrum, Consualia, Vulcanalia, Saturnalia, calendæ, feriæ latinæ, ver sacrum, ludi seculares.

CAP. II.

DE FERIIS GENERALIBVS ET QVIDEM DE LECTISTERNIO.

§. I.

TANTA superstitio erat paganorum, vt credetum fuerit, cui ea, quæ *lib. XXXIV. cap.* 45. leguntur, addi possunt. Ferias eiusmodi summa prosequebantur reuerentia Romani, adeo, vt non solum ab omnibus operibus, præter ea, quæ ob necessitatem peragenda erant, abstinerent: omnem forensem strepitum, iudicia aliasque his similes actiones intermitterent, tabernasque clauderent; sed etiam lites, iurgia ac qualemcunque læsionem differrent, id quod ex VIRGILIO *lib. I. georg.* v. 268. & MACROBIO *lib. I. saturnal. cap.* 15. discimus, quibus IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. III. cap.* 14. & BRISSONIVS *de form.* p. 259. adiungi debent. Ex hoc patet, eiusmodi cessationem a iure dicundo aliisque forensibus causis *iustitium* adpellatum fuisse. Vtebantur puris vestibus, vt OVIDIVS *lib. I. fast.* v. 71. docet: limina domuum ornabantur lauro, simulacrisque deorum flores adpendebantur, cuius rei SENECAM *epist. LXVIII.* testem habemus. Matutinis potissimum horis, postquam ab ædituo templa aperta fuerant, numina sua hymnis & precibus veteres coluisse, ex ARNOBIO *lib. VII. aduers. gent.* p. 237. & SENECA *epist. XCV.* discimus.

derent, placari deos epulis & lectisterniis posse, quibus ipsi dii, quasi ad cœnam vel conuiuium, inuitarentur. s) Originem LIVIVS describit lib.

s) Inter præcipua festa sollemnia veterum Romanorum locum obtinent *lectisternia*, quibus ad deorum simulacra puluinaria collocabantur, atque, stratis floribus ac frondibus virentibus ante numinum ædes, conuiuia ex victimis immolatis parabantur, ad quæ senatores patriciique cum sua familia, pueri ingenui & libertini ac virgines cum coronis ac lauris, thensis ac ferculis deorum procedere pacemque ab iis expetere solebant. Ad conuiuia hæc dii inuitabantur, ipsisque, quasi præsentibus, lecti sternebantur, qui non priuati, nec vsui communi destinati, sed singulares, hisque sollemnibus epulis speciatim consecrati fuerunt, vt aperte ARNOBIVS *lib. VII. aduers. gent.* p. 238. docet. Apud Græcos iam *lectisternia* in vsu fuisse, non solum ex VALERIO MAXIMO *lib. II. cap.* 10. sed etiam ex ATHENÆO & *veteri scholiaste Pindari* aliisque testimoniis patet, quæ ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Suetonium, vit. Cæs. cap. LXXVI.* p. 91. commemorat. Lecti ipsi nonnunquam in nummis conspiciuntur, qua de re VAL. CHIMENTELLVS *de honor. bisell. cap. XXXI.* 10. FOYVAILLANTIVS *fam. Rom. tom. I.* p. 292. & EZ. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 193. legi possunt. Ex LIVIO *lib. V. cap.* 10. *lib. XXII. cap.* 10. patet, ea lectisternia a quindecimuiris sacris faciundis in honorem Iouis, Iunonis, Neptuni, Mineruæ, Martis, Veneris, Apollinis, Dianæ, Vulcani, Vestæ, Mercurii ac Cereris, hacque ratione in honorem deorum potissimum consentium celebrata fuisse. Meminit tamen *lib. XXI. cap.* 42. alius lectisternii, quod *Iuuentuti* paratum atque instructum fuit. Deabus sellas, vt diis lectos, positas esse, ex TACITO *lib. XV. annal. cap.* 44. cognosci potest. Vincti etiam, nisi flagitii grauitas id interdicebat, ex vinculis liberi dimitte-

ban-

lib. V. cap. 13. *tristem hyemem grauis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit: libri Sibyllini ex senatus consulto aditi sunt. Duumuiri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in vrbe Roma facto, per dies octo Apollinem Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus, quam amplissime tum adparari poterat, stratis lectis placauere: priuatim quoque id sacrum celebratum est. Tota vrbe patentibus ianuis, promiscuoque vsu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim aduenas in hospitium ductos ferunt.*

§. II.

Exempla plura postmodum apud LIVIVM occurrunt *lib. VII. cap.* 2. *hoc & in sequenti anno pestilentia fuit, eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exposcendæ caussa tertio tum post conditam vrbem lectisternium fuit.* Et *lib.* XXI. *cap.* 61. ad expianda prodigia lectisternium dicitur adhibitum: *lectisternium Cære, & supplicatio Fortu-*

bantur, quod & apud alias gentes, iudæos nominatim, in sacris paschatis tempore vsitatum fuisse, ex *Matth. XXVII*, 15. & *Io. XVIII*, 39. discimus, quæ consuetudo etiam apud Græcos pariter ac Romanos in festis sollemnioribus recepta erat. Lege: CORNEL. ADAMI *obseru. sacr.* p. 185. IAC. LECTIVM *ad Modestinum de pœnis, tom. I. thes. iur. Rom. Euerh. Ottonis* p. 145. SAM. PETITVM *ad leges Atticas* p. 38. IO. MEVRSIVM *Græcia feriat.* p. 164. IO. LAVRENTIVM *var. gentil. sacr. tom. VII. thes. ant. Græc. Gronovii p.* 21. SCHMIDII, GODOFREDI, LYDII, TRILLERI aliorumque non mentionem facio, quos IO. CHRIST. WOLFIVS *cur. phil. & crit. tom. I.* p. 396. & IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiquar. cap. X.* §. 6. p. 314. recitant.

Landesbibliothek Oldenburg

næ in Algido, Romæ quoque lectisternium Iuuentuti & supplicatio ad ædem Herculis indicta sunt. Addi possunt exempla ex *lib. XXII. cap.* 1. ex libris Sibyllinis *Decembri iam mense in æde Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum & cum lectum senatores strauerunt & conuiuium publicum.* TACITVS quoque *lib. XV. cap.* 44. hunc ritum sub Nerone obseruatum fuisse, testis est. t) Vide & FLORVM *lib. I. cap.* 7.

CAP. III.

DE NOVEMDIALI SACRO.

§. I.

ORIGINEM tradit LIVIVS *lib. I. cap.* 31. *Romanisque quoque* sub rege Tullo Hostilio *ab eodem prodigio*, id est, quo lapidibus pluisse ferebatur, *nouemdiale sacrum publice susceptum est; seu voce cælesti, ex Albano monte missa, nam id quoque traditur; seu aruspicum monitu. Mansit certe solemne, vt, quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per nouem dies agerentur.*

§. II.

t) Plura de lectisterniis exhibent: PHIL. A TVRRE *monument. vet. Antii* p. 318. IAC. PHIL. TOMASINVS *de donar. cap. IV. tom. XII. thes. ant. Rom. Grævii*, p. 2149. IO. LOMEIERVS *de lustrat.* p. 28. 70. & 481. ALSTORPHIVS *de lectis veterum* p. 168. PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cur. domest. Rom. tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 1272. & IOS. LAVRENTIVS *de prandio & cœn. veterum cap. XXI.* Alios a SAM. PITISCO *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 403. & IO. IARCKIO *not. ad Schedium de diis German.* p. 98. excitatos tacitus prætereo.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Causſa ergo, has ferias agendi, potiſſimum erat pluuia lapidum. Exempla exſtant apud LIVIVM *lib. XXI. cap.* 62. *quod lapidibus pluiſſet in Piceno, nouemdiale ſacrum edictum*, & *lib. XXV. cap.* 7. *lib. XXIX. cap.* 14.

CAP. IV.

DE SVPPLICATIONIBVS.

§. I.

DVPLICIS generis erant ſupplicationes: *triſtes*, pro auertendis malis, quas nos dicimus *Buſs-tage*, & *lætæ*, apud nos *Dankfeſte*, quibus pro victoria aut republica conſeruata gratiæ diis per vnum aut plures dies agebantur, &, ſi ſolemniores eſſent, ad omnia puluinaria, hoc eſt, in omnibus templis, quorum pars erant puluinaria, deorum ſimulacra imponebantur.

§. II.

Prioris generis u) multa exempla ſunt apud LI-

u) Supplicationes triplicis ſunt generis. Nonnullæ ob res præclare geſtas inſtitutæ fuerunt: aliæ pro felici & optato rerum gerendarum, inprimis armorum, ſucceſſu decernebantur; cuius rei exempla apud LIVIVM *lib. XIII. cap.* 1. *lib. XXXVII. cap.* 47. *lib. XXI. cap.* 17. habemus, a quibus eæ differunt, quæ ad placandos deos atque auertendam illorum iram, per triſtia prodigia nuntiatam, vel ob infelices res geſtas factæ ſunt; vti hæc omnia itidem ex LIVIO *lib. X. cap.* 23. *lib. XXXVIII. cap.* 36. *lib. XL. cap.* 54. *lib. XXVII. cap.* 23. diſcimus. Decernebantur a conſulibus ex ſe-

natus

LIVIVM *lib. X. cap.* 23. *eo anno prodigia multa fuerunt, quorum auerruncandorum causſa, ſupplicationes in biduum ſenatus decreuit. Publice vinum ac thus ſacrificiis præbitum, ſupplicatum iere frequentes viri feminæque; lib. XXV. cap.* 7. *horum prodigiorum cauſſa diem vnum ſupplicatio fuit, & lib. XLI. cap.* 9. *eorum prodigiorum cauſſa conſules maiores hoſtias immolarunt, & diem vnum circa omnia puluinaria ſupplicatio fuit. Lib. XXVIII. cap.* 11. exemplum ſupra in Veſtalibus adductum fuit.

§. III.

Lætarum ſupplicationum exempla frequentiora ſunt. LIVIVS *lib. V. cap.* 23. *Romam vt nunciatum eſt, Veios eſſe captos, quia tot annis varie ibi bellatum erat, multæque clades acceptæ; velut ex inſperato immenſum gaudium fuit. Et priusquam ſenatus decerneret, plena omnia templa Romanorum matrum, grates diis agentium, erant. Senatus in quatriduum, quot dierum nullo ante bello, ſupplicationes decernit.* Et *lib. VIII. cap.* 33. *conueniens eſſe, propter Quinti Fabri victoriam, ciuitatem in lætitia, in ſupplicationibus ac gratulationibus eſſe.* CICERO *Catil. III. cap.* 6. *ſupplicatio diis immortalibus pro ſingulari eorum merito meo nomine decreta eſt; quod mihi primum poſt hanc vrbem conditam togato contigit*, ſcilicet disiecta Catilinæ coniuratione. Aliam ſupplicationem meruit victis hoſtibus in Amano Ciliciæ monte, de qua COELIVS ad *Ciceronem*

natus conſulto, erantque vel *vniuerſales* ac omnibus diis communes; vel *particulares*, quæ ſingularis numinis propriæ erant; vt ex LIVIO *lib. XXXI. cap.* 62. & TACITO *lib. XV. annal. cap.* 44. patet.

ronem lib. VIII. ep. 11. CATO ad eundem *lib. XV. ep.* 5. §. 3. & 4. in qua ostendit, supplicationem eiusmodi vel triumpho præferendam esse, & maioris faciendam. Cæsari supplicationes ex bello Gallico decretæ sunt quindecim dierum, *lib. II. de bello Gallic. cap.* 35. & viginti dierum, *lib. IV. cap.* 38. §. 4. Plura exempla apud CICERONEM habes *orat. III. cap.* 10. ineunte. x)

CAP. V.

DE LVDIS PLACANDO NVMINI FACTIS. y)

§. I.

CÆCITAS ethnicorum ex eo vel maxime cognosci

x) Eiusmodi supplicationes imperatoribus magis ad ostentationem, quam ad gratias iis referendas instituebantur. Non semper istæ cum triumpho coniunctæ erant. Facilius enim supplicationes quam triumphos victores obtinere potuerunt. Protrahebantur per plures dies, vt ex LIVIO *lib. XXXVIII. cap.* 44. patet, eorumque numerus, succedente tempore, mirum in modum crescebat, adeo, vt quum antea tres, postea, testibus CÆSARE *de bell. Gall. lib. II. cap.* 35. & DIONE CASSIO *lib. XXIX.* p. 94. viginti, quadraginta, immo sexaginta dies celebrauerint Romani, quod ex CÆSARE *lib. IV. de bell. Gall. cap.* 38. DIONE CASSIO *lib. XLIII.* p. 220. & *lib. XL.* p. 144. constat. Bello ciuili eiusmodi supplicationes non fiebant: conf. CAROL. SIGONIVS *de ant. iure prouinc. lib. II. cap.* 7. IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontific. lib. I. cap.* 35. p. 71. PETR. TAFFINVS *de anno secul. cap. XV.* & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 47.

y) Ludi ipsi in *publicos* & *priuatos* possunt diuidi. *Illi* in deo-

gnosci potest, quod, quum deum colendum esse, & instante periculo placandum cognouerint, modum tamen diuini cultus adeo ignorarunt, vt ludis scenicis aliisque similibus ludicris placari deum, & ad mitiorem de hominibus sententiam perduci posse, crediderint.

§. II.

Eius absurdæ rei exempla habemus apud varios scriptores, vt apud CICERONEM *Catil. III. cap.* 8. quum tristia signa de cælo obseruasset, eorumque causas aruspices consulti respondissent: *cædes atque incendia & legum interitum & bellum ciuile ac domesticum, & totius vrbis ac imperii occasum adpropinquare, nisi dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque ex illorum responsis tunc & ludi decem per dies facti sunt, neque res vlla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est.* Originem huius ritus prodidit LIVIVS

deorum: *hi* in magistratuum atque defunctorum honorem instituti sunt. Et, vti omnes ad religionem ac sacra referebantur, quum numquam sine sacrificiis peragi solerent; ita publici inprimis ad deorum cultum varias ob causas pertinebant. Deos enim suos istis quasi demulcere, eosque ad benefaciendum inuitare, iratos placare, & salutem populi a numinibus expetere, sibique plebis gratiam colligere voluerunt. Ludos scenicos ad iram diuinam auertendam ita institutos esse, LIVIVS *lib. VII. cap.* 2. testatur, cui TACITVS *lib. XIV. annal. cap.* 23. & CICERO *lib. II. de officiis cap.* 17. addendi sunt. Plura de hoc argumento exhibent: IAC. GVTHERIVS *de iure pontif. lib. III. cap.* 18. EVER. OTTO *de ædil. colon. & municip. cap. XI.* aliique, quos infra recitabo.

Landesbibliothek Oldenburg

VIVS *lib. VII. cap.* 2. Quum dixisset, in pestilentia eius anni lectisternium fuisse factum, addit: *quum vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici noua res bellicoso populo, nam Circi modo spectaculum fuerat, inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur.* Item tradit CENSORINVS *de die natali cap. XII. Nisi grata*, inquit, *esset musica diis immortalibus, qui constant ex anima diuina profecto, ludi scenici placandorum deorum caussa instituti non essent; nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur.* Hæc vt intelligas, sciendum est, musicæ potissimum locum in theatro fuisse, ideoque comœdias tragœdiasque metrice fuisse conscriptas, vt modulamini musices adcommodarentur. z) Quæ hoc loco tantum com-

z) His a nostro auctore memoratis festis generalioribus addi debent:

I. *amburbium*, quo vrbs & pomœrium, vbi insignis calamitas contigerat; scelus graue admissum erat; aut prodigium vrbi imminere videbatur, purgari solebant. Et quia hostia circa vrbem ducebatur, expiationis hoc festum *amburbium*, teste VOPISCO *vit. Aureliani cap. XX. tom. II. script. hist. Aug.* p. 462. hostia vero ipsa *amburbialis*, vt FESTVS docet, dicta est. Huius *amburbii* mentionem faciunt: IVLIVS OBSEQVENS *de prodigiis cap.* 53. APVLEIVS *lib. III. metam.* p. 71. & LVCANVS *lib. I. pharsal.* v. 593. conf. ADR. TVRNEBVM *lib. XVIII. aduers. cap.* 17. p. 554. IO. LOMEIERVM *de lustrat. cap. XXX.* p. 358. & CLAVD. SALMASIVM *not. ad memorat. Vopisci locum*, p. 462.

II. *ambarualia*, quibus agri Romani purgati sunt. Et

commemorasse sufficiat, quum de ipsis ludis & variis eorumdem generibus infra pluribus exposituri

Et quemadmodum *priuati* a patre familias, teste TIBVLLO *lib. II. eleg. I.* ita *publici*, de quibus hic sermo est, a fratribus arualibus mense Maio quotannis fieri solebant, vt agris fœcunditas conciliaretur. Eorum apud VIRGILIVM *lib. I. georg.* v. 345. & APVLEIVM *lib. III. ab init.* fit mentio, qui ea *lustrale piamentum* vocat, cui VOPISCVS *vit. Aurel. cap. XX.* & TIBVLLVS *lib. II. eleg. I.* adiungendi sunt, vbi aperte amburbium ab ambarualibus distinguitur. Hoc contra SCALIGERVM *not. in Festum* voce *Amtermini* obseruandum est, qui sacrificium amburbiale & ambaruale idem esse pronuntiauit; cui sententiæ etiam SERVIVS *comm. in Virgilii eclog. III.* v. 77. claris verbis contradicit.

III. *suouetaurilia*, siue *solitaurilia* erant sacrificia, quibus ex instituto Seruii Tullii per singulos quinque annos vrbs purgabatur, & quæ sue, oue & tauro peragi solebant: conf. LIVIVM *lib. I. cap.* 44. DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. IV.* p. 225. FESTVM voce *solitaurilia*, & adde PAVLL. MANVTIVM *de ciuit. Rom. tom. I. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 33. IO. SAVBERTVM *de sacrific. cap. IV.* IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontific. lib. IV. cap.* 18. & HENR. NORISIVM *diss. de votis decennalibus imperator.* p. 76. In fratrum arualium votis apud GRVTERVM *inscript. p. CXXI. num. I. solitaurilia maiora* commemorantur, de quibus IAC. GVTHERIVS *lib. IV. de iure pontif. cap.* 18. p. 210. consulendus est. Ista solitaurilia in toreumate expressa videbis apud IAC. SPONIVM *misc. erut. ant.* p. 309.

IV. *peruigilia*, quæ vel sacrorum, vel lætitiæ caussa instituta sunt, vt ex TACITO *lib. II. hist. cap.* 68. §. 2. & SVETONIO *vit. Caligul. cap. LIV.* videmus. Illa, de quibus hic loquimur, erant tam publica, quam privata,

turi simus. Nunc a generalibus feriis ad speciales progrediendum est.

CAP.

vata, &, vti de his GALBÆ historia apud SVETONIVM *vit. eius, cap. IV.* testatur; ita de illis, quæ proprie huc spectant, diserte idem scriptor *vit. Aug. cap. XCIV.* agit ac significat, peruigilia eiusmodi non per totam noctem durasse. BEROALDVS hunc Suetonii locum falso explicat de incubatione, quæ ad priuata tantum sacra pertinebat, vti & recte quidem obseruauit CASAVBONVS p. 285. ed. GRÆVII; in eo tamen a veritate discedit, quando in Apollinis æde incubationem peractam esse, in dubium vocat. Eum enim inter numina fuisse, quæ ægrotis incubatoribus per somnia auxilium præstiterunt, probant non solum varia illius cognomina in inscriptionibus, quæ scientiam eius medicam produnt; sed etiam ea, quæ de Coo, ipsi consecrato, templo veteres referunt, in ara videlicet, ibi posita, morbi medelas inscriptas fuisse, more incubantium, qui præscriptam a numinibus medicinam tabulis incidendam & posteris tradendam curare solebant. Adde DIODORVM SICVLVM *biblioth. hist. lib. V.* p. 341. ex quo hæc omnia satis confirmari possunt.

V. *ieiunia.* Veteres pagani homines vti in vniuersum sibi persuaserunt, se ieiuniis, ad certum tempus institutis, gratiam ac fauorem numinum sibi conciliare posse; ita speciatim Romani sollemne tale ieiunium in honorem Cereris ex libris Sibyllinis edixerunt, quemadmodum hoc ex LIVIO *lib. XXXVI. cap.* 37. cognoscimus, cui CLEMENS *Alexandrinus protrept.* p. 13. atque ARNOBIVS *lib. V.* p. 175. adiungendi sunt; præter hos autem: GVIL. STVCKIVS *descript. sacrificiorum gentil.* p. 250. LVD. CÆL. RHODIGINVS *lib. XXVII. lect. ant. cap.* 20. & SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 304.

VI. *nudipedalia*, quo die festo nudis pedibus Roma-

Cap. VI.

DE FESTIS SPECIALIORIBVS ET QVIDEM DE FERIIS LATINIS.

§. I.

Antiqvvm sacrum erat, ab Albanis ad Romanos transmissum, quod quotannis monte Albano a quadraginta septem populis Latii Ioui Latiali, siue Latiari celebrabatur. Taurus Ioui communi nomine populorum immolatus. Quisque autem populus ad epulas singulare adferebat, quæ in illis feriis & in monte Albano instituebantur. Primum vnus dies erat: deinde additus alter, tertius itidemque quartus, quod ex DIONYSIO *Halicarnasseo lib. IV.* p. 250. constat, a) vbi ritum ipsum, & *lib.*

incedere eoque iratos deos placare ac pro terra, ob solis ardorem arescente, pluuiam a numinibus impetrare volebant. Nonnulli ritum hunc a Iudæis deduxerunt; eos vero ANTON. BYNÆVS *de calceis ebr. lib. II. cap.* 4. §. 5. refellit. Huius consuetudinis mentionem faciunt TERTVLLIANVS *de ieiuniis cap. XVI.* STATIVS *lib. IX. Thebaid.* v. 672. aliique plures apud memoratum BYNÆVM ac PITISCVM *loco indicato* p. 652.

VII. Singularis etiam sollemnioris ritus *claui figendi*, pestis tempore maxime vsitati, LIVIVS *lib. VII. cap.* 3. his verbis mentionem facit: *lex vetusta est priscis litteris verbisque scripta, vt qui prætor maximus sit, idibus Septembribus clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis optimi maximi, ea ex parte, qua Mineruæ templum est. Eum clauum, quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuisse, ferunt eoque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum sit.*

a) Idem & confirmat PLVTARCHVS, qui *vit. Camill.* p. 151.

lib. VI. p. 366. vbi ampliationem descripsit : crebra mentio apud LIVIVM est *lib. V. cap.* 17. his verbis : *Latinas sacrumque in monte Albano rite non concepisse*, & *cap.* 19. *iam ludi Latinæque instauratæ erant*, & *lib. XXI. cap.* 63. *latinarum feriarum mora*, & *lib. XXII. cap. I. Latinis feriis actis, sacrificio in monte Albano perfecto*, & *lib. XXXII. cap.* 1. *feriæ Latinæ pontificum decreto instauratæ sunt.*

§. II.

Non habebant statum diem, sed poterant alio atque alio mense celebrari, quemadmodum inuenimus mense Aprili actas apud LIVIVM *lib. XLIV. cap.* 19. Maio *lib. XLI. cap.* 16. Nouembri *lib. XLV. cap.* 3. Indefinitum ergo tempus erat, vnde LIVIVS *lib. XLII. cap.* 10. scribit : *consules Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in prouinciam abituros se denuntiarunt.* Vbi notes ex DIONIS CASSII *lib. XLVI.* consules non potuisse auspicato ex vrbe ad bellum & in prouinciam abire, nisi prius feriis Latinis rite celebratis, quas si neglexissent, putat superstitiose DIO CASSIVS, infeliciter bellum geri, quod sibi videtur exemplis obseruasse. b)

p. 151. *adiectus insuper Latinis dies vnus*, inquit, *vt quaternis diebus agerentur. Illarum tempore, quo publice quondam induciæ inter Romanum populum Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum, non decebat.*

b) De feriis, vbi ceremoniæ quædam in iis ob negligentiam intermissæ erant, a pontificibus restauratis, LIVIVM *lib. XXXII. cap.* 1. *lib. XXXVII. cap.* 3. *lib. XLI. cap.* 16. de quadrigis vero, in Capitolio hoc tempore certantibus, ac de victore, absynthium bibente, PLINIVM *lib. XXVII. cap.* 7. deque præfectis vrbis, qui vsque

Nam consules & omnes magistratus Romani interesse illis sacris in monte Albano debebant.

§. III.

An etiam Latiali Ioui ibidem sanguine humano litatum fuerit, quod videntur christiani scriptores paganis obiecisse, disputatum est in notis ad LACTANTIVM *lib. I. cap.* 21. §. 3. & MINVCIVM FELICEM *cap. XXX. num.* 4.

CAP. VII.

DE SATVRNALIBVS.

§. I.

SATVRNI festum erat in memoriam seculi aurei

vsque ad magistratuum, ferias has celebrantium, reditum in vrbe imperio fungebantur, IVL. CAPITOLINVM *vit. Antonini philos. cap. IV.* & TACITVM *lib. VI. annal. cap. II.* testes habemus. CASAVBONVS *in memorato Capitolini loco* pro: *praefectus feriarum latinarum*, legit: *praefectus vrbi feriarum latinarum*; eos vero magistratus *praefectos feriarum latinarum* dictos esse, docent duae hae inscriptiones apud GRVTERVM: altera p. CCCXIII. *num.* 9.

M. AVREL. VICTORI
C. V.
PRAEF. FERIAR.
LATIN. SACERDOTI.
DEI. SOLIS.

altera p. CCCLVI. *num.* I.

M. ANTONIL. ANTIL. LVPI. PR. PATRICIL. AVGVRIS. QVAEST. SODAL. TITIL. TRIB. MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE FIDEL. XVIR. STL. IVD. PRAEF. FER. LAT.

rei, c) quod, Saturno in Italia regnante, fuisse credebatur, quotannis mense Decembri institutum, dictumque d) *Saturnalia*. Eo festo seruis

 domini

c) Saturnalia sunt instituta, vt ex LIVIO *lib. II. cap.* 21. colligi potest, anno vrbis CCLVII. Iam ante Romam conditam in Græcia cognita fuerunt, quod MACROBIVS *lib. I. saturnal. cap.* 7. testatur, cui VARRON. *lib. V. de lat. lingua* p. 34. adiungendus est.

d) Hinc MACROBIVS *lib. I. saturnal. cap.* 7. *saturnalibus*, inquit, *tota seruis licentia permittitur*. Fiebat hoc ad celebrandam memoriam temporum felicissimorum, quæ, Saturno regnante, fuisse, perhibebantur, ita vt istis omnes parem libertatem habuissent; nec inter seruum ac dominum vllum discrimen locum habuisset. Quapropter & serui ad dominorum suorum mensam discumbebant eorumque ministerio fruebantur, quod claris verbis, præter ATHENÆVM, SENECA *epist. XLVII.* docet. Quumque Romani alias vestes forenses, alias domesticas haberent, & inter has nonnullæ cœnæ essent propriæ; dies vero isti continuis consumerentur epulis; apparet inde, quare & in publico his temporibus eiusmodi vestimentis vsi fuerint, quod alias vt maximum reputabatur opprobrium. Indicat consuetudinem hanc MARTIALIS *lib. XI. epigr.* 6. v. 1. & *lib. XIV. epigr.* 1. v. 1. atque ex illo loco etiam constat, pileos in signum libertatis plebem gessisse. Vti his saturnalibus domini; ita feminæ *matronalibus* suis epula parabant, id quod ea de caussa mense Martio factum esse, scribit MACROBIVS *lib. I. saturnal. cap.* 12. vt sub initium anni serui ad nouum excitarentur obsequium: conf. MARTIALEM *lib. V. epigr.* 81. v. 10. & SVETONIVM *vit. Vesp. cap. XIX.* ex quo etiam videmus festo hoc die maritos feminas muneribus ac donis ornasse, id quod similiter feminas fecisse, ex MARTIALIS memorato loco patet.

Landesbibliothek Oldenburg

domini præbebant epulum, iisque ministrabant ipsi, & licentius pro lubitu agere, seruis erat permissum.

§. II.

Primum vno die celebratum fuit; deinde duobus, tribus, e) tandem septem diebus, f) in quibus tamen quinque dies vere festi erant. Vid. MACROBIVM *lib. I. saturn. cap.* II. Clamatum tum IO SATVRNALIA, g) item BONA SATVRNALIA. LIVIVS *lib. XXII. cap.* I. hæc habet: *postremo Decembri iam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum, & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia diem ac noctem clamatum, populusque eum diem festum habere ac seruare in perpetuum iussus.* CICERO *Catil. orat. III. cap.* 4. dicit: *Lentulo & aliis Saturnalibus cædem fieri atque vrbem incendi placuisse: Cethego nimium id longum visum.* Licentiam seruorum, testatur etiam PLINIVS

e) Quis quartum addiderit diem, incertum est. Quintum adiecisse Caligulam, SVETONIVS *vit. eius cap. XVII.* & DIO CASSIVS lib. *LIX.* p. 644. testantur; conf. SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium* p. 541.

f) Septem saturnalium dies expressis his verbis nominat MARTIALIS *lib. XIV. epigr.* 72. v. 2. p. 756.

Saturni septem venerat ante dies.

Ipsa saturnalia quinque absoluta sunt diebus; reliqui vero duo dies festiuitatibus atque omnis generis lætitiis destinati erant: conf. IVST. LIPSIVS *lib. I. saturn. cap.* 3. & 4. *tom. III. operum* p. 879.

g) De hoc adclamandi genere vide MARTIALEM *lib. XI. epigr.* 2. & adde BARN. BRISSONIVM *de formul. lib. VIII.* p. 720. IVSTVM LIPSIVM *libro memorato* p. 876. & FRANC. BERNHARDIN. FERRARIVM *de adclamat. vet. lib. VII. cap.* 16.

Landesbibliothek Oldenburg

NIVS, non Romæ modo, sed in villis etiam fuisse, *lib. II. ep.* 17. §. 24. *in hanc ego diætam*, inquit, *quum me recipio, abesse mihi etiam a villa mea videor, magnamque eius voluptatem præcipue Saturnalibus capio, quum reliqua pars tecti licentia dierum festisque clamoribus personat. Nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt.* Munera etiam mittebantur inter ingenuos his festis diebus. h)

§. III.

Idem PLINIVS *lib. IV. ep.* 9. Bassum principi dixisse, ait, *sola se munuscula duntaxat natali suo, aut saturnalibus accepisse, & plerisque misisse.* Adde MARTIALEM *lib. IV. epigr.* 88:

h) Inter alia dono dederunt *cereos* atque *sigillaria*. Illis significabant, Saturnum luminibus colendum esse, per quem ex tenebrosa & obscura vita ad lucem quasi perveniissent. Hæc, siue sigillaria, parua simulacra erant, atque ex ære, argento & auro, aut alia materia conflari & pueris inprimis donari solebant: vide SVETONIVM *vit. Claud. cap. V.* MARTIALEM *lib XIV. epigr.* 178. p. 779. SPARTIANVM *vit. Caracall. cap. I. & vit. Adrian. cap. XVII.* MACROBIVM *lib. I. saturnal. cap.* 10. ex recentioribus autem MARTIN. LIPENIVM *de strenis cap.* II. THOM. GATAKERVM *not. in Antonin. cap. VII.* §. 3. p. 207. IACOB. CVIACIVM *lib.* XI. *obseruat. cap.* 30. CASPAR. GEVARTIVM *not. ad Statium lib. I. sil.* 6. v. 17. p. 67. ed. VEENHVSENII: PHILIPP. BEROALDVM, LÆVINVM TORRENTIVM & SAM. PITISCVM *not. in Suetonium vit. Claud. cap. V.* p. 641. ADR. TVRNEBVM *lib. II. aduers. cap.* 2. p. 36. & *lib. XXIII. cap.* 28. p. 797. Hinc & ille locus, vbi eiusmodi puerilia dona exponebantur, Romæ *sigillariorum* habuit nomen.

Nulla remisisti paruo pro munere dona
Et iam Saturni quinque fuere dies.

Scholæ etiam cessabant i) iis diebus, ad quod idem PLINIVS *lib. VIII. ep.* 7. adludit: *tu in scholam revocas, ego adhuc saturnalia extendo*, & MARTIALIS *lib. V. epigr.* 84.

CAP. VIII.

DE LIBERALIBVS.

MEMINIT horum CICERO *lib. XII. ep.* 25. quæ incipit: *Liberalibus litteras accepi tuas.* Erat autem Libero, id est, Baccho, sacer dies k) XVI.

i) Differebantur etiam senatorum conuentus ac iudicia, omnisque cessabat strepitus forensis, id quod ex SVETONIO *vit. Aug. cap. XXXII.* §. 9. SENECA *epist. XVIII. tom. II. operum* p. 65. & MARTIALI *lib. VII. epigr.* 27. patet. De saturnalibus lege FRID. RAPOLDVM *not. ad Horatium* p. 318. IVSTVM LIPSIVM *lib. I. saturnal. sermon. cap.* 2. *tom. III. operum* p. 873. seq. IOH. BAPT. CASALIVM *de vrb. & imper. Rom. splendore part. II. cap.* 5. aliosque, a SAM. PITISCO *lexic. ant. Roman. tom. III.* p. 339. memoratos.

k) *Liberalia* ad impetrandum vberiorem vini prouentum a Baccho die XVI. calendar. April. ita instituta sunt, vt matronæ decrepitæ ac senes, hedera coronatæ, in omnibus vrbis partibus cum foculo ac placentis, ex lacte, sesamo ac melle, cuius Bacchus inuentor habebatur, sederent: transeuntes ad liba eiusmodi emenda adhortarentur, & pro emtoribus, libi parte foculo imposita, sacrificarent. Lege VARRONEM *lib. V.* p. 46. FESTVM voce *Liberalia* p. 305. & inprimis OVIDIVM *lib. III. fastor.* v. 766. ex quo & patet, eo tem-

XVI. cal. April. quemadmodum OVIDIVS *lib. IV fast.* v. 713. canit:

tertia post idus lux est celeberrima Baccho.

CAP. IX.

DE QVINQVATRIBVS.

§. I.

QVINQVATRVS 1) secundum Varronem duplices erant, maiores XIV. calend. April. & mi-

tempore pueros, posita prætexta, togam sumere solitos fuisse: conf. RVDOLPH. HOSPINIANVM *de festis Iud. & ethnic.* p. 128. & BVRC. GOTTH. STRVVIVM *synt. ant. Rom. cap. IX.* p. 419. Bacchanalia, quæ fuse TACITVS *lib. XI. cap.* 31. describit, eidem quidem numini destinata, a Liberalibus vero distincta fuerunt. Celebrabantur noctu, quumque in illis nimia committerentur stupra ac flagitia, a senatu prohibita sunt, vt LIVIVS *lib. XVII. cap.* 18. habet; præter quem legas FLAV. BLONDVM *Rom. triumph.* p. 37. & 10. NICOLAI *de ritu Bacchanal. tom. VII. thes. ant. Græc. Gronovii*, p. 173. HERRENSCHMIDII, KRANEWITTERI, MANITII aliorumque de hoc argumento commentationes silentio prætereo.

1) *Quinquatria* a Græcis scriptoribus, nominatim DIONYSIO *Halicarnassæo* & ATHENÆO, *panathenæa* vocantur, quoniam Græcorum panathenæa cum hoc festo vnum idemque sunt. Nomen nacta sunt aut a numero dierum, iis destinatorum; aut ab ipso tempore, quoniam post quintum id. Mart. celebrari solebant. Consulas VARRONEM *de lat. lingu. lib. V.* p. 33. & OVIDIVM *lib. III. fastor.* v. 890. Epulum Mineruæ in veteri Romano calendario ad mensem Septembrem transfertur. Palladi in Auentino monte XIV. dies cal. Iulii sacer fuit. Lege OVIDIVM *lib. VI. fastor.* v. 727.

Landesbibliothek Oldenburg

minores idibus Iunii. De maioribus sic scribit OVIDIVS *fast. lib.* III. *v.* 809:

Vna dies media est & fiunt sacra Mineruæ,
Nominaque a iunctis quinque diebus habent.

Pluribus diebus enim agebantur, quod Augustus epistola ad Tiberium apud SVETONIVM *cap. LXXI.* testatur, quando scribit: *non quinquatrus satis iucunde egimus.* m) *Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Et quia Mineruæ sacræ erant, scholis etiam ferias adferebant & magistris donaria, quæ *minerualia* n) vocabantur. HORATIVS *lib.* II. *epist.* 2. *v.* 197. canit:

Ac potius puer vt festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

OVIDIVS *lib.* III. *fast. v.* 829:

Nec vos turba feri censu fraudata magistri
Spernite: Discipulos attrahit illa nouos.

§. II.

Quæ vt intelligantur, cum primis consuli TERTVLLIANVS potest *de idololatr. cap. X.* qui etiam hoc festum *Minerualia* dixit. CICERO quoque *quin-*

m) Pueris in primis summam adferebant lætitiam, quod HORATIVS *lib. II. epist.* 2. v. 197. p. 655. innuit, & SYMMACHVS *lib. V. epist.* 83. p. 341. istud festum *pueriles* vocat *ferias.*

n) *Minerualia* ista a mercede, quam præceptores idibus per singulos menses accipiebant, diuersa erant, atque in munusculis constabant, quæ discipuli primo suo ad magistrum ingressu offerre solebant: conf. ANGEL. POLITIANVM *miscell. cap. XXI.* p. 243. GER. IO. VOSSIVM *etymol.* voc. *minerual. tom. I. oper.* p. 373. & IO. CHRIST. SAGITTARIVM *otio Ienens. diss. IX. cap.* 5. §. 3. p. 251.

quinquatruum mentionem habet *lib. II. ep.* 12. *ad famil. Sollicitus eram de rebus vrbanis, ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatrus adferebantur.* Hæc de maioribus.

§. III.

Minorum, vel minusculorum explicationem habet OVIDIVS *lib. VI. fast. v.* 693. *seq.*

Hæc vbi perdocuit, superest mihi discere, dixi,
Cur sit quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomina festa
Estque sub inuentis hæc quoque turba meis.

CAP. X.

DE CONSVALIBVS.

CONSVALIA quasi Neptunalia sunt festa, Neptuno equestri sacrata XII. cal. Septembr. Originem docet LIVIVS *lib. I. cap.* 9. *Romulus ludos ex industria parat Neptuno equestri sollemnes: consualia vocat.* Adde, quæ ad *Eutrop. lib. I. cap.* 1. notauimus. Plura de iis *Varro lib. V. de lat. lingu.* DIONYSIVS *Halicarnass. lib. I.* p. 26. & *lib. II.* p. 100.

CAP. XI.

DE CEREALIBVS.

§. I.

CEREALIA, id est, Cereris sacra a solis feminis peracta V. idus Aprilis. De his CICERO *pro Balbo cap. XXIV: sacra Cereris summa maiores nostri religione confici ceremoniaque voluerunt, quæ,*

quæ, quum essent adsumta de Græcia, & per Græcos semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia nominata.

§. II.

Lugentibus non licebat interesse, o) vt scribit LIVIVS *lib. XXII. cap. 56: totam vrbem oppleuit luctus, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit, quia nec lugentibus id facere est fas, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat.*

CAP. XII.

DE CALENDIS.

§. I.

OMNES calendæ erant Iunoni sacratæ. Sic OVIDIVS *lib. I. fast. v. 55:*

Indicat Ausonias Iunonis cura calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret, cet.

Martiæ autem calendæ speciatim Marti quoque sacra-

o) Celebrabantur noctu, & sacerdotes, faces manibus tenentes & discurrentes, more fanaticorum, sacra in Cereris, ob inuentam Proserpinam, honorem peragebant. Ideoque etiam faces adhibitæ sunt, quia Cererem filiam suam iis quæsiuisse perhibebant fabularum scriptores. Impios sceleratosque per præconem, qui præclamabat, retentos & amotos; adpropinquantes vero, vbi non initiati erant, capite punitos esse, LIVIVS *lib. XXXI. cap. 14.* aliique testantur. Ab his cerealibus alii Cereris ludi, XIII. cal. Maii habiti & ab OVIDIO *lib. III. fastor.* v. 677. descripti, diuersi erant: conf. RVD. HOSPINIANVS *de festis Iudæor. & ethnic.* p. 148.

crabantur a matronis, quia iis credebatur prœlium, inter Romanos & Sabinos intra vrbem factum, intercursu Sabinarum diremtum esse.

§. II.

Munera feminæ mittebant, etiam seruis præbebant epulum, p) vt viri Saturnalibus, quod ex SOLINI *cap.* I. constat, etiam ex TIBVLLI *lib.* III.

p) Vid. supra *cap. VII. not.* h) Istæ Calendæ omnium celebratissimæ fuere, quum iis noui anni auspicium fieret, & comitia initium suum haberent, hæcque consuetudo vsque ad bella Punica obseruata est, post quæ calendis Ianuariis ea incipi solebant. Vti Calendæ in Iunonis; ita Idus in Iouis tutela erant; Nonæ vero nulli numinum speciatim consecratæ fuerunt, quod OVIDIVS *lib. I. fastor.* v. 55. habet. De ipsa nominis ratione VARRO *lib. V. de lat. lingu.* p. 35. & MACROBIVS *lib. I. saturnal. cap.* 14. legendi sunt. Calendæ Ianuariæ pari festiuitate celebratæ sunt. Quisque in iis nouum suum inchoabat opus, & amici sibi inuicem fausta quæuis precabantur, ac munera, *strenarum* nomine adpellata, mittebant, de quibus præter veteres, AVSONIVM, SYMMACHVM, MARTIALEM aliosque, DION. PETAVIVS *not. ad Iuliani misopogon.* p. 306. PHILIPPVS HORSTIVS *schediasm. de strenis votisque Ianuariis:* IAC. SPONIVS *diss. de strenar. origine tom. IX. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 205. MARTIN. LIPENIVS *hist. strenarum ciuilium & eccleſiast.* THEODOR. MARCILIVS *hist. strenarum* agunt. HIERON. BOSSII, RENATI IOSEPHI TVRNEMINE ac reliquorum, a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar.* p. 330. memoratorum, non mentionem facio. De muneribus, quæ imperatoribus oblata sunt, IO. TRISTANVS *tom. II. hist. imperat.* p. 643. & IAC. GOTHOFREDVS *comm. ad codic. Theodos. tom. II.* p. 439. videndi sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

III. eleg. 1. in principio & MARTIAL. *lib. X. ep.* 24. *v.* 3.

CAP. XIII.

DE VVLCANALIBVS.

VVLCANI sacra X. cal. Sept. in vetusto calendario Romano notantur. q) Nocturni ignis in iis

q) Inscriptio apud GRVTERVM p. LXI. *num.* 3. docet, populum hoc festo animalia in ignem coniecisse, eo præsertim fine, vt incendia ab vrbe auerterentur. Eruditos eo tempore lucubrare cœpisse, confirmat PLINII locus, a nostro auctore excitatus, quem egregie illustrauit MARC. ANTON. MVRETVS *var. lect. lib. XVIII. cap.* 13. cuius verba merito heic describam: *erat in consuetudine positum, vt de mense Augusto Vulcanalibus lucubrare inciperent; sed id tantum ἀφοσιώσεως χάριν plerique faciebant, eodem plane modo, quo calendis Ianuarii suas quisque artes modice attingebat, auspicandi caussa. Ita Plinius iunior de auunculo suo:* lucubrare, a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi. *Negat eum ita fecisse, vt ceteri solebant, qui tunc dicis tantum caussa incipiebant lucubrare ac deinde id differebant ad finem autumni.* Hæc lucubratio, cuius eruditi apud Romanos Vulcanalibus, id est, X. calend. Septembris auspicium faciebant, matutina fuit, quod ex eodem Plinii loco adparet, vbi verba *statim a nocte multa*, non solum tempus vltra noctis medium significant, sed etiam vespertinas horas plane excludunt. Veterum Romanorum industriam plane singularem fuisse, vel ex eo constat, quod, vt PLINIVS de auunculo suo scribit, statim prima & secunda post mediam noctem hora animum litterarum studiis consecrauerint. Aestiuis mensibus, ante Vulcanalia videlicet, Romanos itidem noctis horas scientiarum

iis vsus erat, & antelucanam hoc tempore lucubrationem inchoabant, quamquam auspicandi caussa tantum plerique, vtpote omittentes eam postea ad finem fere autumni. Quo respicit PLINIVS *lib. III. ep.* 5. §. 8.

CAP. XIV.

DE PARILIBVS.

§. I.

PARILIA XI. cal. Maii, qui natalis credebatur vrbis Romæ esse, r) celebrabantur, a *pariendo*

rum culturæ dedisse, testis est, præter CICERONEM, LVCRETIVS *lib. I.* v. 141. Alia, quæ huc spectant, diligenter persequutus est auctor noster *diss. de vigiliis & lucubrationibus veterum*, in eiusdem *dissertat. academ.* a venerando patre in lucem emissis, p. 403. seq.

r) NICOL. HEINSIVS *not. ad Ouidium lib. IV. fastor.* v. 721. aliique obseruant, in plurimis antiquis libris, manu exaratis, *parilia* legi. Nonnulli IX. cal. Mai. alii X. huius mensis die Romæ vrbis iacta fundamenta fuisse, contendunt; plurimi tamen & ex veteribus XI. nominant diem. Ab istis parilibus, siue a die natali Romæ etiam anni vrbis huius numerabantur, vt CENSORINVS *de die natal. cap. XVII.* refert, dum *& quidem*, inquit, *ex parilibus, vnde anni vrbis numerantur:* adde OVIDIVM *lib. XIV. metam.* v. 18. PROPERTIVM *lib. IV. eleg.* 4. atque alios multos. Pro vndecimo die etiam PLVTARCHVS *vit. Romul.* p. 23. pugnat. Varii ritus a pastoribus præcipue in isto festo obseruabantur. Purgabant isti ouilia sua: sollemni ritu lustrabant oues: populus in vrbe expiabatur suffimento, quod ex sanguine equino: cineribus vitulorum, ex vteris matrum excisorum & a vestalibus virginibus

in

do dicta, quia illo tempore omnia noua terra proferat atque pariat. Inde *Parilitium* dicitur *sidus Hyadum*, vt PLINIVS notat *lib. XVIII. cap.* 26. vel potius maxima illius stella *oculus tauri.*

§. II.

CICERO festi huius diei sæpe meminit *lib. II. ad Atticum epist.* 8. *lib. IV. ep.* 9. *lib. XIV. ep.* 14. & eumdem natalem vrbis esse, testatur *lib. II. de divin. cap.* 47. & PLINIVS *lib. XVIII. cap.* 26.

§. III.

Quidam scribunt *Palilia*, quasi Pales pastorum dea nomen dederit, vt OVIDIVS *IV. fast. v.* 721. canit:

Nox abiit oriturque aurora. Palilia poscor.
Non poscor frustra, si fauet alma Pales.
Alma Pales, faueas pastoria sacra canenti.

CAP.

in *fordicidiis*, vti adpellabantur, antea combustorum, atque ex stipulis fabalibus componi & prunis ardentibus imponi solebat. Pali deæ lacte, sapa ac milio sacra persoluebant; iis vero omnibus finitis & precibus fusis, acerui, ex congesto fœno aut collectis stipulis facti, accendebantur, quos, vt corpora sua expiarent, transilire solebant, vt hæc omnia fuse OVIDIVS *lib. IV. fastor.* v. 629. seq. describit, cui addantur: GVIL. STVCKIVS *antiqu. conuiual. lib. I. cap.* 16. WOLFG. LAZIVS *comm. reipubl. Rom. lib. XI. cap.* 2. IO. LOMEIERVS *de lustrat. cap. XXIX.* IS. CASAVBONVS *not. in Persium* p. 115. SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 539. Inter alios post bellum Hispaniense Iulio Cæsari decretos honores & hic fuit, quod Palilibus sacra fierent ob nuntium de victoria eius tempore isto sub vesperam adlatum, vt DIO CASSIVS *lib. XLIV.* p. 234. refert. Sic & iste dies, quo Caligula imperii auspicium fecit, *paliliorum* nomen habuit, vt SVETONIVS *vit. eius cap. XVI.* obseruat.

Cap. XV.

DE FAVNALIBVS.

§. I.

Hoc etiam inter rustica festa referendum, idibus Februarii quotannis celebrandum, de quo OVIDIVS *lib. II. fast. v.* 193:

Idibus adgressis fumant altaria Fauni
Hic, vbi discretas insula rumpit aquas.

id est, in insula Tiberina, siue sacra, vbi sacellum & ara Fauni fuit.

§. II.

Alias Fauni sollemnitas erat mense Decembri, de qua HORATIVS *lib. III. od.* 18. *v.* 10:

Quum tibi nonæ redeunt Decembres,
Festus in pratis vacat otioso
Cum boue pagus.

Cap. XVI.

DE LVPERCALIBVS.

LVPERCALIA Pani sacra erant XV. cal. Martii. Ritum eorum supra iam descripsimus in lupercis, Panis sacerdotibus. Lege præter LIVIVM, ibi citatum, etiam PLVTARCHVM *in Romulo* p. 31. & OVIDIVM *fast. lib. II. v.* 267.

Cap. XVII.

DE TERMINALIBVS.

TERMINVM etiam Romani pro deo colebant, in cuius tutela essent termini agrorum, vt

FESTVS POMPEIVS ait. s) De numine eo etiam FLORVS consulatur *lib. I. cap.* 7. Hinc Terminalia instituit Numa Pompilius, vt DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II.* p. 133. refert, quæ VIII. cal. Martii magna rusticorum sollemnitate celebrabantur: conf. OVIDIVS *fastor. lib. II. v.* 655.

CAP. XVIII.

DE LAVATIONE MATRIS DEVM.

§. I.

MATER magna, siue deûm, credebatur Saturni coniux, Iouis mater, fuisse, cuius antiquum simulacrum Romani, oraculo, vt ferunt, moniti, Pessinunte, Phrygiæ vrbe, aduexerunt, summaque coluerunt religione.

§. II.

s) Veteres plurium numinum cultores diuina veneratione etiam Terminos deos, qui a Vialibus differunt, sunt prosequuti. Eorum religio iam a Numa, vt DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II.* p. 153. tradit, est instituta. Illorum faciem mox vt barbaram; corpus vero vt inversam pyramidem effingebant: mox solos lapides quadratos, oleo vnctos ac floribus coronatos, tanquam simulacra, habebant. Festum eorum magna rusticorum sollemnitate celebrabatur; eo tamen discrimine, vt antiquissimis temporibus deo huic nulla animalia sacrificarent; quæ consuetudo vero sequenti tempore immutata fuit. Conf. DIONYSIVM *Halicarnasseum loco memorato*, PLVTARCHVM *vit. Num.* p. 70. OVIDIVM *lib. II. fastor.* v. 641. seq. & ex recentioribus IAC. SPONIVM *miscell. erud. antiqu.* p. 42. VB. GOLZIVM *numm. Aug.* p. 23. THOM. DEMPSTERVM *paralip. ad Rosinum lib. IV. cap.* 7. EVERH. OTTONEM *de iurela viar. publicar.* p. 31. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Id simulacrum quotannis in amniculo Almone lauandum erat, t) qui dies etiam in fe-

 stis

t) Festi huius in vetusto calendario, mense Maio, post quinquatria, vt ex HEERWARTO, PETAVIO & LAMBECIO, EZ. SPANHEMIVS *not. in Callimachi lauacr. Pallad.* p. 526. obseruat, fit mentio. Ad VI. enim *cal. April.* exstat vocabulum: LAVATIO, quo satis tempus huius festi designatur. Acceperunt Romani ritum, Cybeles tam simulacrum, quam carpentum lavandi, a Phrygiis, vti hoc ex ARRIANO *tactic.* p. 75. comprobari potest, qui ceremoniam hanc Phrygiam fuisse, aperte confirmat. Fiebat lauatio ipsa in fluuio Almone, qui non procul ab vrbe Tiberi miscebarur, vt ex hoc AMMIANI MARCELLINI testimonio *lib. XXXIII. cap.* 3. constat: *ad diem VI. calend. quo Romæ matri deorum pompæ celebrantur annales & carpentum, quo vehitur simulacrum. Almonis vndis ablui*, perhibetur. Reliqua silentio prætermitto, quæ de hac lauatione obseruarunt: IVST. LIPSIVS *epist. miscell. LXXV.* IO. LOMEIERVS *de lustrat. cap. XXVI.* VALESIVS *not. in Ammiani Marcellini loc. memorat.* CASP. BARTHIVS *not. ad Claud. de bello Gildon.* v. 120. & EZECH. SPANHEMIVS *not. ad Callimach.* p. 527. Vt Cybele, ita & Venus eodem mense Romæ pari ratione lota est, quemadmodum ex PLVTARCHO *vit. Num.* p. 72. & ex his OVIDII *lib. IV. fast.* v. 135. versibus constat:

Aurea marmoreo redimicula tollite collo,
Demite diuitias, tota lauanda dea est.

In causas ritus huius, qui tam apud Græcos, quam Romanos, notissimus fuit, inquirit summa diligentia EZECH. SPANHEMIVS *loco excitato*, existimatque, eum ea ex ratione adhibitum esse, quoniam simulacra in templis pariter, ac priuatarum ædium vestibulis per puluerem, aues aliasque causas inquinata ac polluta

fuis-

stis habebatur. OVIDIVS *lib. IV. fast. v.* 337. canit:

Est locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lauit aquis.

Et SILIVS *Ital. lib. IIX. v.* 364.

- - tepidoque fouent Almone Cybelem.

Vbi LVCANI quoque testimonium in notis ex *libro II. v.* 600. adiecimus.

CAP. XIX.

DE FLORALIBVS.

PVDENDAM horum originem, postmodum fabulæ velamine tectam, eleganter descripsit LACTANTIVS *lib. I. cap.* 10. §. 6. & 7. Deam autem finxerunt esse, quæ floribus præsit, vnde ludi eius primum IV. cal. Maii celebrati ac deinde in

fuissent, quam ob rem & factum esset, vt parua signa aliaque donaria, simulacris nominum adfixa, lauassent. His addit, supplices, quibus asylum simulacra præbebant, ea contrectare solitos fuisse, veteresque credidisse, quod ipsa numina eiusmodi lauacris recrearentur ac delectarentur. Quæ rationes ita comparatæ quidem sunt, vt aliquid ad hanc, lauandi Cybelem, consuetudinem contribuisse videantur; iis vero totam rem confici, vel ex eo mihi persuadere non possum, quod positis his caussis, Romani omnia fere deorum suorum simulacra lauare debuissent; quod tamen eos feciisse, nullibi legimus. Occulta quædam sine dubio in Cybeles ac Veneris cultu fuit ratio, quæ plurium numinum cultores, vt festum hunc diem instituerent, excitauit atque adduxit.

Landesbibliothek Oldenburg

in ipsum Maium translati sunt: u) OVIDIVS *fast. lib. V. v.* 195.

u) Auctorem nostrum, vt videtur, fefellit BORRICHIVS, qui *antiqu. vrb. fac. cap. VII.* §. 6. ex adducto OVIDII effato probare voluit, festum hoc primum mense Aprili celebratum, postea vero in Maium translatum esse. Poeta ne verbo quidem huius rei mentionem facit, vt ex his ipsis versibus *lib. V. fast.* v. 183. ad quos prouocauit, cognosci potest:

Mater, ades, florum ludis celebranda iocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili: transis in tempora Maii.
Alter te fugiens, quum venit alter, habet.
Quum tua sint cedantque tibi confinia mensum,
Conuenit in laudes ille, vel iste tuas.

Poeta initium illorum mensi Aprili ac finem Maio adsignat; inde vero nullo modo sequitur, ferias has ex vno in alterum translatas esse mensem. Sic & FAM. NARDINVS *Rom. vet. lib. IV. cap.* 3. & 7. errauit, quando statuit, festa Floræ duplicia fuisse, quum alterum mense Aprili, alterum vero mense Maio celebratum sit. Illud festum in theatro vici patricii habitum fuisse, credit, quo nudæ meretrices impudicis ac obscœnis gestibus se in conspectum populi dederint; quum contra ea illud, quod in mensem Maium incidisset, festum venationi caprearum ac leporum in circo areæ Grimanæ destinatum fuerit. Sed decepit se vir, alias doctissimus. OVIDIVS enim festum & meretricum & caprearum non distinguit; nec discrimen locorum, quod iste sibi finxit, innuit. Adhæc ii, qui veteris Romæ rudera perquisiuerunt, vestigia circi huius in ipso patricio vico conspici, referunt, vt ex FVLVIO obseruat memoratus BORRICHIVS *ant. vrb. Rom. facie cap. VII.* §. 4. & 5.

Cap. XX.

DE BONÆ DEÆ SACRO.

Bonæ deæ sacrum calendis Maii fiebat, ob dedicatum eodem die in Auentino monte templum: OVIDIVS *fast. lib. V. v.* 155. Antiquissima hæc regina fuit, Fauna etiam & Fatua adpellata, quam matronæ & vestales virgines in pontificis, consulis, vel prætoris domo ita colebant, vt nefas & summum piaculum esset, vllum masculum hominem per eos dies intra ædes illas versari. Vide PLVTARCHVM *in Cæsare* p. 711. & *Cicerone* p. 870. ac ipsum CICERONEM *pro Milone cap. V.* & *haruisp. resp. cap. XVII.*

Cap. XXI.

DE VERE SACRO.

§. I.

Festis diebus possumus etiam adiicere *ver sacrum*, quo quidem victimæ significabantur; a tempore autem nomen suum habebat. Magnis in periculis vouebant Romani, quæcumque proximo vere nata essent animalia, immolaturos, vt FESTVS POMPEIVS descripsit. LIVIVS aliquoties meminit. *Lib. XXII. cap. 9: pontifex maximus populum consulendum de vere sacro censuit, iniussu populi voueri non posse.* Et *lib. XXXIII. cap.* 44: *consules ver sacrum ex pontificum iussu fecere.* Clarius idem rem exprimit *lib. XXXIV. cap.* 44: *ver sacrum factum erat priori anno: id quum pontifex non esse recte factum collegio renuntiasset, de integro faciem-*

ciendum arbitratu pontificum censuerunt. Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter calend. Mart. & pridie calend. Maias.

§. II.

An etiam homines, intra hos menses nati, ad ver sacrum pertinuerint, disquirebatur. LIVIVS videtur negare, pecus nominans ex pontificum decreto, non homines: POMPEIVS autem FESTVS in voce *Mamertini* exemplo & oraculi auctoritate adfirmat, quod non quidem immolati fuerint pueri, sed quod, quum adoleuissent, patria decedere, iussi sint. Sed semper, aut sæpius id factum esse, probabile haud est.

CAP. XXII.

DE LVDIS SECVLARIBVS. x)

§. I.

FESTI dies erant quouis reuoluto seculo celebrati. Non autem certum, centesimo quovis anno actos hos ludos esse, quia de numero annorum seculi disceptatur, & vulgo centum anni conficiunt seculum: alii centum quinque, alii centum decem ad hos ludos requisiuerunt, de quo

x) Ludi seculares in honorem Apollinis & Dianæ præcipue per tres dies & noctes continuas ita instituti sunt, vt in omnibus theatris ludi, in templis vero sacrificia exhiberentur. Fiebat hoc ad conseruandam incolumitatem imperii, & ad fauorem deorum toti populo conciliandum. In Apollinis Palatini templo die Festo tertio viginti septem pueri nobiles & totidem virgines carmen seculare canere debebant.

Landesbibliothek Oldenburg

ex CENSORINO disputamus in *oratione V.* programmatibus nostris subiecta, p. 593. seq.

§. II.

Originem descripsit ZOSIMVS *lib. II.* ineunte. Ritus & ceremonias eiusdem *libri cap. V.* vbi in primis præparatio lustrationis est descripta. y) Addi potest HORATII *carmen seculare* & SVETONIVS *vit. Aug. cap. XXXI.* item *Claud. cap. XXI. Domit. cap. IV.* z)

SECT.

y) De his ludis secularibus ex veteribus expositerunt: FESTVS voce *ludi seculares:* VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap.* 4. CENSORINVS *de die natali cap. XVII.* AVGVSTINVS *lib. III. de ciuit. dei cap.* 18. ex recentioribus vero ANGELVS POLITIANVS *miscell. cap. LVIII.* ONVPHR. PANVINIVS *lib. de secularibus ludis*, qui non solum separatim prodiit, sed etiam *tom. I. miscellaneorum* GAVDENTII ROBERTI & *tom. XI. thesaur. ant. Rom. Græuii* denuo in lucem editus est: PETR. TAFFINVS *lib. de anno seculari & ludis secularibus Romanor.* IVSTVS RYCKIVS *syntagm. de anno seculari, iubilæo & annis sollemnibus diuersarum nationum:* IO. ADOLPH. TVRRETINVS *quæstionibus academicis de ludis secularibus:* cel. IO. MATTH. GESNERVS *comment. de opinatis secularium ludorum notis in nummis Rom. gentium:* interpretes ad *Catulli poem. XXXV.* & ad *Horatii carmen seculare, lib. I. od. 21. lib. IV. od.* 6. FLORENTIVM DE BRVIN, OLDERMANNVM aliosque, qui de his ludis secularibus scripserunt, silens prætereo.

z) Eiusmodi ferias complures habuit vetus Roma, quibus diis suis debitum exhibere voluit cultum. Præter eas, a nostro auctore recitatas, memoranda sunt:

I. *ex festis diebus deorum consentium: vinalia*, quorum alia IX. cal. Maii; alii vero XIV. cal. Septembr. cele-

celebrabantur, ita, vt illa Veneri, hæc vero Ioui sacra fuerint, quamuis & veteres duos hos festos dies inter se confunderent: *feriæ Iunonis*, cui vt omnes calendæ; ita calendæ Februarii *Sospitæ*: Iunii *Monetæ*: Iulii *Caprotinæ* dedicatæ erant. Diana idibus Augusti a venatoribus: Mercurius idibus Maii: Mars calendis Martii ac Iunii itidemque idib. Octobr. colebantur, vt *equiniorum*, in eiusdem numinis honorem III. cal. & idib. Martii institutorum, haud mentionem faciam. Veneri calendæ Aprilis; Neptuno vero præter X. diem cal. August. & *consualia*, calendæ Septembris; Vestæ autem idus Iunii sacræ erant. Plures eiusmodi ferias silentio transmitto.

II. *ex festis diebus deorum selectorum* obseruanda præcipue sunt: *agonalia*, quæ pariter ac calendæ Ianuariæ Iano sacra erant: *feralia*, quæ IX. cal. Martii in Plutonis deorumque inferorum honorem ita instituta sunt, vt mortuis parentarent, eorum vero manes placarent, & ad sepulcra, in pauperum vsum, epulas, *silicernium* dictas, deferrent: *opiconsua*, quæ Vestæ priscæ consecrata, a bonæ autem deæ sacris, supra ab auctore memoratis, diuersa fuerunt; a quibus & *opalia*, d. IV. cal. Ianuarii celebrata, distingui debent.

III. *ex festis deorum indigetum* in censum veniunt: *festum Herculis*, a Romulo iam institutum: *Castoris & Pollucis*, d. VI. cal. Februarii: *Aesculapii*, calendis Ianuarii: *Quirini*, d. XIII. cal. Martii: Portumni, mense Augusto celebratum. De reliquis taceo.

IV. *ex feriis virtutum*, vt festi dies *Fortunæ*, quos calendaria vetusta ad VIII. cal. Iunii: ad VIII. cal. Iulii: VIII. id. Iunii & ad calendas Decembris referunt. *Victoriæ*, cal. Nouembris: *Paci*, III. cal. Februar. *Concordiæ*, d. XVII. cal. Februarii, & *Menti*, VI. id. Iunii sacra facta sunt.

V. *ex festis diebus rusticorum*, præter *lupercalia*, *faunalia* & *terminalia*, supra expositā, notanda sunt: *robigalia*, quibus deo Robigo ouem canisque exta

cum thure & vino sacrificabant: *fornacalia*, farris torrendi gratia a Numa instituta, aliaque.

VI. *ad festos dies deorum*, qui variis actionibus hominum præerant, ac alias ferias reliquorum numinum & nympharum pertinent: *angeronalia*, *volturnalia*, *matralia*, *furinalia*, festi dies dearum *Carnæ* & *Bellonæ*: *lararia*, *compitalia*, *lemuralia*, *carmentalia*, sacra *Annæ perennæ* aliaque. His & eæ adiungendæ sunt feriæ, quæ publicæ quidem fuerunt; attamen in deorum memoriam haud institutæ, vt *charistia*, quibus cognati conueniebant & mutua dona dabant, & quæ a *charisiis*, gratiarum peruigilio, distincta erant. Sic & *hilaria*, d. VIII. cal. Aprilis: *fontinalia*, d. III. id. Octobr. *lucaria*, d. XIV. cal. Augusti: *populifugia*, d. III. non. Iul. *fugalia*, *armilustria*, multaque alia huius generis in vsu fuerunt: conf. BVRC. GOTTH. STRVVIVM *synt. ant. Rom. cap. IX.* p. 437.

VII. *ex festis diebus imperatorum* multæ etiam feriæ commemorari possent; quas vero silentio breuitatis caussa prætereo. Adeo enim processit adulatio, imperatoribus facta, vt tanta feriarum multitudo non sufficeret, quin & imperatoribus singularia sacra decernerentur, atque in calendariis ii dies adnotarentur, quibus lucem primam adspexerant, imperium & alia officia, ciuilia ac sacra, acceperant, & quibus illustre factum, in bello præsertim, præstiterant. Hoc festos dies adeo auxit, vt imperatores ipsi, nominatim CLAVDIVS, NERO, VESPASIANVS & ANTONINVS philosophus de diminuendis & in breuiorem summam contrahendis feriis cogitare debuerint, quemadmodum ex DIONE CASSIO *lib. LX.* p. 676. TACITO *lib. IV. hist. cap.* 40. & CAPITOLINO *vit. Anton. philosophi cap. X. tom. II. script. hist. August.* p. 330. intelligi potest.

VIII. *ex festis diebus priuatis* memoranda sunt: 1) *sacra gentilitia*, a quibuslibet familiis celebrata, quemadmodum sacrificia & sollemnes feriæ gentis Fabiæ,

biæ, Claudiæ, Appiæ, Aemiliæ, Iuliæ & Corneliæ testantur. Necesse erat, vt caput familiæ in istis sacris adesset, quod ex PLVTARCHO *vit. Fabii* p. 118. & LIVIO *lib. XLIII. cap. II.* constat. Videantur: CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 8.* p. 116. IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. II. cap. 5.* p. 82. PETR. BVRMANNVS *de vectigal. cap. XI.* p. 164. IVSTINIANVS THOELDENIVS *comm. de sacris Romanorum gentilitiis*, aliique plures: II) *dies funerum* atque *expiationum*, qui, vt ex MACROBIO *lib. I. saturnal. cap.* 16. patet, feriis priuatis adnumerabantur: III) *natales dies*. Non solum enim deorum, vrbium, imperatorum, aliorumque illustrium virorum dies, quibus in lucem editi erant, summa festiuitate colebantur; sed etiam priuati natalitia celebrare solebant, iisque partim geniis sacrificabant, partim conuiuia magnis sumtibus instituebant; vt hæc IOACH. HILDEBRANDVS *de natalitiis vet. sacris & profanis*: IO. MEVRSIVS *de puerperio veteri cap. VII.* HENR. LINDENBROGIVS *not. ad Censorinum de die natal.* MARTINVS DE ROA *lib. de natalium apud veteres sollemnitate*: GVIL. STVCKIVS *lib. I. antiquit. conuiual. cap.* 16. HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 153. seq. interpretes *ad Ouidium tom. III. oper.* p. 29. ed. BVRMANNI, & *ad Ciceronis orationes tom. VI.* p. 404. ed. GRÆVII: IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. III. cap.* 16. GEORG. SIGISM. GREENIVS *commentat. de antiquitat. sollemnium natalitiorum ex sacrarum litterarum monimentis*, aliique plures apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 619. & IO. ALB. FABRICIVM *bibliograph. antiquar. cap. XX.* p. 607. vberius exponunt. RHODII, CLAVDERI, WENDII ac reliquorum singulares de hoc argumento dissertationes non commemoro.

SECT.

SECT. IV.

DE RITIBVS AC CEREMONIIS SACRIS. a)

CAP. I.

DE ALBIS ET NIGRIS VICTIMIS.

§. I.

ALBÆ victimæ diis superis, nigræ inferis mactabantur. SILIVS *Italicus lib. IV. v.* 548:

- - *patulis Clitumnus in aruis*
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Sci-

a) Omnia, quæ ad veterum Romanorum rem sacram ac totam religionem pertinent, commode ad quinque capita reduci possunt. Primum enim de diis ipsis, quos coluerunt: deinde de iis, per quos cultum numinibus præstiterunt; siue de sacerdotibus: tum de tempore, quando eos venerati sunt; siue de feriis sollemnibusque festis diebus: porro de modo ipsius cultus diuini: ac denique de loco, vbi sacra peracta sunt, tradi potest. Tres priores tractationis huius partes expositæ sunt: quum vero in tertia nimis stricte ac breuiter auctor noster versatus est, ac reliquas plane omisit, omnia necessaria pro instituto nostro suppleri debent. Memorandæ igitur sunt:

I. *ceremoniæ, ante ipsum cultum diuinum* a Romanis obseruatæ: vbi potissimum requirebatur, vt quum omnes profani, scelere aut alio insigniori facinore polluti, a sacris arcerentur, ii, qui numinibus cultum præstare volebant, non solum summæ castitati sese traderent, sed etiam puri & ab omni macula longe remoti accederent. Quapropter necesse erat, vt caput, manus & pedes, immo totum corpus ac vestes, aqua

viua

Scilicet ea regione & ad illud flumen alebantur boves albi, qui sacrificiis adhibebantur; quod etiam lib.

viua abluerentur; ipsi vero, antequam in templa se conferrent, sacra aqua, ante ædium diis consecratarum portas in vase adseruata, adspergerentur: conf. OVIDIVS *lib. VI. fastor.* v. 775. VIRGILIVS *lib. II. Aeneid.* v. 719. *lib. VI.* v. 258. IVVENALIS *saturnal. VI.* v. 524. SENECA *trag. Hercul. fur.* v. 918. SVETONIVS *vit. Aug. cap. LXXXIX.* CICERO *lib. II. de leg. cap.* 10. & SILIVS *Italic. lib. VIII.* v. 124.

II. *ceremoniæ in ipso deorum cultu peractæ.* Variæ cultus deorum partes erant, preces, sacrificia, vota & iuramenta, de quibus singulis nonnulla dicenda sunt. Preces vel ad implorandam diuinam opem, atque ad gratias numinibus agendas, vel ad mala auertenda fiebant. Erant istæ vel *communes*, vel *sollemnes*. Ad *communes* quod spectat, Romani numina sua stantes & capite velato salutabant: se in orbem dextrorsum circumuertebant: versus orientem se sistebant: simulacrorum pedes & genua, rarius os ac mentum, osculabantur; aut, vbi id non licebat, dextram, ori admotam, labiis premere; nec non in genua procidere, immo etiam ore limina & postes templorum tangere solebant, quæ omnia ex MARTIALI *lib. XII. epigr.* 78. PLINIO *lib. XXVIII. cap.* 2. PLAVTO *curcul. act. I. scen. I.* v. 69. VIRGILIO *lib. VIII. Aeneid.* v. 68. LVCRETIO *lib. I.* v. 317. multisque aliis auctoribus patent. In ipsis precibus humi se sæpe prosternebant, vt ex PROPERTIO *lib. III. eleg.* 15. v. 1. SENECA *œdip. act. I.* v. 71. p. 297. LVCRETIO v. 1197. ac reliquis constat. Tangebant aras, earumque ansas, teste VIRGILIO *lib. IV. Aeneid.* v. 218. & *lib. VI.* v. 124. Manus versus cælum extendebantur, quemadmodum APVLEIVS *de mund.* p. 747. HORATIVS *lib. III. od.* 23. v. 1. & OVIDIVS *lib. I. trist. eleg.* 10. v. 21. hoc confirmant. Plura de adoratione & salutandi ac preces facien-

lib. VIII. v. 451. dicitur. Inferis autem nigras victimas esse oblatas, praeter alios testatur ZOSIMVS *lib. II. cap.* 3. §. 5. & 6.

§. II.

faciendi ritu exhibent: MATTH. BROVERIVS DE NIEDECK *diss. de veter. ac recentior. populor. adorationibus:* IO. SAVBERTVS *de sacrificiis cap. X.* IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. IV. cap.* 14. BARNAB. BRISSONIVS *de formul. lib. I.* p. 33. In ipsis precibus deos iustis suis nominibus adloquebantur Romani, &, si ea certo non sciebant, tutius esse, credebant, omittere ista, quam religionem falsam inducere. Quapropter formulae: *quisquis es: siue tu deus es, siue dea*, in Romanorum precibus haud raro audiebantur. Legas PLINIVM *lib. II. cap.* 7. MACROBIVM *lib. III. Saturn. cap.* 9. A. GELLIVM *lib. II. noct. Attic. cap.* 27. ARNOBIVM *lib. III.* p. 104. Saepe cumulabant deorum nomina, iisque multas adsignabant honorificas ac blandas adpellationes, quam in rem videas: SAL. DEYLINGIVM *obs. sacr. part. III.* p. 208. CORNEL. ADAMI *obs. sacr.* p. 109. MARC. ZVER. BOXHORNIVM *quaest. Rom. I.* THEODOR. GRAEVIVM & EZECH. SPANHEMIVM *not. ad Callimach. hymn. in Dian. v.* 7. p. 51. & 129. Ad morem hunc Christus animum suum aduertisse videtur, quando *Matth. VI*, 7. πολυλογίαν in precibus reprehendit, praesertim, quum numinum cultores plurima bona multis verbis a diis expeterent, vt obseruat CLAVD. SALMASIVS *de foenor. trapezit.* p. 795. Formulas in precibus habebant sollemnes, &, quemadmodum omnes a Iano auspicabantur Romani, sic istae pro diuersitate rerum ac temporis differebant; cuius rei varia exempla apud LIVIVM *lib. VI. cap.* 16. *lib. VIII. cap.* 9. *lib. XXIX. cap.* 27. aliosque scriptores, a BVRC. GOTTH. STRVVIO *synt. ant. Rom. cap. III.* p. 210. memoratos, legimus. Precibus finitis, rogabant, vt iis satisfacerent numina, ad-

§. II.

Præter victimas, etiam alia, Iudæorum more, adhibebantur, thus maxime, sal, vinum & similia. Thu-

additis partim promissionibus; partim etiam nonnunquam minis: conf. IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiqu. cap. XI.* p. 366. Quodsi dii & repetitas preces non exaudiebant, eos conuiciis adficiebant, vt EXSTATIO *lib. VI. Theb.* v. 196. intelligitur: adde IO. MABILLONIVM *itin. Italic.* p. 79. Immo adsunt exempla, quod veteres templa diruerint, imaginesque proiecerint, quoniam voti sui compotes facti non fuerant, qua de re IAC. GVTHERIVS *de iur. manium lib. II. cap.* 15. IO. KIRCHMANNVS *de funer. lib. II. cap.* 12. IOS. BARNESIVS *not. ad Anacreontem pag.* 38. & SAM. PITISCVS *not. ad Suetonium vit. Calig. cap. V.* p. 518. videndi sunt. Precibus addere solebant hymnos, de quibus GERARD. IO. VOSSIVM *instit. poetic. lib. III. cap.* 13. §. 14. p. 152. EZECH. SPANHEMIVM *not. ad Callimach.* p. 2. ANTON. BYNÆVM *de morte Iesu Christi* p. 15. ANT. VAN DALE *dissert. antiquit. & marmor. illustr. inseruient. diss. VII.* p. 567. aliosque legas. Finito deorum cultu, considere solebant, cuius ritus rationem PLVTARCHVS *vit. Num.* p. 69. tradit, &, quando in isto quid prætermissum aut neglectum erat, id expiari debuit.

Preces *sollemnes* ac publicæ sacerdotum & magistratuum *precationes* adpellabantur, vt ex CICERONE *lib. II. de nat. deor. cap.* 20. & TACITO *lib. IV. annal. cap.* 9. §. 1. patet. In iis, quemadmodum ex PLINIO *lib. XXVIII. cap.* 2. constat, vel a diis suis aliquid impetrare, vel portenta aliaque infausta signa ac mala auertere, & populum Romanum eiusque salutem numinibus commendare voluerunt. Valde inter se eiusmodi precationes differebant, quod diuersa earum nomina satis & abunde significant. Occurrunt enim in antiquis scriptoribus:

Thure sacrificatum fuisse, passim testatur HORATIVS *lib. I. od.* 36:

Et thure & fidibus iuuat
Placare & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ deos.

Et

ribus: I) *obsecrationes*, quibus deos precabantur, vt mala ab vrbe ac populo benigne remouerent. In iis formula sollemnis fuit: *ob vos sacro*, pro *vos obsecro*, quum notum est, in his precationibus verba de industria transposita fuisse; quod IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pont. lib. IV. cap.* 14. p. 203. ex FESTO probat. Sic etiam preces, quibus pro auerruncandis malis deos implorarunt, *postulationes*; dona vero, quæ offerebant numinibus, *postuliones* dicebantur: vide ARNOBIVM *lib. IV.* p. 148. CICERONEM *de aruſp. reſponſ. cap. X.* & VARRONEM *lib. IV. de lingua latin.* p. 25. II) *procurationes*, quæ ea de causſa institutæ sunt, vt dii, vbi sinistra comparuerant signa, placarentur, &, quamuis vox hæc generatim quæcunque expiationum genera in se comprehendere videatur; diuersæ tamen procurationes ipsæ a *piacularibus sacris* fuerunt, quæ & *expiationes* dicuntur, quando nimirum sacrilegium commissum fuit, ludi non recte facti erant, aut aliud quid contra religionem commiserant Romani. III) *consecrationes*, quibus Romani aliquid numini dicare & sacro vsui destinare solebant, quæ consecrationes pro diversitate rerum inter se differebant, quum quævis bona, agros, pecuniam, atque alia, vel hostibus detracta, vel a damnatis ciuibus sumta, diis adscriberent: conf. IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontif. lib. IV. cap.* 22. p. 216. IV) *exsecrationes*, quæ non solum *publicæ*, sed etiam *priuatæ* fuerunt. *Publicæ* sollemni ritu ita peragebantur, vt, instructo foco & factis libaminibus, quæuis mala diris verbis cuidam imprecarentur veteres, eumque funesto inferorum cœtui rite deuoverent;

Et *lib. IV. od. 2. v. 51.*

- - *dabimusque diuis*
Thura benignis.

Sic

verent; quod & priuatim sæpe apud veteres fiebat, cuius rei testes sunt PLVTARCHVS *vit. Crass.* p. 55. & SVETONIVS *vit. Claud. cap. XII.* V) *resecrationes* dicebantur, quando quis religione soluebatur. Vti enim veteres per vocem *obsecro* ad aliquid faciendum, quasi præstito iureiurando sese inuicem adstringebant; ita per vocem *resecro* obligatio tolli ac dirimi potuit. Vide ADR. TVRNEBVM *lib. V. aduers. cap.* 25. IO. BAPT. HANSENIVM *de iureiur. vet. cap. IV.* p. 812. FRID. TAVBMANNVM *not. in Plautum* p. 186. & 222. VALESIVM *not. ad Ammian. Marcell. lib. XXIV. cap.* 6. VI) *lustrationes*, quibus per aquam puram crimina expiabant & pollutos ciues purgabant. Ritus iste Romanis maxime sollemnis fuit, ita, vt non solum exercitus, sed etiam vrbs ipsa lustrata fuerit, qua de re IO. LOMEIERVS singulari *de lustrat. libro*, PETR. TAFFINVS *de anno seculari Rom. cap. VI.* IO. SAVBERTVS *de sacrificiis cap. XI.* ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Theophrastum* p. 302. seq. & IAC. PERIZONIVS *not. ad Aelian. lib. VIII. cap.* 5. p. 490. agunt. VII) *deuotiones*, quando quemdam pro alterius, immo pro totius populi salute diis eorumque iræ offerebant, vt in ipsum pœnæ omniaque mala, quæ ab altero perpetienda erant, transferrentur; de quo ritu LIVIVS *lib. V. cap.* 41. *lib. VII. cap.* 6. MACROBIVS *lib. III. Saturn. cap.* 9. & ex recentioribus IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. IV. cap.* 15. & IO. ARNZENIVS *not. ad Aurel. Victor. de vir. illustr. cap. XXVII.* exponunt. VIII) *euocationes*, quibus ex oppugnatis oppidis numina euocabantur, vt ista auxilio diuino destituerentur & eo facilius sese potestati hostium permittere cogerentur; cuius rei PLINIVM *lib. XXVIII. cap.* 2. LIVIVM

Sic PLINIVS *lib. X. ep.* 97. in cognitione de Christianis: *qui negarent, se esse Christianos, quum deos adpellarent, thure ac vino supplicarent.* Et PRVDENTIVS *perist. hymn. III. v.* 122.

Si modicum salis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere, virgo benigna, velis
Pœna grauis procul afuerit.

Hinc prouerbium in PLINII *præfatione: mola salsa litant, qui thura non habent.*

CAP. II.

DE LITATIONE.

LITARE non idem est, quod sacrificare; sed fe-

lib. I. cap. 31. & MACROBIVM *lib. III. saturn. cap.* 9. testes habemus. Existimarunt enim, numina ex templis pariter ac imaginibus emigrare, hasque, quasi anima destitutas, relinquere: quare etiam simulacra catenis adligarunt, vt remanendi ipsis necessitas imponeretur: conf. NICOLAVM SCHWEBELIVM *diss. de Ioue* πολιούχῳ, de ipso vero euocandi ritu interpretes PLINII *lib. XXVIII. cap.* 2. IO. ANT. VALTRINVM *de re militar. Rom. lib. V. cap.* 5. BARNAB. BRISSONIVM *de formul. lib. I.* p. 63. ANT. BORREMANSIVM *vesper. Gorinchem.* p. 51. FRANC. IVNIVM *de dictur. vet.* p. 70. ANDR. CIRINVM *lib. de vet. Rom. cap. IV. tom. II. thes. ant. Rom. Sallengr.* p. 54. BERGERVM *diss. II. de euocatione deorum ex oppidis obsessis:* P. C. ANSALDI *comment. de diis multarum gentium Romam euocatis*, Brixiæ ante aliquot annos in lucem emissa, aliosque apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II. p.* 31. IX) *supplicationes*, de quibus supra quædam memorauí.

feliciter & cum signo boni euentus victimam peragere. Ita LIVIVS *lib. VII. cap.* 23: *per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ.* Et *lib. XLI. cap.* 15. *vsque ad litationem sacrificari iussit.*

CAP. III.

DE CORONIS IN SACRIFICIIS. b)

ET sacrificantes, & victimæ coronabantur. PLINIVS *lib. XVI. cap.* 4: *deorum honori sacrifi-*

 cantes

b) Antea iam obseruaui, ad cultus diuini partes referri debere preces, sacrificia, vota & iusiurandum. De precibus supra exposui. Quapropter nunc memoranda sunt:

I) *sacrificia.* In omnibus illis requirebantur hostiæ ipsæ, quæ erant puræ, sine maculis numinique gratæ atque acceptæ; sacrificantes autem indicto silentio & lotis manibus vestibusque puris, accedere hostiamque offerre debebant, quæ, postquam mola salsa adsperſa fuit, in igne, super aram accenso, cremabatur; exta autem ab aruspicibus inspiciebantur, hisque finitis atque addita precandi formula, vnà cum libatione, ac populo dimisso, *epulæ sacrificales* initium suum habebant, quæ vel publicæ, vel priuatæ fuerunt. Genera hostiarum erant diuersa I) *pro diuersitate numinum*, quibus istæ offerebantur. Superis enim albæ, inferis vero diis nigræ immolabantur hostiæ, quarum illis ferrum imponi, his autem supponi solebat: sanguis illarum pro superis in ara adspergebatur, harum vero in fossa adfundebatur; & pro hoc numinum discrimine etiam ceteri sacrificantium ritus erant diuersi. II) *Pro diuerso fine*, quem sacrificantes habebant. Exhibebantur enim sacrificia, vel ad agendas diis gratias; vel ad impetrandam in rebus suscipiendis deorum opem, & conciliandum sibi ipsorum fauorem; vel ad auertenda mala. III) *Pro discri-*

mine

cantes sumsere coronas, *victimis simul coronatis*. De personis sacrificantibus videantur exempla Periclis &

mine temporis, quo sacrificia instituebantur. Alia enim stata & sollemnia, alia fortuita fuerunt. IV) *Pro diuersitate ipsorum sacrificantium*, pro qua commode sacrificia in publica & priuata diuidi possunt. Quæ iam strictim & breuiter de sacrificiis veterum Romanorum dixi, susius explicarunt, qui data opera hoc argumentum persequuti sunt: GVILIELM. STVCKIVS, PAVLLVS MERVLA, GVIL. CHOVLIVS, IO. SAVBERTVS, GVIL. OVTRAMVS aliique, quos IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. ant. cap. XI.* p. 352. laudat. De coronis in sacrificiis, quarum auctor noster meminit: IOS. ARNDIVS *miscell. sacris* p. 151. IAC. OISELIVS *not. ad Minucium Felic.* p. 340. CORNEL. ADAMI *exercit. exeget.* p. 306. IOH. DOVGTÆVS *analect. sacr. exc. LIV.* THOM. REINESIVS *not. ad inscript. XLI.* p. 83. exponunt. De vasis atque instrumentis sacrificalibus: acerra, thuribulo, cultris, præfericulo, simpulo, patera, adspergillo, securi, malleo, ligula, cochleari, cet. MICH. ANG. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE *in insignibus pontificis maximi*, *tom. V. thes. ant. Rom.*, GRÆVII p. 313. commentatus. Speciatim de simpulo, quo vinum libabatur, PHILIPP. RVBENIVS *lib. II. elect. cap.* 8; de *sistris* vero FRID. ADOLPH. LAMPE *de cymbal. vet. cap. XXI.* IAC. SPONIVS *miscell. erud. ant. sect. I. art. 7. tab.* 49. BENEDICT. BACHINVS & IAC. TOLLIVS *de sistris tom. VI. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 409. IO. PETR. BELLORIVS *expositi. symbolici deæ Syr. simulacri*, *tom. VII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 425. & 509. seq. scripserunt.

II) *vota*, quæ vel publica, vel priuata fuerunt. Priuati enim pro quibuscunque rebus vota nuncupabant, & diis, si desiderio eorum isti satisfacerent, dona promittebant. Ita templa, aras, signa, statuas, ludos, aurum, argentum cet. vouere, & vt eo magis se ad præstanda ea,

quæ

& Xenophontis apud VALERIVM MAXIMVM *lib. V. cap.* 10. PRVDENTIVS *in Romano v.* 1021:

 Huc

quæ promiserant, obstringerent, vota sua tabulis inscribere solebant, quas obsignatas simulacris deorum, vt ex LVCIANO *in philopseude* p. 482. & IVVENALI *sat. IX.* v. 139. cognoscimus, cera adglutinarunt. Impetrata petitione, *voti sui damnati esse*, dicebantur, debebantque ea, quæ vouerant, consecrare. Memoratis tabellis alias adiungebant, in quibus vel totius voti historia, addito & suo & numinis nomine, perscripta, vel casus, pericula ac fata, quorum caussa votum susceperant, depicta fuerunt, testibus IVVENALI *sat. XIV.* v. 302. PERSIO *sat. I.* v. 88. ac CICERONE *lib. III. de nat. deor. cap.* 37. Tabellæ istæ pariter ac dona parietibus ac columnis templorum adfigebantur, quod LIVIVS *lib. XL. cap.* 51. docet. Ista vota, vt a quibuscunque priuatim, ita in primis sollemni more ac conceptis verbis a magistratibus nuncupabantur, præsertim, si in bellum ac prouincias proficiscendum, aut salus populi numinibus commendanda erat: vid. LIVIVM *lib. XXII. cap.* 19. *lib. XXVI. cap.* 2. *lib. LV. cap.* 25. Hæc vota dicebantur *quinquennalia*, quoniam ea plurimam partem sub hac conditione faciebant magistratus, vt dii per quinque annos rempublicam saluam atque incolumem seruarent. De *vere sacro*, siue voto, quo diis immolanda vouebantur pecora, quæcunque illo anno a calendis Martiis vsque ad calendas Maii nascerentur; supra expositum fuit. De his votis videantur: ALEX. AB ALEXANDRO *lib. III. dier. genial. cap.* 22. IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. IV. cap.* 13. CHRISTOPH. SCHVTZIVS *dissert. de votis veterum*, & in primis IAC. PHIL. THOMASINVS *de donariis, anathemat. & tabellis votiuis*; de votis vero imperatorum decennalibus erudite egerunt: HENR. NORISIVS *diss. de votis decennalibus, tom. II. operum* p. 1176. & ANTON. PAGI *diss. hypatica, siue de consulibus cæsareis.*

III)

Huc taurus ingens, fronte torua & hispida,
Sertis reuinctus; aut per armos floreis;
Aut impeditis cornibus deducitur;
Nec non & auro frons corrusca hostiæ;

Hinc intelligis *Act. XIV. v.* 15. ταύρους καὶ στέμματα, *tauros coronatos.*

Cap. IV.

DE VITTATIS, SACRIFICANTIBVS ET VICTIMIS.

Vitta ex lana vel lino erat, qua crines constringebantur sacrificantium. Ipsis quoque victimis impositæ vittæ. VIRGILIVS *lib. V. Aeneid. v.* 366:

- - velatum auro vittisque iuuencum.

OVIDIVS *lib. XV. metam. v.* 130. 131:

Victima labe carens:
- - - vittis præsignis & auro.

PRVDENTIVS *in Laurentio v.* 526:

Vittatus olim pontifex.

Arboribus quoque sacris & statuis deorum vittæ da-

III) *iusiurandum.* De ratione iurandi: formulis hanc in rem adhibitis: loco, vbi iusiurandum Romani concipiebant: eius diuersis speciebus: periurio aliisque huc pertinentibus fuse exposuerunt: BARNAB. BRISSONIVS *lib. VIII. de formul.* p. 707. IO. SELDENVS *ad marmor. Oxonienſ.* p. 43. IO. BAPT. MANSENIVS *de iureiurando veterum:* STEPH. TRELIERIVS *lib. de iureiurando:* ERYCIVS PVTEANVS *ſchediaſm. de iureiurando antiquorum:* IO. NICOLAI *diatr. de iuramentis Ebræorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque populorum.*

Landesbibliothek Oldenburg

dabantur. PRVDENTIVS *aduerſ. Symmach. lib. II. v.* 1009:

- - fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat.

& in *Romano v.* 302:

lana diſcolora in ſtipite.

& imperatores Theodoſius cum filiis *lib. XII. cod. Theod. de paganis ſacrific. redimita vittis arbore.*

CAP. V.

DE ARA CESPITITIA.

ARA gentilium plerumque ceſpite ſtruebatur. Eadem *Theodoſ. lex: erecta effoſſis ceſpitibus ara.* SILIVS *Italicus lib. IV. v.* 703:

Gramineas vndis ſtatuit ſocialibus aras.

Vide, quæ nos ibi notauimus, & *lib. XVI. v.* 263:

Et ſimul exſtructis ceſpes ſurrexerat aris.

HORATIVS *lib. I. od.* 19. *v.* 13:

Hic viuum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite thuraque.

CAP. VI.

DE VICTIMA FVGIENTE.

TRISTE omen habebatur, quum victima, ad aram adducta, profugeret. TACITVS *lib. III. hiſt. cap.* 56. §. 2: *dirum omen, profugus altaribus taurus.* SILIVS *lib. V. v.* 63. *ſeq.*

Nec rauco taurus ceſſauit flebile ad arus
Immugire ſono, preſſamque ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens, altaria liquit.

& *lib. XVI. v. 265. seq.*

Quum subito abruptis fugiens altaria taurus
Exsiluit vinclis.

Cap. VII.

DE RITV VERRENDI CRINIBVS FANA.

In magnis periculis matronæ, pansis crinibus prostratæ, humi supplicabant diis suis, &, quum inter precandum mouerentur, crinibus quasi templa verrebant. Vnde formula illa frequentius occurrit, vt apud Livivm *lib.* III. *cap.* 7. *stratæ passim matres crinibus templa* c) *verrentes*, *veniam*

c) Supereſt, vt pauca de locis, cultui numinum consecratis, addam. In hunc censum cadunt: *luci*, *templa*, *fana*, *delubra*, ac *sacella*. *Luci* antiquissimis temporibus religioni & sacris aptissimi habebantur, vt ex illustribus oraculorum sacrorum testimoniis, quæ Io. Alb. Fabricivs *bibliogr. antiquar. cap. IX.* p. 290. exhibet, patet. Quo altiores in eiusmodi siluis sacris & quo densiores arbores erant, ita, vt rami ac folia omnes solis radios arcerent; eo maiorem menti sanctitatem luci isti inferre posse credebantur. A *lucendo* nomen acceperunt, quoniam in iis lumina in deorum honorem accendebantur. In istis ponebant simulacra, & super ea, ne aeris ac pluuiæ iniuria iis officeret, tecta struebantur, quæ templis originem dedisse videntur; quamuis alii alias hac de re tueantur sententias. Romani in ipsa vrbe lucos duos & triginta, vt memorant scriptores, habuerunt, inter quos luci Vestæ, Egeriæ, Camœnæ, Furinæ, Veneris, Iunonis Lucinæ, larum, querquetulanus, Caii & Lucii aliique numerantur. Vide de hoc argumento differentes: Ant. Vandale *de orig. &*

pro-

veniam irarum cæleſtium finemque peſti expoſcunt. Et *lib. XXVI. cap.* 19: *vndique matronæ in publicum*

 ef-

progreſſu idololatr. cap. II. LAVR. BEGERVM *ſpicileg. antiqu.* p. 52. PHIL. RVBENIVM *lib. II. elector. cap.* 34. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVM *de conſecratis gentilium lucis* p. 133. ſeq. PETR. IVRIEV *in hiſtoire critique des dogmes & des cultes part. IV. cap.* 1. p. 753. quibus addendus eſt canonici CHECOZZI *tr. de idololatr. in lucis*, qui exſtat in *ſaggi di diſſertationi accademiche del academia di Cortona vol. I. part.* 2. PETRITZII, MAGNI, DRESLERI aliorumque ſingularium diſſertationum non mentionem facio, quæ percenſentur apud IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar. cap. IX.* p. 290. PETR. ZORNIVM *biblioth. antiqu. exeget.* p. 384. & IO. IARKIVM *not. ad* EL. SCHEDIVM *de diis germanis*, p. 495. *Templa* antiquiſſimo æuo rotunda, poſtea vero quadrata exſtructa ſunt; vti nummi veteres & VITRVVIVS *lib. I. cap.* 5. teſtantur. In ædificandis iſtis *inaugurationis* & *dedicationis* ratio habebatur. Illa in eo poſita fuit, vt augures ſpatium, quod templum occupaturum eſſet, rite definirent: vt area ipſa, quemadmodum TACITVS *lib. II. hiſt. cap.* 53. refert, ſollemni ritu purgaretur: lapis fundamenti, *auſpicalis* dictus, a magiſtratu, ſacerdotibus ac populo protraheretur: rite conſtitueretur atque argentum pariter ac aurum aliæque rudes metallorum partes fundamento iniicerentur. Hæc, ſiue *dedicatio*, poſt conditum templum per conſules, aut imperatores, nonnunquam & per duumuiros, ad id electos, conſenſu populi ac ſenatus auctoritate ita fiebat, vt pontifex claris, deſtinatis ac ſollemnibus verbis præiret: poſtem, vbi aditus templi erat, manu teneret, quod CICERO *lib. II. de leg. cap.* 11. & OVIDIVS *lib. I. faſt.* v. 603. aperte innuunt, & tunc ſacrificia ac ludi inſtituerentur. Hæc dedicatio etiam locum habuit in

tem-

effusæ circa deûm delubra discurrunt, crinibus passim aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad deos

templis restitutis, quæ per vetustatem collapsa erant, quod lapis priscus apud GRVTERVM p. C. *num.* 6. confirmat. Præter innumera sacella & ædiculas, CCCCXXIV. celebria templa Romæ fuerunt, vt ex *veteri notitia imperii* HENR. KIPPINGIVS *ant. Rom.* p. 149. obseruat. Simulacra in istis templis ita constituta erant, vt faciem ad occasum solis conuerterent, quoniam adorantes versus orientem stare & sic cultum numinibus præstare debebant: de quibus simulacris, imaginibus, earumque ratione, præter supra de diis Romanorum laudatos scriptores, EDMVNDVS FRIGELIVS *de statuis illustr. Romanor. cap. II.* & BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap. I.* p. 81. videndi sunt; de templis vero, scriptores a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiqu. cap. IX.* p. 294. & IVL. MINVTOLO *diss. de templis Roman. tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 100. memorati sunt. Delineationes, siue, vti vocantur, *ichnographias* templorum Romanorum exhibent: CLAVD. RVDBECKIVS *tom. I. atlantic.* p. 247. IAC. SPONIVS *itinerar. tom. II.* p. 28. & 36. & BERNHARDVS DE MONTFAVCON *diar. Italic.* p. 224. Tres potissimum partes Romanorum habuerunt templa: *cellam sanctiorem: partem interiorem*, sacris faciendis destinatam, & *exteriorem*, ad varia negotia, commercia & conuiuia adhibitam. A templis in eo diuersæ erant *ædes sacræ*, quod hæ per augures non constitutæ essent; nec senatus consulta in iis fierent. Delubra a templis quidem distincta fuerunt; sæpe tamen ab antiquis scriptoribus confunduntur. SERVIVS ad *Virgilii, lib. II. Aeneid.* v. 225. delubrum esse, dicit, *quod vno tecto plura complectatur numina.* Alii delubrum adpellari aiunt *locum ante templa,*

deos & cælos tendentes, orantesque, vt vrbem Romam a manibus hostium eriperent, matresque Romanas & liberos paruos inuiolatos seruarent. Et SILIVS *Italicus lib. VI. v.* 560:

Ast aliæ, laceris canentes crinibus, alta
Verrunt tecta deûm.

CAP. VIII.

DE INFERIARVM RITV.

§. I.

INFERIÆ erant sacrificia, in funere diis manibus ob-

pla, vbi aqua currat: conf. FESTVS voce *delubrum.* VARRO contra ea apud MACROBIVM *lib. III. saturnal. cap.* 4. delubrum *quemcunque locum, vbi deus positus sit, nominari*, ait, quæ omnium probatissima videtur sententia: conf. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVM *diss. de templorum antiquit.* p. 755. eius *operum hist. politic.* & NIC. BERGIERIVM *de viis milit. lib. V. cap.* 8. Sacella in eo a templis differebant, quod hæ ædes sacræ muro tantum septæ & sine tecto fuerint. Fana a templis diuersa fuisse, ex LIVIO *lib. X. cap.* 40. patet; per ordinem vero hoc vocabulum ab auctoribus pro quouis ædificio, cultui numinum destinato, vsurpatur. Alii, *sacellum* locum paruum fuisse, contendunt, qui deo cuidam consecratus & ara ornatus fuerit; qua de re, præter supra memoratos auctores, BVRC. GOTTH. STRVVIVS *synt. ant. Rom. cap.* XI. p. 510. consulendus est. Loca sacra priuata *lararia* & *sacraria* dicebantur: illa laribus; hæc singulari cuidam deo consecrata fuerunt.

Landesbibliothek Oldenburg

oblata ; aut annua etiam memoria a cognatis repetita. Peragebantur non solum atris victimis ; sed præcipue lacte , melle , oleo & similibus. In cæde vindicanda etiam noxii homines ad aram cædebantur. Deducunt nomen ab *inferis ;* FESTVS autem ab *inferendo* , quia formulæ consuetæ erant : *ferre inferias* & *inferre.* VIRGILIVS *lib. IX. Aeneid. v.* 215 :

Absenti ferat inferias decoretque sepulcro.

& *lib. III. Aeneid. v.* 66 :

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis & sacri pateras.

§. II.

Alia exempla apud eumdem sunt *lib. X. v.* 519. & *lib. XI. v.* 82. omnium autem clarissime hic ritus cognoscitur ex columna seu cenotaphio Lucii Cæsaris, quod Pisis in Italia adhuc visitur, cui inscriptum legitur : *inferiæ mittantur , bosque & ouis atri , infulis cærulis infulati , diis manibus eius mactentur , eæque hostiæ eo loco adoleantur , superque eas singulæ vrnæ lactis , mellis , olei fundantur.*



Landesbibliothek Oldenburg

LIB. II.

DE MAGISTRATIBVS ROMANORVM. d)

SECT. I.

DE MAGISTRATIBVS ANTIQVIS.

CAP. I.

DE REGIBVS.

§. I.

VT vbique gentium, quod IVSTINVS obseruat *lib. I. cap.* 1. prima forma imperii penes reges fuit; ita etiam Romani, pro tem-

d) Memorandi hic sunt ii, qui tam generatim de forma reipublicæ Romanæ; quam speciatim de magistratibus Romanorum exposuerunt. Ad illos quod spectat, primi omnium post renatas litteras fuerunt: FLAVIVS BLONDVS, RAPHAEL VOLATERRANVS, IVL. POMPONIVS LÆTVS, aliique nonnulli; pro temporis vero, in quod eorum ætas incidit, ratione nondum satis politi, nec ea doctrinæ copia, nec iis subsidiis instructi erant, quæ hoc litterarum genus efflagitabat; vt recte iudicat IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. I. thes. ant. Rom.* Qui hos exceperunt, ONVPHR. PANVINIVS, CAROL. SIGONIVS, PAVLLVS MANVTIVS, atque alii, pulcre perfecerunt, quæ supra memorati scriptores inchoata reliquerant. Rationes reipublicæ Romanæ strictim & breuiter persequutus etiam est PETR. IOS. CANTELIVS, cuius *de republica Romana liber* sæpius in lucem exiit. Inter hos, siue eos,

temporum consuetudine reges sibi præfecerunt; e) quorum vero potestas per senatum populumque quodammodo restricta erat. Centum Romulus senatores creauit, quibuscum imperii consilia communicaret: conf. LIVIVS *lib. I. cap.* 8. EVTROPIVS *lib. I. cap.* 1. quibus totidem adiecit Tarquinius Priscus, quos deinde *minorum gentium* adpellabant: vid. LIVIVS *lib. I. cap.* 35. & populi po-

eos, qui de magistratibus veterum Romanorum commentati sunt, locum sibi vindicant: ANDR. DOMINICVS FLOCCVS *lib. II. de potest. Rom.* IVL. POMPONIVS LÆTVS *lib. II. de magistrat. Rom.* CLAVD. PRÆVOTIVS *de magistratibus populi Romani*, & FRANCISCVS HOTTOMANNVS *de magistratibus Romanis eorumque institutione*, *tom. II. thes. ant. Rom. Grævii* p. 1864. Alios, a IO. ALB. FABRICIO p. 487. memoratos, consulto prætereo.

e) Nunquam populus Romanus ad tantum, in quo collocatus fuit, gloriæ & maiestatis fastigium peruenisset; nisi mature de capite sibi præficiendo, quod omnibus præsit, ita cogitasset, vt eius potestatem certis finibus circumscripsisset. Quos postquam supergrediebantur isti populi Romani duces, *reges* adpellati, imperiumque in tyrannidem conuertebant; iugum, sibi impositum, iusto tempore sentiebant Romani, hocque eo citius excutiendum erat, quo magis illud non solum toti libertati, sed etiam omni gloriæ, ad quam quotidie maiori nisu adspirabant, officere videbatur. Nunquam Romani caput suum ad tantum culmen extollere, gentes deuincere, iisque imperare potuissent, vbi sibi ipsis ab vno, absoluta potentia prædito, imperari passi fuissent: conf. ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. I.* p. 193. & anonymum scriptorem in den *Betrachtungen über die Vrsachen der Grösse und des Verfalls der Römer*, pag. 3.

Landesbibliothek Oldenburg

potestas sub regibus ex prouocatione Publii Horatii, tergeminorum fratrum victoris, facta, non inuito Tullo Hostilio, elucet apud LIVIVM *lib. I. cap.* 26.

§. II.

Reges ipsi mirabili ordine ac successione, nec sine prouidentia ita se sequuti sunt, vt ex minima republica fieret omnium maxima & potentissima. Romulus enim heroico ingenio fundamenta iecit, vrbe ad Tiberim condita. Numa religionem in populum semibarbarum induxit: constituendæ reipublicæ inprimis necessariam, vt fides & integritas seruetur, quod vinculum est generis humani. Tertius rex, Tullus Hostilius, arma tractare iuuentutem docuit, vt contra iniurias respublica noua defenderetur. Quartus rex, Ancus Martius, rempublicam ampliauit; coloniam deduxit; vt mare liberum haberet, prospexit; &, vt tuta esset etiam altera Tiberis ripa, Ianiculum trans Tiberim muniuit & ponte vrbi iunxit. Quintus, Tarquinius Priscus, Græcus genere, maiestati corroborandæ splendorem addidit & ornatum, sine quo contemtui sunt imperantes. Sextus, Seruius Tullius, censum egit, id est, numerum ciuium iniit, vt sciret, quot arma tractare possent, & in mores singulorum, etiam opes inquisiuit, vt tributa pro opum conditione imponerentur. Septimus rex, Tarquinius Superbus, id est, tyrannus, suis & suorum iniuriis fecit, vt Romani exactis regibus in libertatem sese vindicarent, & pro regia constituerent rempublicam li-

liberam post CCLIII. annum vrbis conditæ: vid. LIVIVM *lib. I. cap. 7. seq.* EVTROPIVM *lib. I. cap. 1. seq.* ee)

§. III.

De potestate regum f) quæritur: fueritne absoluta, nec ne? POMPONIVS quidem *lib. II. §. 14. pandect. de origine iuris* dicit, reges omnem potestatem habuisse. Sed nec hoc putamus absolute interpretandum esse, quia Romulus, præsentiens, Italos, vti alios Europæos, seruitutem ferre non posse,

ee) De creatione regum Romanorum ita loquitur DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV.* p. 242: *defuncto rege, populus senatui deferebat potestatem, constituendæ, ad quam placeret formam, reipublicæ. Senatus interreges creabat. Illi virum eligebant optimum, quem, siue ex indigenis esset, siue ex ciuibus, siue ex peregrinis, regem constituerunt. Si ergo electum ab iis regem senatus probasset, populusque adprobasset, & auspicia confirmassent, adsumebat is imperium. Quodsi horum trium aliquid deesset, alter nominabatur, & post hunc tertius; nisi in secundum liquide hominum pariter & deorum suffragia consensissent.*

f) Potestas regum qualis fuerit, ex iis patet, quæ de eorum muneribus DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II.* p. 87. ita tradit: *primum, vt sacrificiorum & reliquorum sacrorum penes eum esset principatus, per eumque gereretur, quidquid ad placandos deos adtinet. Deinde, vt legum ac consuetudinum patriarum haberet custodiam, omnisque iuris, quod vel natura dictat, vel pacta & tabulæ sanciunt, curam ageret. Vtque de grauissimis delictis decerneret, leuiora permitteret senatoribus, prouidendo interim, ne quid in iudiciis peccaretur: vtque senatum cogeret; populum in concionem conuocaret; primus sententiam diceret; quod pluribus placuisset, ratum haberet.*

posse, centum sibi senatores adlegit, g) quorum consilio rempublicam administraret, qui nonnunquam acriter cum eo decertarunt: conf. LIVIVS *lib. I. cap.* 8. & EVTROPIVS *lib. I. cap.* I. *num.* 3. Deinde quod ex fragmento Ciceronis *apud Senecam ep. CVIII.* constat, prouocatio ad populum etiam a regibus fuit. Exemplum clarum habet LIVIVS *lib. I. cap.* 26. h)

§. IV.

beret. Quamuis autem maiore in bello quam in pace fruerentur potestate reges, & rationes illius gerendi ipsis solis permitterentur; ad id tamen imperium eorum se non extendebat, vt sine consensu ac iussu populi pacem facere, aut bellum finitimis populis indicere potuerint; sed hac in re summum arbitrium relictum erat populo, vt itidem hoc ex indicato DIONYSII *Halicarnassei* testimonio colligi potest.

g) Conf. IO. SARIVM ZAMOSCIVM *de senat. Rom. lib. I. cap.* 3. De Romulo manifeste hoc testatur LIVIVS, quando *memorato* a nostro auctore *loco* dicit: *quum iam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat: centum creat senatores.* Postea vero & ceteros reges idem feciisse, ex FESTO intelligi potest, quando ita scribit: *præteriti senatores quondam in opprobrio non erant. Vt enim reges sibi legebant sublegebantque, quos in consilio publico haberent.*

h) De insignibus, quibus Romanorum reges a populo se distinguebant, quædam addenda sunt. Fuerunt illa: I) *sceptrum eburneum;* siue baculus, ex ebore factus, quem, quum ius dicerent, tanquam iustitiæ & veritatis pignus, in manu habere solebant: conf. CICERONEM *pro Sext. cap. XXVI.* & adde CASP. BARTHIVM *lib. XXIII. aduersar. cap.* 2. & ADR. TVRNEBVM *lib. XXII. aduersar. cap. XII.* II) *toga purpurea*, de qua infra plura dicturus sum: III) *sella curulis*, quam

§. IV.

Pulsis regibus propter tyrannidem Tarquinii Superbi & filiorum, mansit etiam in libera republica

adpellationem sella hæc ex eo accepit, quod reges in curru, cui ista imponebatur, ad ius, in foro dicendum, vel ad alia negotia publica vehi solebant. Acceperunt hanc sellam ab Etruscis: speciatim, vt SILIVS *Italicus lib. VIII. punicor.* v. 487. innuit, a Viterbiensibus, Etruriæ populo, a quibus & alias consuetudines adsumserunt. Recte nonnulli obseruarunt, veteres Romanos multum ad potentiam suam contribuisse, quia deuictarum gentium ritus, vbi hos suis meliores agnoscebant, receperint. Ipsa sella, de qua hic loquor, ex ebore, vt HORATIVS *lib. I. epist.* 6. v. 53. p. 564. docet, composita fuit. Erat, quod OVIDIVS *lib. IV. ex Pont. epist.* 5. v. 18. & marmora satis produnt, alta atque signis figurisque exlatis ornata, habebatque pedes incuruos, qui ad leoninorum pedum formam fere efficti fuisse videntur; ita tamen, vt duo posteriora ligna anterioribus paullo altiora essent, quemadmodum nummi ostendunt. Carebat sella fulcro, siue ea parte, in qua dorsum reclinari solet; superiorem vero eius partem, in qua rex sedebat, ex loris ac linteis, super quæ pelles & coria ponebantur, contextam fuisse, adest probabilitatis species. Vtebantur hac sella non solum reges; sed etiam sequenti tempore consules, prætores atque ædiles, non solum domi; sed etiam, si extra vrbem ad bella proficiscendum erat; immo quoque in spectaculis, vbi & per adulationem mortuis illustribus viris eiusmodi sellæ poni solebant. Fusius hoc argumentum persequuntur: IO. SCHEFFERVS *de re vehic. lib. II. cap.* 16. p. 199. VALER. CHIMENTELLVS *marmor. Pisan. de honor. bisellii cap. II. seq. tom. VII. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 2025. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu & præstant. numism. diss. VI.* p. 584.

blica rex sacrorum, siue rex sacrificulus, de quo supra in sacris Romanorum abunde actum fuit.

584. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 200. HENR. NORISIVS *de nummo Dioclet. cap. V. tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 412. IV) *corona aurea*, quod claris verbis DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV. cap.* 74. & 75. testatur. V) *lictores duodecim*, cum fascibus & securibus, quorum originem nonnulli Romulo, alii Tullo Hostilio, & rursus alii Tarquinio Prisco adsignant. LIVIVS Romulo hoc apertis verbis tribuit, quando *lib. I. cap.* 8. *Romulus*, inquit, *tum cetero habitu se augustiorem, tum maxime, lictoribus duodecim sumtis, fecit;* vbi & obseruat, per imitationem Etruscorum id factum fuisse. Eligebantur ex infima Quiritium plebe, ut LIVIVS *lib. II. cap.* 55. docet, ex quo haud indubie colligitur, eos liberos, nec seruos fuisse; quod & ex CICERONE *in Pison. cap. XXIII.* constat, vbi istis togæ ius adscribitur. Officium lictorum in eo potissimum positum erat, vt virga eunti magistratui locum facerent, & obuenientes cedere iuberent, teste LIVIO *lib. VIII. cap.* 33. Non bini & bini; sed alter post alterum præibat, fasces portabat, & accedentes de exhibendo prætereunti magistratui honoris cultu monebat, qui diuersi fuit generis, vt ex SVETONIO *vit. Cæs. cap. LXXVIII.* PLVTARCHO *vit. Pomp.* p. 637. & DIONE CASSIO *lib. LXIII.* p. 717. discimus. Ciues Romanos iussu magistratus puniebant perduellesque, ciuitate ademta, virgis cædebant, ac securi caput eorum amputabant; qua in re a carnificibus ita diuersi erant, vt hi funestiora in seruos supplicia exsequi eosque cruci adfigere, strangulare, cet. debuerint: conf. THOM. REINESIVM *ad inscript.* p. 43. & alios apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 461. Hi iidem sunt, qui alias & nominatim *Act. XVI*, 35. ῥαβδοῦχοι adpellantur: vide LVD. CÆL. RHODIGINVM

Hic vero non reip. gerendæ, sed certis tantum sacris, olim ab ipso rege peractis, præfectus fuit; nec vero summa auctoritate, sed subiectus pontifici maximo.

Cap. II.

DE INTERREGE ET INTERREGNO.

§. I.

Non modo post Romuli aliorumque regum, vt Numæ, Tulli Hostilii, mortem res ad interregnum rediit, vt quinos singulos dies nouus interrex regnaret: vid. Livivm *lib. I. cap.* 17. 21. 32. sed in libera etiam republica id fuit obseruatum, vt si consules reipublicæ caussa abessent, aut morbo impedirentur, aut vitio creati essent, interrex comitiis habendis proderetur. i)

§. II.

NVM *lect. ant. lib. VII. cap.* 29. p. 380. & IO. MICH. DILHERRVM *disput. academ. tom. I.* p. 238. VI) *celeres*, siue trecenti iuuenes, quorum decem ex singulis curiis, vt regii corporis custodes essent, Romulus elegit. De origine nominis discrepant ipsi veteres, quum alii a primo eorum duce, Fabio Celere, alii a celeritate, alii denique a græco vocabulo κέλης eos ita adpellatos fuisse, autumant: conf. CLAVD. SALMASIVS *exerc. Plin.* p. 57. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. II. cap.* 3. & IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. I. thes. ant. Rom.* Qui his præfectus erat, *tribunus celerum* adpellatus est, habuitque proximam a rege dignitatem atque auctoritatem.

i) *Prodere* sollemne est verbum, in creandis his magistratibus vsitatum, vt docet CICERO *pro domo cap. XIV.* Hic solus fuit magistratus, ad quem plebs non admissa

§. II.

Prodebatur autem patricius a patricio, vt CICERO ait *pro domo cap. XIV.* & æque circumscriptus erat quinque dierum spatio, vt olim post Romuli mortem. Nec moris fuit, vt qui primus proditus esset interrex, comitia haberet; sed is, peractis quinque diebus, alium prodebat, & sic deinceps, si comitia differrentur. Hæc nos docuit ASCONIVS PEDIANVS *in orat. pro Milone Ciceronis ad init.* Hinc post duos interreges dicuntur consules creati apud LIVIVM *lib. VII. cap.* 17. & *lib. IX. cap.* 7. post tres *lib. V. cap.* 31. post quinque *lib. VIII. cap.* 17. post vndecim *lib. VII. cap.* 21. post quatuordecim *lib. VIII. cap.* 23. Adde CICERONEM *lib. VII. ep.* 11. *ad Trebat.*

§. III.

Ceterum inde a Tarquiniis ita exosum Romanis fuit regium nomen, vt ferre deinceps in perpetuum non possent in republica gerenda; nec id cæsares admitterent, quamuis re ipsa reges essent & regiam exercerent potestatem, sed blandioribus eam vocabulis occultarent, *imperatoris*, *principis*, *pontificis maximi*, *tribunitiæ potestatis.*

CAP. III.

DE CONSVLIBVS.

§. I.

EXACTIS regibus, libera reipublicæ forma inducta,

missa est. Initio enim ad officia eiusmodi publica soli patricii vocabantur; succedente vero tempore nullus fuit magistratus, si memoratum interregis exceperis munus, ad quem plebs non adspirauit eumque obtinuit.

Landesbibliothek Oldenburg

ducta, & imperium consulare, ac duo consules creati in singulos annos. k) Numeri rationem dat EVTROPIVS *lib. I. cap.* 8. vt si alter malus esset, ab altero collega pari potestate coercerri posset, exempli gratia l) Caius Antonius, Catilinæ studens, a Cicerone collega functione prouinciæ ad meliorem mentem reuocatus est, quod SALLVSTIVS tradit *Catil. cap.* 26. Temporis annui hæc caussa datur apud eumdem EVTROPIVM, ne quis diuturnitate imperii ad opprimendam rempublicam inuitetur, vt Cæsaris exemplo postea

k) *Consules* dicti sunt, hacque adpellatione significatum est, eos non regere pro suo arbitrio & voluntate rempublicam; sed in omnibus rebus, ad istam spectantibus, consilio senatus vti, eumque consulere debere. Num ii & *iudices* nuncupati fuerint, disquirit IAC. PERIZONIVS *de prætorio* §. *IV. seq.*

l) Summam in eo prudentiam ciuilem monstrarunt veteres Romani, quod binos semper elegerint consules. Vti enim per id impediebatur, quo minus imperium hoc consulare in tyrannidem deflecteret; ita multum ad splendorem imperii Romani amplificandum, eiusque gloriam in altius euehendam, hoc institutum contribuit. Quilibet per breue, quod eius regimini fixum & constitutum erat, temporis spatium nomen suum illustrare, hostes vincere, imperii fines dilatare & de republica bene mereri, in animum induxerat. Populum inde consules semper ad gerenda excitabant bella, id quod senatui eo gratius erat, quo magis per id seditiosus animus huius populi a ciuilibus motibus ac querelis auocabatur. Vsque ad Cæsaris tempora consules hos binos alternis diebus; postea vero vnumquemque per totum mensem imperium tenuisse, ex antiquo fragmento variisque LIVII testimoniis contra REINESIVM probat HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 668.

Landesbibliothek Oldenburg

postea factum fuit. Additæ leges, quæ *Valeriæ* m) dicebantur, Valerio Poplicola auctore,

m) P. Valerius Poplicola duas leges, vt ex PLVTARCHO *vit. Poplicol.* p. 102. DIONYSIO *Halicarnassæo lib. V.* p. 292. & VALERIO MAXIMO *lib. IV. cap.* I. patet, promulgauit: alteram, ne quis Romæ magistratum gereret iniussu populi; alteram, vt prouocatio a magistratu ad populum permitteretur, & ille, sine huius suffragiis collectis, ciuem prouocantem flagris, multa, aut supplicio extremo adficere, minime auderet, quæ posterior lex repetitis postea vicibus renouari ac restitui debuit, quoniam ea patriciis, qui populi iura omni modo supprimere studebant, intoleranda videbatur. Repetita igitur est anno vrbis conditæ CCCIV. L. Valerio Poplicola Potito & M. Horatio Barbato consulibus, teste LIVIO *lib. III. cap.* 55. & M. Valerio Coruo, anno CCCCLII. vt idem scriptor *lib. X. cap.* 9. confirmat, & a M. Porcio Læca, qui & grauiorem pœnam violatoribus decreti huius indixit. Legis ipsius insigne monimentum posteritati in nummo gentis Porciæ conseruatum est, vbi vir paludatus, medius inter togatum prouocantem & lictorem, ad pœnam exsequendam promtum, conspicitur, addita inscriptione ab altera parte: PROVOCO; ab altera vero: P. PORCIVS LÆCA. Hanc legem postea C. Sempronius Gracchus, postquam ea in desuetudinem abierat, restituit: conf. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 6. FVLVIVS VRSINVS *de famil. Rom.* p. 229. PAVL. MANVTIVS *de leg. cap. XVI.* IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. II. cap.* 10. LAVR. BEGERVS *contin. thes. Brand.* p. 578. & PETR. ZORNIVS *comm. de Paulli singular. fatis in carcere castrensi arcis Antoniæ, in museo Bremens. part. II.* p. 382. ION. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr. part. I.* p. 283. & inprimis EZECH. SPANHEMIVS

quæ erant de prouocatione aduersus magistratus ad populum, & ne quis magistratum gereret iniussu populi; neue pœnam de ciue sumeret sine illius consensu, de quibus LIVIVS *lib. II. cap.* 8. DIONYSIVS *Halicarnass. lib. V.* p. 292. *edit. Sylburg.* Sæpe leges illæ, quæ de pœnis erant, fuerunt repetitæ, vt est apud LIV. *lib. III. cap.* 55. & *lib. X. cap.* 9. Tandem a Marco Porcio Catone, a quo lex Porcia fuit nominata, quæ non tantum capitale supplicium, sed verbera etiam & virgas a ciuibus remouebat, cuius sæpe mentio est apud Ciceronem in Verrem; ad quam etiam apostolus Paullus sæpe prouocauit, vt ciuis Romanus.

§. II.

Vt auctoritas consulum maior esset, vtrumque duodecim lictores præcedebant singuli, & qui maior, vel senior erat, eius lictores fasces præferebant virgularum, quibus securis indita erat. Quamuis in vrbe plerumque, ne seueriores viderentur, fasces gestati sunt sine securibus. PLVTARMIVS *orb. Rom. cap. XXIV.* p. 379. Ad has leges diuinum Paullum Hierosolymis prouocasse, quum tribunus plebis eum flagellis cædendum iussisset, interpretes ad *Act. XXII*, 25. obseruant: adde de hoc eximio veterum Romanorum priuilegio: BARNABAM BRISSONIVM *select. ex iur. ciuil. antiqu. lib. III. cap.* 9. IVSTVM LIPSIVM *de cruce lib. II. cap.* 3. *tom. III. operum* p. 1176. LAVRENT. RAMIRES. DE PRADO *pentecontarch. cap. XXXVII.* p. 218. CHRIST. CELLARIVM *diss. acad.* p. 728. & IO. ERN. BVTTNERVM *diss. de ciuitate Romana virgidemiis exacta.*

Landesbibliothek Oldenburg

TARCHVS in *vit. Poplicolæ tom. I.* p. 102. hæc exposuit, vtpote, qui primus sustulit secures de fascibus, quo terrorem ciuibus minueret, ipseque esse & videretur popularis. n)

§. III.

Quod vero alter consulum tantummodo fasces habuerit, ex LIVIO adparet *lib. IX. cap.* 8. *Publius, penes quem fasces erant.* Principio certus

n) Primi consules fruebantur potestate regia & omnibus fere insignibus, quibus reges a populo se distinxerunt, vbi togam pictam & coronam auream exceperis, quamvis & ipsis posteriori principum ætate concessum fuerit, non solum eiusmodi toga, sed etiam in fascibus laurea vti, id quod antea solis victoribus, vt summi honoris signum, datum ac permissum fuit. Sic etiam secures sequenti æuo fascibus illigarunt, quos Valerius Poplicola, qui populi iura summo studio & conseruare & ampliare studuit, exemerat. Obseruandum tamen est, consulum potestatem antiquiori tempore maiorem extitisse, quam recentiori; eamque magis magisque debilitatam atque imminutam, legibus variis sancitis, fuisse, quod præsertim per concessam plebi facultatem, aduersus magistratum ad populum prouocandi, factum est. Igitur splendida ac regia insignia ostentationis solum caussa vsurpabant, quibus fucum faciebant; re ipsa vero exigua vtebantur potestate, quæ omnia rite ostendit IVST. LIPSIVS *de magistrat. vet. pop. Rom. cap. VIII. tom. III. operum*, p. 1439. seq. Et, quamuis consules sub imperatoribus omnem fere amiserint potestatem; notatu tamen dignum est, eam, vt ex SVETONIO *vit. Calig. cap. XXVI.* patet, nihilominus *summam* vocatam, hocque honorificum nomen consulum regimini fere semper seruatum fuisse.

Landesbibliothek Oldenburg

annus & ætas o) huic magistratui non erat, quia tunc temporis plerique senatores, ex quibus consu-

o) Ratio habebatur non solum *gentis*, sed etiam *ætatis*. Ad *gentem* quod spectat, soli patricii ab initio regimen hoc sibi vindicarunt. Vti vero plebs quoque omnes magistratus adfectabat; ita etiam anno vrbis conditæ CCCLXXXVII. primus de plebe consul creatus est, quod cum quæstoribus ann. CCCXLIV. cum tribuno militum, consulari potestate, anno CCCLIII. cum ædilibus curulibus ann. CCCLXXXVIII. cum magistro equitum ann. CCCLXXXV. ac dictatore ann. CCCXCVII. contigit. De *ætate* si quæras, LIVIVS quidem *lib. XL. cap.* 43. scribit, primum a L. Villio, tribuno plebis, rogationem latam esse, *quot annos nati quemque magistratum peterent*; sed iam ante certum annorum modum in petitione honorum requisitum esse, ex eius *lib. XXV. cap.* 2. & *lib. XXXII. cap.* 7. patet. Quapropter probabile est, ante hanc Villiam legem ætatis quidem rationem quodam modo habitam: minus autem quicquam certum definitum ac constitutum esse, ac Villium an. DCXXIV. L. Manlio Acidino Fuluiano & Q. Fuluio Flacco consulibus, abolitis reliquis legibus, nouas, quæ *annales* & *annariæ* appellabantur, sanxisse, & honores petentibus certum annorum numerum præscripsisse. Incertum est: num ad omnes magistratus lex ista spectauerit, an ad curules solum; nec dici potest, quem annum magistratibus hæc lex constituerit. Videas PAVLL. MANVTIVM *de leg. cap. VI.* IAC. CVIACIVM *lib. XXI. obs. cap.* 32. PETR. CRINITVM *de honest. disciplin. lib. VIII. cap.* 13. p. 143. IVST. LIPSIVM *de magistrat. Rom. cap. IV.* p. 1431. In municipiis & coloniis eiusmodi legem etiam viguisse, ex PLINIO *lib. X. epist.* 84. colligitur. In fastis & legum subscriptionibus sæpe occurrit: CONSVLE, NOBILISSIMO PVERO, vbi ob-

ser-

sules legebantur, erant grandioris æui. Macedonico demum bello eiusmodi leges constitutæ sunt, quæ *annales*, seu *annariæ* dicebantur. LIVIVS *lib. XL. cap.* 43: *eo anno rogatio primum lata est ab Lucio Iulio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque.* FESTVS POMPEIVS: *annaria lex dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magistratus capiendi.* Rationem adfert CICERO *Philipp. V. cap.* 17. *legibus annalibus, quum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur.* His legibus præstitutus consulatui est annus tertius & quadragesimus, CICERO *ibidem: quid Macedo Alexander? nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit, quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.*

§. IV.

Pauci ab his legibus fuerunt excepti, & quidem antequam ferrentur, iuuenes consulatum gesserunt M. Valerius Coruinus, de quo EVTROPIVS *lib. II. cap.* 3. Scipiones Africani, maior apud eumdem EVTROPIVM *lib. III. cap.* 2. collato cum LIVIO *lib. XXI. cap.* 46. minor *epit. Liu. L.* & tum lex lata fuerat. Exemtus etiam Pompeius fuit, vt CICERO *pro lege Manil. cap. XXI.* & EVTROPIVS *lib. V. extrem.* referunt. CAP.

seruandum est, sub imperatoribus legem hanc neglectam: immo imperatorum filios paruulos atque impuberes consules designatos esse, quod filiorum Seueri imperatoris & Iouiani principis exempla confirmant; qua de re IAC. GVTHERIVM *de officiis dom. Aug. lib. I. cap.* 12. & SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 554, consulas.

Cap. IV.

DE CONSVLIBVS ORDINARIIS ET SVFFECTIS.

§. I.

Ordinarii consules dicebantur, qui calend. Ian. consulatum inibant, p) & a quibus in fastis annus denominabatur, q) qui idcirco *annum aperire*

p) Eodem die etiam in capitolio sacrum consulare faciebant noui consules. Huc multi trahunt verba SVETONII *vit. Augusti cap. XCV: primo consulatu ei, auguri-um capienti, duodecim se vultures, vt Romulo, ostende-runt;* quum vero signum hoc Augusto, vt candidato; non autem, vt consuli, comparuit, merito hæc verba de augurio, quod magistratum inituri ante vrbem sub cælo libero capere solebant, explicari debent, quæ etiam IS. CASAVBONI *not. ad hunc locum* est sententia.

q) Inter singularia iura ac priuilegia, quibus consules Romani fruebantur, etiam id fuit, quod, vti Athenis ab archonte, ita etiam Romæ a consulibus anni nominarentur, quod etiam sub imperatoribus vsque ad annum christianorum DXLI. qui est annus vrbis MCCXCII. factum est. In his fastis medio anno suffectorum consulum non mentio fiebat, &, si etiam illi in tabulas referebantur, eorum nominibus tamen numerus annorum haud adscriptus est. Illud multas in veterum historiarum monumentis peperit tenebras, quum ista sæpe ad consules suffectos, qui in fastis haud leguntur, prouocant. Ipsi etiam fasti, vti nonnunquam inter se dissentiunt; ita in primis in Traiani temporibus suspecti sunt, quemadmodum iam dudum ab eruditis obseruatum est. Multi in eo suam operam collocarunt, vt consules pro temporum ordine rite enarrarent. Præter BARTHO-

LO-

aperire & *fastos reserare* dicebantur apud PLINIVM *panegyr. cap. LVIII.* Horum si quis mortuus esset, antequam finiretur consulatus; aut alia de caussa magistratu decessisset, alius in locum sufficiebatur, r) quod raro olim contingebat; sub cæsari-

LOMÆVM MARLIANVM & STEPHANVM VINANDVM PIGHIVM, qui fastos magistratuum Romanorum persequuti sunt, memorandus est: ONVPHR. PANVINIVS *libris V. fastorum a Romulo rege vsque ad Carolum V.* cui multum in hac litterarum parte debemus, quamuis non negandum sit, eum nonnunquam errasse, quod exemplis HENR. NORISIVS *diss. I. de nummo Diocletiani tom I. thes. ant. Rom.* ALB. HENR. DE SALLENGRE p. 396. seq. monstrauit. Ad eum se in hoc studiorum genere adiunxerunt: CAROL. SIGONIVS, cuius *commentarii in fastos consulares a Romulo vsque ad imperat. Tiberium*, Venetiis MDLVI. prodierunt: ANTONIVS PAGI *diss. hypatica, siue de consulibus cæsareis:* THEODORVS IANSON. AB ALMELOVEEN *libris II. fastorum Romanorum consularium*, quorum prior secundum annorum seriem, posterior vero pro litterarum ordine digestus est: PHILIPPVS LABBEVS, cuius *descriptio consulum, ex quo primi ordinati sunt; siue integri fasti consulares, quos idatianos docti viri hactenus adpellarunt, tom. XI. thes. ant. Rom.* GRÆVII, p. 241. exstant. Alios fastos consulares vsque ad annum vrbis MCVII. ex codice manu exarato bibliothecæ cæsareæ edidit HENR. NORISIVS, qui non solum separatim cum eius *libr. de anno & epochis Syro-Macedonum* prodierunt; sed etiam *tom. II. operum* p. 594. & *tom. XI. thes. ant. Rom. Græuiani* p. 404. exstant. Reliquos, a IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiqu. cap. XIV.* p. 489. memoratos, consulto prætereo.

r) Consules *suffecti* in inscriptionibus etiam *suffragatores* VO-

saribus autem frequentissime, quia hi nomen suum in fastis scribi annis singulis cupiebant; vt vero curam & laborem declinarent, plerumque post aliquot menses consulatum suum alii dederunt. Qui ergo in alterius locum subrogati erant, dicebantur *consules suffecti.* LAMPRIDIVS *vit. Alex. Seuer. cap. XLIII: consules quoscumque vel ordinarios, vel suffectos creauit & senatus sententia nominauit.* SVETONIVS *vit. Galbæ cap. VI: consulatum per sex menses ordinarium gessit;* de eodem autem EVTROPIVS *lib. VII. cap.* 10*: sæpe consul, sæpe pro consule;* quod non de ordinario consulatu, sed de suffecto est intelligendum. Idem SVETONIVS *vit. Cæsar. cap. LXXX: Quinto Maximo, suffecto trimestrique consule, theatrum introeunte, cum lictor animaduerti ex more iussisset, ab vniuersis conclamatum est: non esse consulem eum.* Hoc enim primum exemplum erat, quo princeps sine sontica caussa alium sibi, improbante populo, suffecerat. Quid? quod idem Iulius ad aliquot horas pridie cal. Ian. Caninium consulem suffecit, mortuo Q. Fabio, id quod CICERO exagitat *lib. VI. ep.* 30. Adde SVETONIVM *vit. August. cap. XXVI.* & *dialog. de orat. cap. XXVII.*

CAP. V.

DE RITIBVS, CONSVLES CONSTITVENDI.

§. I.

ELECTIO consulis fiebat comitiis centuriatis,

vocantur, vt ex IAC. SPONIO *miscell. erud. ant.* p. 115. patet.

tis, s) quæ inde & *consularia* dicebantur, in campo Martio, vbi consul sedens candidato, ante gremium suum stanti, prælegebat carmen comitiorum, hoc est, iurisiurandi formulam. *Idem mox in rostris iurauit & in curia senatum ad communes curas hortatus est:* vid. PLINIVM *paneg. cap. LXIII. seq.* Atque hæc fiebant cal. Ianuar. aliquot vero mensibus t) ante in eodem campo electio per suffragia populi facta fuerat, a quo tempore dicebantur *consules designati*, vsque ad calendas Ianuarii u), qui-

s) Consules *designati* per hanc sollemnem formulam in comitiis a consule decedente declarabantur: *vt ea res mihi magistratuique meo populo plebique Romanæ bene ac feliciter eueniat*, quibus peractis, populus senatusque circa ædes creatorum consulum conueniebant: illos salutabant ac postea in capitolium, vt ibi sacrificaretur, ex capitolio vero in curiam deducebant; post quem ritum in domum suam ipsi, senatu eos comitante & gratulationes faciente, se recipiebant, quod ex CLAVDIANO *in Eutrop. lib. II.* v. 63. OVIDIO *lib. IV. ex Pont. epist.* 4. v. 29. seq. *epist.* 9. v. 17. & 18. patet.

t) Hoc intelligendum est de consulibus ordinariis, qui quinque menses ante creationem designabantur. Suffecti enim statim, postquam electi erant, magistratum inibant. Per quinque hos menses competitores de ambitu contra designatos solliciti erant, quoniam ii, qui criminis huius consulem designatum insimulare poterant, in eius locum substituebantur: vide SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 552.

u) Fiebat hoc maxima cum lætitia, & noui consules occasionem quærebant, sibi quouis modo fauorem populi conciliandi. Hinc aurum argentumque in populum spargebant, quæ consuetudo, quoniam magnos efflagi-

quibus decedebant priores consules. Noui officium, auspicato & ritibus, quos diximus, inibant. x)

§. II.

Decedens consul y) magistratu, candidatum successorem *in verba adigebat* in campo, in quæ ipse ante annum iurauerat; aut potius ambo designatos adigebat consul maior, siue senior. Ritum hunc idem PLINIVS *paneg. cap. LXXVII.* descripsit.

CAP.

gitabat sumtus, & alia incommoda inde emergebant, ab imperatoribus plane sublata est, vt ex legibus, hanc in rem latis, videmus. Sumtuosa instituebant conuiuia, ac senatores atque equites Romanos ad ista inuitabant, teste PLINIO *lib. XIV. cap.* 15. Vt populo se multum commendarent, cum tanto adparatu ac sumtibus ludos scenicos instituerunt, vt opibus plane exhaurirentur, &, deposito consulatu, in paupertate sæpe viuere deberent: conf. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de imperio Rom. lib. I. cap.* 19.

x) Tam ii, qui consulatum deponebant; quam, qui inibant, iusiurandum præstare debuerunt: illi iurabant, se nihil contra leges feciſſe; hi vero, se nihil contra istas esse facturos, vt ex PLINIO *panegyr. cap. LXIV.* constat.

y) Secedens consul ante decem ab eius consulatu annos fasces consulares recipere non potuit. L. Cornelio Sulla enim & Q. Cæcilio Metello consulibus, lex lata est, cuius sententiam APPIANVS *de bello ciuil.* p. 412. ita exhibet: *ad hæc*, Sulla videlicet, *edixit, ne quis eundem magistratum iterum susciperet, nisi post decimum annum.* De consulibus *honorariis* sub imperatoribus, qui solam consulis dignitatem & nomen, nullam autem administrationem habuerunt, conferas ANTON. PAGI *diss. hypatic.* p. 70. & GVIDONEM PANCIROLLVM *de magistrat. municip. cap. VII.*

Cap. VI.

DE OFFICIO CONSVLIS.

Officivm consulis erat, curare publica, id est, quæ ad pacem, bellum, fœdera & alia reipublicæ pertinebant; priuati autem iuris controversias ad prætores remittebat, quos nihilominus *collegas* adpellabat: vide PLINIVM *loco indicato*, & adde CICERONEM *orat. III. Catil. cap.* 2. vnde simul discitur, consulem prætoribus imperasse etiam alia, quæ reipublicæ caussa expedienda erant.

Cap. VII.

DE LICTORE CONSVLARI.

Svpra dictum, duodecim lictores consulem præcessisse, non tantum terroris & auctoritatis caussa: verum etiam, vt sequenti consuli viam facerent, submoto populo. HORATIVS *lib. II. od.* 16. *v.* 9:

Non enim gazæ; neque consularis
Submouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

PLINIVS *paneg. cap. LXXVI.* §. 8: *nemo perturbabatur, nemo submouebatur.* LIVIVS *lib. XLV. cap.* 7: *donec consul lictores misisset, qui submouendo iter ad prætorium facerent.* SENECA eleganter *ep. XCIV: non est, quod feliciorem eum iudices, cui submouetur, quam quem lictor semita deiicit.*

Cap. VIII.

DE TRIBVNIS MILITVM CONSVLARI POTESTATE.

§. I.

INTERRVPTVM consulare munus fuit per decemuiros ad biennium fere: deinde per tribunos militum consulari potestate, qui diutius imperarunt; quorum autem certus non erat numerus. Initio tres erant, vt est apud LIVIVM *lib. IV. cap.* 6. *&* 16. deinde quatuor *lib. IV. cap.* 31. aliquando sex aut octo *lib. V. cap.* 1. *&* 31. adde EVTROPIVM *lib. II. cap.* 1.

§. II.

Qui consulatu functi erant, dicebantur *consulares*, quemadmodum, qui prætura, *prætorii*: qui ædilitate, *ædilitii*. Exempla passim exstant: coniuncta singulorum ordinum habes apud EVTROPIVM *lib. V. cap.* 6. §. 6.

Cap. IX.

DE DECEMVIRIS.

§. I.

DECEMVIRI electi erant, vt leges Romanis ex atticis Solonis conscriberent & summa potestate, z) cessante interim consulatu, promulgarent:

z) Respublica primis suis temporibus admodum paucas habebat leges, & regum latæ in controuersiis sententiæ earum obtinebant vim. Quum vero consules omnia pro voluntate sua iudicarent, nec raro iniustitiam

rent: a quibus primum X. tabulæ legum factæ; postea, quum nonnulla deesse viderentur, duæ adiectæ, vt XII. *tabulæ* legum fierent, quæ sunt fons omnis iuris Romani, vti ex fragmentis hodieque adparet.

§. II.

Ad biennium vix durauit hic decemuiratus. Quum enim decemuiri potestate sua sequenti anno abuterentur, abrogata fuit potestas, & consules reducti. Vide LIVIVM *lib. III. cap. 32. seq.* EVTROPIVM *lib. I. cap. 16.* & *lib. II. ff.* de O. I. §. 24.

CAP. X.

DE PRÆTORIBVS.

§. I.

OLIM nullus magistratus, exactis regibus, Romæ erat, nisi consules. Quum vero hi bellis gerendis aliisque negotiis publicis detinerentur, a)

 addi-

tiam suam proderent, iam anno CCXCI. a populo ac tribunis plebis de emendando confuso hoc reipublicæ statu est cogitatum, quod institutum octo annos post, anno vrbis videlicet CCXCIX. exsequi susceptum est. Legati hanc ob caussam in Græciam mittebantur, qui leges Athenienſium, Solonis potissimum aliarumque ciuitatum describerent. Isti *ann. CCCII.* reuerterunt, atque ex his Romam delatis legibus notissimæ illæ decemuirales compositæ sunt, de quibus infra plura dicendi locus erit.

a) Prætores duas ob caussas instituti sunt: primum, quoniam consules ob continua bella muneri suo in vrbe satisfacere haud potuerunt: deinde, vt patriciis esset sola-

additus fuit nouus magistratus, prætor b) vnus, qui ius in vrbe diceret. c) Crescente autem ciuitate

solatium, qui indigne ferebant, quod plebeii ad consulatus honorem admissi fuissent: conf. IO. GOTTL. HEINECCIVM *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr. part. I.* p. 46.

b) *Prætoris* nomen antea, quam hic magistratus institutus est, omnibus, qui munere fungebantur, adsignatum fuisse, probant GERH. NOODTIVS *probabil.* p. 16. GERH. IO. VOSSIVS *etymol.* voc. *prætor*, & IO. GOTTL. HEINECCIVS *libro indicato* p. 55.

c) Necesse est, vt de iurisdictione prætorum eiusque limitibus quædam hic adferantur. Quemadmodum ius aliud *priuatum*, aliud *publicum* fuit; ita & iudicia alia *publica*, alia vero *priuata* fuerunt. Publica iudicia ab *extraordinariis* & iudiciis populi discerni debent. Ita, siue *publica* propter crimina ad rempublicam pertinentia instituebantur, & de iis leges latæ erant, pœnæque in illis finitæ, ac secundum istas quicunque postulare solebant, qui publici criminis aliquem volebant accusare; nisi essent, quibus iure id haud licitum fuit. In istis publicis iudiciis antequam quæstiones perpetuæ receptæ fuerunt, vel quæsitores & iudices de criminibus cognoscebant, vel ipsis prætoribus prouincia hæc speciatim deferebatur. In illis, siue *extraordinariis*, aut consul, aut totus senatus, aut princeps, nec non præfectus vrbi de iis cognoscebat criminibus, de quibus nullæ leges exstabant, aut pœna nulla constituta fuit. Hæc, siue *iudicia populi*, ab ipso populo ea de caussa instituebantur, vt maiestatis aliaque crimina, in quibus de capite ciuis quærebatur, vindicarentur: conf. IO. GEORG. GRÆVIVS *præfat. ad tom. II. thes. antiquit. Roman.* & IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr. part. II.* p. 310. Quod ad iudicia *priuata* attinet, quisque in iis ius suum persequebatur, quum contra ea in iudiciis publicis vel ipse populus, vel

tate & multis peregrinis aduentantibus, creatus est alius prætor, qui *peregrinus* adpellatus est ab

vel adcusator populi nomine crimina vindicare deberet. Priuata hæc iudicia initio reges, deinde consules & decemuiri, vt DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. X.* p. 627. ac LIVIVS *lib. III. cap.* 33. testantur, ac denique prætores habebant, atque in iis *iurisdictionem* ita exercebant, vt pro conditione edicti, atque ipsius, de quo disceptabatur, negotii, vel ipsi ius dicerent, vel litigantibus iudices darent. Vbi enim de *iure* controuersia erat, ipse prætor cognouit; quando vero *de facto* disputabatur, iudices ab eo singulares constitui solebant, qui rem rite diiudicabant, sententiasque suas, in vrnam coniectas, prætori exhibebant, vt, istis inter se comparatis, de lite pronuntiaret, qua de re CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap.* 12. GER. NOODTIVS *de iurisdict.* p. 130. 10. GOTTL. HEINECCIVS *libro memorat.* p. 212. legendi sunt. Ipse prætor vel in loco, iuri dicundo *destinato*, vel in *plano* ius dixit. Locus *destinatus* erat tam in comitio, quo olim omnes lites agitatæ sunt; quam in foro, & quidem pro tribunali, loco amplissimo & spectabili in comitio, fere hemicycli specie introrsum curuato, in quo sella curulis poni solebat. Eo se multo mane conferebat prætor, &, hora tertia per accensum exclamata, eos accedere iubebat, qui ius poscerent. Secum habebat quinque equites totidemque senatores, *adsessores* vocatos, qui a tergo prætoris sedebant, non eo fine, vt ius ipsi dicerent; sed potius, vt in re dubia instruerent suis consiliis prætorem. Qui loco hoc vel de caussis cognouit & ius accedentibus dixit; vel consilium rogantibus præbuit, vel conuentum siue quæstionem inter partes indixit. Ad primum munus quod spectat, istud tribus his verbis continebatur: *do, dico, addico.* Dabat *enim prætor*, vt HEINECCII *libro memorato part. I.* p. 48. verbis vtar, *actionem & exceptionem*: dabat *bonorum possessionem*:

da-

eo, quod inter peregrinos ius diceret; prior autem ille, qui ciuibus in vrbe ius reddebat, d) dictus

dabat *iudices*, *arbitros*, *recuperatores*: dabat *tutores ex lege Atilia*. Dicebat *interdicendo*, *quoties de poſſeſſione agebatur*: *indicebat aduocata concione ferias*, *ſi quando terra in vrbe tremuiſſet*. Addicebat *denique veluti facta in iure ceſſione*, *mancipatione*, ceter. Cognoſcebat quæque pro tribunali ſuo ſecundum ordinem aduenientium, niſi ſe faciliorem hac in re erga illos, qui ex longe remotis locis aduenerant, præbere volebat, quod SENECA *epiſt. CVI.* ſatis innuit. Quæ iam obſeruaui, ea exemplis probant: IVST. LIPSIVS *de magiſtrat. Rom. cap. X.* FRANC. ROBORTELLVS *de iudiciis* p. 15. CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap. 9.* ſeq. PAVLLVS MANVTIVS *de legib. cap. XIX.* inprimis ſupra memoratus GER. NOODTIVS *libro excitato*. *Tribunal*, pro quo ius dicebat prætor, maiorum tantum magiſtratuum proprium fuit; minores vero in ſubſelliis pronuntiabant. In inſcriptionibus, vt apud REINESIVM *claſſ. II. num.* 44. magiſtratibus municipalibus tribunal adſignatur; illud tamen de ſubſelliis eſt intelligendum, vt recte obſeruat HEINECCIVS *loco indicato* p. 214. Ius dicebat etiam prætor, vt ſupra indicaui, in *plano*; idque vel domi, vel in via fiebat, ita, vt ſella, quæ poſt prætorem vehebatur, in plano poneretur, prætor ſederet, ac ius, adſtante hominum multitudine, diceret. Qui *de plano* poſtulabant ius, per ordinem magiſtratui libellos tradebant; prætor vero per ſubſcriptionem reſpondebat, vt HEINECCIVS ibidem probat.

d) Præter hoc munus prætoris, quod in iure dicendo poſitum fuit, eum etiam oportuit ludos, præſertim in circo, edere, teſte IVVENALI *ſat. IX.* v. 192. cui 10. GEORG. GRÆVIVS *ſyntagm. diſſ.* p. 548. & interpretes *Suetonii* p. 609. ed. GRÆVII adiungendi ſunt. Abſentibus conſulibus, munere eorum fungebatur, vt ex

ctus est *prætor vrbanus*. e) De his POMPONIVS *lib. II. ff. O. I.* §. 27. 28. & LIVIVS *lib. IV. cap.* 1. & *lib. VIII. cap.* 15. vbi ex plebe etiam creatum prætorem scribit; de aucto autem prætorum numero, de eorumque officiis post Punica bella accurate ibidem POMPONIVS §. 32. quorum summa est, tot prætores fuisse additos, quot prouinciæ in ditionem venerant. Vide & LIVIVM *epit. XIX.* & *lib. XXXII. cap.* 27. *lib. XXXIII. cap.* 26.

ex LIVIO *lib. X. cap.* 45. patet: senatum cogebat: sententias rogabat: comitia & conciones ad populum habebat: aliaque, quæ ad consulum officium spectabant, suscipiebat, quum in absentia illorum summus in vrbe magistratus esset, nec hanc ob caussam plures quam decem dies ab vrbe abesse posset, auctore GELLIO *lib. XIII. cap.* 5. Anno magistratus sui ad finem perducto, in prouincias proficiscebantur prætores. Vltimis imperii Romani temporibus iurisdictio prætorum fere omnis exspirabat & ad præfectos prætorio transferebatur, ipsis sola ludorum cura ac potestate, quæ ad hos spectabat, relicta: cont. FAM. NARDINVS *Rom. vet. lib. III. cap.* 16.

e) Prætor vrbanus maiori dignitate, quam peregrinus, præditus fuit, vnde & apud OVIDIVM *lib. I. fastor.* v. 52. *honoratus*; apud FESTVM autem voce: *maior consul*, *maior* dicitur. Quoniam imperii fines quotidie latius extendebantur, anno vrbis DCV. constitutum fuit, vt duo prætores, *vrbanus* & *peregrinus*, res priuatas cognoscerent; reliqui vero capitalium criminum quæstionibus, quæ, quoniam perpetuo durabant, *perpetuæ* dictæ sunt, præficerentur, quum ante, vt supra indicaui, extra ordinem a populo quæstores singulares ad id creari solerent. Quæstiones perpetuæ de *repetundis*, *de ambitu*, *maiestate*, *peculatu*, *sicariis*, *parricidiis*, cet. instituebantur.

§. II.

Crescentibus criminibus, quæstiones publicæ sunt constitutæ, & iuridicæ causſæ inter prætores distributæ, atque a Sullano tempore vsque ad Ciceronem octo prætores in vrbe fuerunt, & Cicero inter octo primus, vt ipse in *Pisonem cap. I.* & *pro leg. Man. cap. I.* testatur. Iulius Cæsar XII. vel, vt DIO *Cassius lib. XLIII.* p. 237. habet, XIV. fecit prætores: Augustus XVI. Claudius adiecit duos, vt fierent XVIII. quem numerum imperator Nerua restituit, quum a Tito minutus fuisset: f) vide de his POMPONIVM *loco indicato.*

§. III.

f) Vt pauca de edictis atque insignibus prætorum hic adferantur, necesse erit. Edicta, quæ, vt HEINECCIVS *synt. ant. Rom. lib. I. tit.* 2. §. 23. p. 49. probat, a peregrinis pariter atque vrbanis prætoribus promulgabantur, vel *generalia*, vel *specialia* fuerunt. Illa a quouis prætore, priusquam ius dicebat, in albo, siue, vt nonnulli volunt, in *pariete dealbato*, proponebantur. Continebant eæ ipsam rationem iuris dicundi, quam per totum annum prætor sequi constituerat. Hæc, siue *specialia*, in certis causſis dabantur, quæ vero ad alias similes causſas non extendi solebant. Talis edicta proponendi consuetudo quum varias in iure confusiones gigneret, anno vrbis conditæ CCCCLXXXVII. a C. Cornelio tribuno plebis abrogata, ac constitutum est, vt in posterum ex edictis perpetuis ius diceretur; vbi tamen prætori nihilo minus permissum fuit, ea, inito magistratu, vel augere, vel immutare. Tempore postea Adriani imperatoris Saluius Iulianus omnia hæc edicta prætorum collegit ac rite disposuit, quod deinde *edictum perpetuum* & *ius honorarium* dictum est. Insignia prætorum fuerunt: prætexta, sella curulis, tribunal, hasta, gladius, sex lictores cum fascibus. Alii, duos li-

§. III.

Postquam sic omnes illi prætores iudiciis vel publicis vel priuatis in vrbe occupati essent, in provincias missi sunt *proprætores*, id est, qui prætura functi fuerant anno superiore, vel ante biennium; qui vero etiam sæpissime simplici vocabulo *prætores* dicebantur. Tandem maiores prouinciæ per *proconsules* sunt rectæ; mediocres per proprætores. Paruas qui administrabant, posteriori æuo tantum *præsides* dicti fuerunt.

§. IV.

Prætores, late dicti, erant exercituum rectores; vnde *cohors prætoria*, & ipsum *prætorium* adpellantur. Sed de his non proprie hoc loco agimus. De edicto prætoris etiam dicemus infra, vbi de Romanorum legibus & iudiciis exponemus. g)

lictores prætorem habuisse contendunt; sed veteres scriptores, PLVTARCHVS, POLYBIVS aliique numeri senarii mentionem faciunt. Qui duos fuisse putant, non distinguunt tempora. Antiquiori enim æuo duos tantum habuerunt lictores; quibus postea quatuor additos esse, sed sine securibus, probat EZ. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. diss. X. tom. II.* p. 114. cui CAR. SIGONIVM *de ant. iur. ciuil. Rom. lib. I. cap.* 20. addas, qui hoc negat & prætoribus prouincialibus solum sex adsignandos esse lictores statuit.

g) Plura de prætoribus, præter SAM. PITISCVM, etiam memoratos GER. NOODTIVM & HEINECCIVM, exhibent: CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVS *de ærario pop. Rom. obs. XV.* HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 438. & 727. *interpretes Pomponii in titul. digestor. de origine iur.* WOLFGANG. LAZIVS *de republ. Romana lib. II.*

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XI.

DE ÆDILIBVS.

§. I.

Non vnius generis ædiles erant; omnes vero a cura ædium publicarum nomen habebant. Primum duo ædiles creati sunt eodem anno, quo tribuni plebis sunt facti, postquam populus ex monte sacro in vrbem reuertisset. DIONYSIVS *Halicarnassæus* hunc nexum temporis docet *lib. VI.* tribunorum autem originem ad annum decimum sextum post exactos reges refert EVTROPIVS *lib. I. cap.* 12. Hi vocabantur ædiles plebeii, qui de plebe sumebantur, & etiam plebis curam gerebant, præsertim in rebus venalibus moderandis, qua officii parte iidem erant, qui Græcis dicebantur ἀγορανόμοι. Horum meminit LIVIVS *lib. III. cap.* 57.

§. II.

Nobiliores erant, qui *ædiles curules* dicebantur, quorum originem LIVIVS *lib. VI. cap.* 42. & *lib. VII. cap.* 1. describit: *annus hic erat*, inquit, *insignis noui hominis consulatu: insignis nouis duobus magistratibus, prætura & curuli ædilitate.* Erant itidem duo, quod ibidem LIVIVS probat, dicens: *patres ædilitatem Cneio Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni, suarum gentium viris, gratia campestri dederunt.* Initio etiam patricii ad hoc munus eligebantur: tandem ad alios quoque ordines illud venit. gg) §. III.

gg) Horum originem sic narrat LIVIVS *lib. VI. cap.* 42: *ita*

§. III.

Horum officium & ornamenta h) variis locis CICERO descripsit *orat. in Verrem VII. cap.* 14. de

ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem senatus censeret esse, meritoque id, si quando vnquam alias deum immortalium caussa libenter facturos fore, vt ludi maximi fierent, & dies vnus ad triduum adiiceretur, recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum a patriciis est iuuenibus; sed id honoris deum immortalium caussa libenter acturos, vt ædiles fierent. Quibus quum ab vniuersis gratiæ actæ essent, factum senatus consultum, vt duo viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret.

h) Pro munere suo curabant omnes res venales, inprimis, quæ ad cibum atque annonam spectabant: observabant, vt iustæ adhiberentur mensuræ: vt luxus nimius tam cibi, quam vestium aliarumque rerum infringeretur: vt ædificia publica pariter ac priuata conseruarentur: collapsa repararentur; plateæ vero ac viæ semper essent mundæ ac politæ. Præterea libidines fornicum ac popinarum coercebant, atque animum ad id adhibebant, ne vrbi per incendia aut alios funestos casus detrimentum adferretur. Præfecti quoque erant ludis, eorumque curam in se suscipiebant, quæ omnia veterum confirmant testimonia. De prohibitis popinis & ganeis, ac interdicto mensarum luxurioso adparatu, ædiliumque hac in re officio vide SVETONIVM *vit. Tiber. cap. XXXIV.* §. 2. *vit. Claud. cap. XXXVIII.* §. 4. TACITVM *lib. III. annal. cap.* 55. §. 1. & PLAVTVM *capt. act. IV. scen.* 2. v. 43. de vestium cura SVETONIVM *vit. Aug. cap. XL.* §. 10. de viis ab ædilibus conseruatis itidem SVETONIVM *vit. Vespas. cap. V.* §. 4. PLAVTVM *stich. act. II. scen.* 11. v. 28. aliosque apud PITISCVM *not. ad hunc locum* p. 950. de munere, non solum ædificia publica ædesque sacras tuendi, sed etiam vrbem ac pascua publica curan-

de seipso loquens: *nunc sum designatus ædilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero Liberæque faciundos; mihi Floram matrem populo plebique Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate & religione Ioui, Iunoni Mineruæque esse faciundos: mihi ædium sacrarum procurationem; mihi totam vrbem tuendam esse commissam.*

§. IV.

curandi incendiaque auertendi DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. III. cap.* 57. LIVIVM *lib. I. cap.* 56. aliaque testimonia apud EZECH. SPANHEMIVM *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 144. PETR. BVRMANNVM *Iou. fulgerat.* p. 119. & 202. ISAAC. CASAVBONVM *ad Suetonium* p. 166. ed. GRÆVII, & HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 730. De ornamentis, quibus ædiles vrbi splendorem conciliare studuerunt, lege LIVIVM *lib. IX. cap.* 40. & SVETONIVM *vit. Cæs. cap. X.* §. 1. & de ludis, quibus præerant, CICERONEM *lib. III. de leg. cap.* 3. & *in Verrem V. cap.* 14. de prouincia, meretrices non tolerandi, SENECAM *de vit. beat. cap. VII.* & 10. GOTTL. HEINECCIVM *comm. ad leg. Iul. & Pap.* p. 131. de iurisdictione in annonam, rem frumentariam cibariamque ac mensuras IVVENALEM *sat. X.* v. 101. PERSIVM *sat. I.* v. 128. & MARTIALEM *lib. V. eleg.* 81. v. 4. Plura de his officiis exhibet SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 39. De ipsis ædilibus vid. interpretes *Pomponii de origine iuris:* ANDR. TIRAQVELLVM *not. ad Alexandrum ab Alexandro lib. IV. cap.* 4. EZ. SPANHEMIVM *loco memorato* p. 143. seq. IO. AVGVST. OLEARIVM *diss. de ædilibus Romanorum*, & inprimis EVERH. OTTONEM *de ædilibus coloniar. & municip.*

Landesbibliothek Oldenburg

§. IV.

Ludos plerumque suo priuato sumtu faciebant, eo plus gratiæ a populo consequuti, quo splendidiores ludos ediderant. Vnde apud CICERONEM *lib. II. offic. cap.* 17. Mamerco dicit, *prætermissionem ædilitatis repulsam consulatus attulisse*; L. Crassum contra laudat, quod magnificentissima ædilitate functus fuerit, ibid. *cap.* 16. Magnificentia autem hæc in ludis consistebat. Vid. & Cœlii *epist. ad Ciceronem procons.* & huius ad illas responsiones, quibus ille a Cicerone petit, vt pantheras sibi ad ludos ex prouincia mittat.

§. V.

Tandem Iulius Cæsar duos ædiles *cereales* addidit, qui frumenti curam haberent, vt notat DIO CASSIVS *lib. XLIII. sub fin. p.* 239. quorum autem tam frequens mentio, aut etiam tanta dignitas aut gratia non erat, quanta erat ædilium curulium, qui præcipue intelliguntur, quoties ædilium absolute fit mentio. Curules dicti a curuli sella, splendido magistratus maioris ornamento.

CAP. XII.

DE TRIBVNIS PLEBIS.

§. I.

TRIBVNI plebis erant, qui plebis caussam aduersus potentiores, id est, nobiles & patricios, defendebant ac tuebantur. Caussam noui huius magistratus dedit oppressio plebis, & procerum iniuria, qua factum, vt plebs vrbe excederet, nec reuocari posset, nisi impetrato ex suo ordine magi-

gistratu, qui libertatem ipsius tueretur: qui & adsiduus in senatu & apud consules esset, illorumque decretis contradiceret, siue intercederet, si illa duriora in plebem ac iniquiora essent. i) Historiam suppeditat LIVIVS *lib. II. cap.* 32. & EVTROPIVS *lib. I. cap.* 12.

§. II.

Initio duo tribuni plebis creati sunt; k) qui vero

i) Quando enim magistratus aliquid contra plebis libertatem, iura ac priuilegia moliri, sibi sumebant, maximum populi in tribunorum potestate præsidium erat positum, quippe qui omnia, contra plebem instituta, dirimere vnica hac voce: VETO, poterant: adde BARNAB. BRISSONIVM *de formul.* p. 271. IVSTVM LIPSIVM *de magistrat. Rom. cap. XV.* & PAVL. MANVTIVM *de leg. cap. XXXVI.* Romanorum historia effuse ac larga manu huius rei suppeditat exempla, &, quamuis, vti etiam ex FREINSHEMIO *not. in Flor. lib. III. cap.* 13. patet, non negari possit, ista potestate tribunos sæpe abusos esse; sæpe tamen egregia iustitiæ suæ animique, ab omni partium studio alieni, documenta dederunt, cuiusmodi varia testimonia VALERIVS MAXIMVS *lib. VI. cap.* 5. recitat. Quoniam custodes libertatis populi erant, diu vetitum fuit, tribunos ex patriciis ac senatoribus petere, & quamuis & hoc postea, vt ex LIVIO *lib. III. cap.* 65. videmus; permitteretur; amittebant tamen ii patriciorum iura, & se plebeiorum ordini adnumerare eorumque iura contra patricios tueri debebant. Vnicum patriciorum tribunorum exemplum apud LIVIVM legimus; alios tamen patricios idem munus adfectasse, ex CICERONE *pro dom. cap. XIII. & XIV.* patet.

k) De numero tribunorum plebis eiusque mutatione vide ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. LXVIII.* & IVST. LIPSIVM *de magistrat. Rom. cap. XIV.*

Landesbibliothek Oldenburg

ro mox tres sibi collegas addiderunt, vt quinque essent. LIVIVS ibid. *cap.* 33. & 58. Breui post tempore, id est, tricesimo sexto anno a primis tribunis decem creati sunt, l) quamquam CICERO *in orat. pro C. Cornelio*, cuius fragmenta ASCONIVS seruauit, in alterum a primis tribunis annum id ipsum referat. Digna verba, vt integra repetantur: *tanta*, inquit, *in illis*, scilicet Romanis plebeiis, *virtus fuit, vt annos post XVI. reges exactos propter nimiam potentium dominationem secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienum, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae caussa consecrarent. Ita quoque auspicato postero anno decem tribuni plebis comitiis curiatis creati*

l) Obseruata est in eorum creatione consuetudo, vt, si per legitima suffragia decem non electi erant, ii, qui deerant, non a populo, sed a rite electis tribunis cooptarentur. Hoc manifeste docet LIVIVS, quando *lib. III. cap.* 64. ita scribit: *M. Duillius comitia habuit, &, quinque tribunis plebis creatis, quum prae studiis aperte petentium nouem tribunorum alii candidati tribus non explerent, concilium dimisit; nec deinde comitiorum caussa habuit. Satisfactum legi aiebat, quae numero nusquam praefinito tribunis, modo vt relinquerentur, sanciret, & ab iis, qui creati essent, cooptari collegas iuberet. Recitabatque rogationis carmen, in quo, si tribunos plebei decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebei fecerint: hi tum vti quos sibi collegas coptassint, vt illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, vt illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.* Hunc vero morem a L. Trebonio anno sequenti post habita a M. Duillio comitia abrogatum esse, itidem LIVIVS *cap. sequenti libri memorati* docet.

Landesbibliothek Oldenburg

creati sunt. Hæc CICERO, qui nisi memoria lapsus fuit, ex illius verbis videtur aliquid excidisse, vt etiam ASCONIVS obseruauit. Nam altero anno tres additi duobus primis, vt quinque essent: XXXVI. anno creati demum decem, vt LIVIVS, ad quem ASCONIVS etiam prouocauit, probatum dedit.

§. III.

Amplissimæ potestatis m) hic magistratus erat, quam-

m) Tanta fuerunt instructi potestate, vt senatus edicta rescindere: nouas leges contra senatus voluntatem promulgare: comitia tum plebis, tum senatus cogere ac dimittere: militum delectus vetare: consules in carcerem coniicere: condemnatos absoluere, aliaque contra magistratuum leges ac edicta suscipere potuerint, quæ omnia ex VALERIO MAXIMO *lib. I. cap.* I. §. 9. *lib. II. cap.* 2. §. 7. CICERONE *lib. III. de leg. cap.* 7. *de orat. lib. III. cap.* I. APPIANO *de bell. ciuil. lib. II.* p. 445. DIONYSIO *Halicarnasseo lib. X.* p. 657. & 667. LIVIO *epit. LV.* aliisque apud ONVPHR. PANVINIVM *loco memorat.* & LYCKLAMAM *de magistrat. cap. IV.* patent. Habuerunt quidem facultatem, senatum, vt ex SVETONIO *vit. Aug. cap. XXIII.* & A. GELLIO *lib. XIV. cap.* 7. & 8. constat, cogendi; non autem id, quoties volebant, fieri poterat. Ideo & sub Augusto, tribunicia iam potestate prædito, alio patrum decreto opus fuit, vt, quoties is vellet, senatum conuocare posset, quemadmodum DIO CASSIVS *ad annum DCCXXXII.* refert. Sulla potestatem tribunorum valde imminuit, vt ex LIVII *epit. LXXXIX.* patet: a Cotta vero & Pompeio magno omnia eorum iura restituta sunt. Extra vrbem nullam habuerunt potestatem. Eorum domus die noctuque patebant, vt omnes oppressi ad eos se statim conferre & auxilium eo-

quamuis non dignitatis. n) Infra enim curules magistratus erat; toti autem senatui eiusque decretis

eorum implorare possent. Eamdem ob caussam per diem integrum, nisi feriis latinis, ab vrbe abesse non potuerunt.

n) Magistratus enim proprie non extiterunt tribuni, &, quamuis *viatorem* & *prehensionem* haberent; vocandi tamen iure destituti fuerunt, quod GELLIVS aperte docet *lib. XIII. cap.* 12. Ante curiam ergo sedebant in subselliis, donec senatus consulta ad ipsos ferebantur, hæcque vel probabant; vel, vbi quid continebant, quod libertati populi officere videbatur, denegato suo consensu, irrita reddebant: conf. VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap.* 2. §. 7. Iure inde quæritur: quomodo CICERO *pro Quint. cap. XX.* dicere: *per eum magistratum*, tribunos videlicet, *qui auxilii caussa constitutus est*, ac TACITVS *lib. XII. annal. cap.* 64. cum isto conspirare potuerit? quum res ipsa & ex priscis PLVTARCHVS *quæst. LXXXI.* doceat, tribunos magistratibus reliquis haud adnumeratos fuisse. Quæ dubia quæstio vt remoueatur, obseruandum est, aliam fuisse rationem tribunorum, antequam senatores ordini eorum adscripti fuerunt: aliam postquam per legem quamdam tribuni plebis ex senatoribus eligi solebant, quod ex SVETONIO *vit. Aug. cap. X.* §. 4. *cap. XL.* §. 9. & PLINIO *lib. II. epist.* 9. colligi potest. Hoc enim patres ex prudentia ciuili instituerunt, quoniam autumabant, virum senatorium non tam seuere contra senatum acturum esse, quam adhuc soli ex plebe tribuni fecerant. Ad hoc iam, ante istam legem, quamquam de tempore nihil certi definiri potest, plebiscitum Atinium a C. Atinio Labeone factum fuit, quo tribunis plebis senatoria dignitas & ius, sententiam dicendi, concessa est, vt GELLIVS *lib. XIV. cap.* 8. docet. Hac ergo ratione etiam tribuni plebis *magistratus* a Cicerone vocari potuerunt.

cretis poterat resistere, id quod *intercedere* vocabant, nostrates autem semibarbare dicunt *protestari*. Sub cæsaribus tamen creuit dignitas eius, quia in singulos annos omnes imperatores inde ab Augusto tribunitiam potestatem adsumserunt, & in titulis suis per annos numerarunt, quod speciosso hoc & amabili nomine dominationem regiam & senatus oppressionem poterant occultare. o) CICERO *lib. III. de legibus cap.* 7. ita de potestate hac summa infit: *habet consul, vt ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno; & cap.* 10: *Nimia*, inquit, *est potestas tribunorum plebis, quis negat? sed vis populi multo sæuior, multoque vehemen-*

o) Nouum hoc specimen erat ciuilis imperatorum prudentiæ. Quum enim ipsi, præter ceteros magistratus, summum sacerdotium & potestatem tribunitiam ad se raperent, tota populi Romani libertas extinguebatur ac supprimebatur. Tribunitia potestas, vt ISAAC CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 160. ex DIONE observat, Augusto, anno DCCXXIV. post victum Antonium, decreta fuit; suscepta autem ab ipso est anno demum DCCXXXI. quamuis iam anno DCCXVIII. victo Pompeio, ipsi species quædam huius potestatis adsignata fuisset. Nihil aptius ad vindicandum summum imperium Augusto contingere potuisset, quam hæc tribunitiæ potestatis concessio. Eo enim Augustus *sacrosanctus* reddebatur, per iura nimirum tribunorum, qui, vt LIVIVS *lib. III. cap.* 55. testatur, omnes pro sacrosanctis putabantur. Immo Augusti potentia hac in re latius extensa fuit, quam reliquorum tribunorum, quum eum etiam extra vrbem, intra proximum milliare, auxilium implorantibus opem ferre potuisse, veterum scripta monimenta testantur, quod ius nulli vnquam tribuno ante Augustum datum erat.

Landesbibliothek Oldenburg

mentior, quæ, ducem quod habet interdum, lenior est. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? De Augusti instituto TACITVS *lib. III. annal. cap.* 56. §. 1. ita loquitur: *Tiberius, fama moderationis parta, mittit litteras ad senatum, quis potestatem tribunitiam Druso petebat.* Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen adpellatione aliqua cetera imperia præemineret. Qui præterea nouem numero sub cæsaribus tribuni plebis erant, eorum potestatem, quæ restricta admodum erat, & veteris quasi vmbra, quam solus imperator vsurpabat, descripsit PLINIVS *lib. I. ep.* 23. Initio tantum plebeii erant: post etiam nobiles seu patricii, sed a plebeio homine adoptati; quæ vero lex sub cæsaribus negligebatur, vtpote qui etiam tribunitiam potestatem quotannis nouam capiebant, etsi nomine concretiuo abstinerent. p)

CAP. XIII.

DE TRIBVNIS ÆRARII.

§. I.

HORVM meminit CICERO *orat. IV. Catil. cap.* 7.

p) De tribunis plebis ac tribunitia potestate conferas: HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 417. seq. p. 573. seq. p. 680. seq. IVSTVM LIPSIVM *lib. II. elect. cap.* 13. ANT. PAGI *critic. in Baron. annal. tom. I.* p. 103. IAN. VINCENT. GRAVINAM *de ortu & progressu iur. ciuil. lib. I. cap.* 27. ONVPHR. PANVINI-

VM

7. qui minoris ordinis præfecti erant, eorumque vsus & officium, pecuniam de ærario in stipendium militum adnumerare, vt ASCONIVS describit *in Cic. orat. III. Verrinam de prætura vrbana.* q)

§. II.

Iudicibus etiam populi loco intererant, quando illa ex tribus ordinibus essent mixta, quod patet ex eiusdem ASCONII *commentario in Cic. orat. pro Marc. Scauro sub fin.*

CAP. XIV.

DE QVÆSTORIBVS.

§. I.

QVÆSTVRA primus & infimus gradus honorum fuit, quem iuuenes etiam ante trigesimum annum adscendere poterant. r) Post consules

VM *de ciuit. Rom. cap. LXVIII.* FRANC. HOTTOMANNVM *de magistrat. Rom. lib. I. tom. II. thes. ant. Rom. Grævii* p. 1888. aliosque.

q) Ipsi non custodes carceris erant, quum munus hoc *commentarienses* haberent; sed prouinciam accipiebant, ad columnam Meniam caussas sceleratorum aliorumque improborum ac viliorum hominum cognoscendi, eosque puniendi; aut in carcere custodiendos commentarienſi tradendi. His in carcere custodiis commentarienſis quidem præerat, sed superior earum cura triumuiris commissa est; quod ex PLAVTO *act. I. scen. I.* v. 3. LIVIO *lib. XXII. cap.* 26. VALERIO MAXIMO *lib. VIII. cap.* 4. §. 2. aliisque patet.

r) Quæstores triplicis fuerunt generis. Alii quæstores *vrbani*, qui ærario præfuerunt: alii *prouinciales*, & alii denique *capitales* extiterunt, qui in maleficia, parricidia

sules creati fuerant quæstores, crescente republica, quum antea ipsorum munus ipsi consules admini-

 stra-

dia ac reliqua crimina inquisiuerunt; quod vero munus anno DCLXV. a quæstoribus capitalibus ad triumuiros capitales translatum est. Ad quæstores vrbanos quod spectat, de eorum prima institutione numeroque aucto TACITVS *lib. XI. annal. cap.* 22. scribit: *quæstores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt, quod lex curiata ostendit, a L. Bruto repetita, mansitque consulibus potestas eligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primum Valerius Postumius, Æmilius Mamercus LXIII. anno post Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Post lege Sullæ viginti creati, suppleudo senatui, cui iudicia tradiderat.* Munus eorum potissimum in eo positum fuit, vt pecuniam publicam, quam respublica ex vectigalibus, præda ac damnatorum bonis accipiebat, custodirent: ea, quæ sumtu reipublicæ soluenda erant, exhiberent & in commentarios accepti atque expensi referrent: conf. PETR. BVRMANNVS *de vectigal. pop. Rom.* p. 112. Hinc & haud raro in saxis litteratis hæ loquendi deprehenduntur formulæ: STATVAM PECVNIA PVBLICA PONENDAM CENSVIT: LOCARI SVMTV PVBLICO PLACVIT. Adhæc non solum leges & senatus consulta custodire; sed etiam signa militaria ex ærario ad consules, quando in bellum proficiscendum erat, mittere: legatos exterarum gentium excipere: iis hospitium præbere, &, vbi ægrotabant, eorum valetudinis curam habere debebant. Istud ex DIONE CASSIO *lib. LIV.* p. 546. & SVETONIO *vit. Augusti. cap. XCIV.* illud ex LIVIO *lib. III. cap.* 69. *lib. VII. cap.* 23. hoc vero ex VALERIO MAXIMO *lib. V. cap.* 1. §. 1. satis comprobari potest. Tantam habuerunt au-

ctori-

strarent. POMPONIVS *de origine iuris lib. II.* §. 22 : *quum ærarium populi auctius esse cœpisset, vt essent, qui illi præessent, constituti sunt quæstores, dicti ab eo, quod inquirendæ & conseruandæ pecuniæ caussa creati erant.* Initio duo tantum erant, qui dicti sunt *vrbani quæstores :* post additi totidem, vt duo in vrbe manerent, duo consulibus in bello adessent. LIVIVS *lib. IV. cap.* 43 : *moles discordiarum inter plebem ac patres exorta est, cœpta ab duplicando quæstorum numero, vt præter duos vrbanos quæstores, duo consulibus ad ministeria belli præsto essent :* adde *cap. LIV. & epit. lib. XV.*

§. II.

Italia stipendiaria facta, duplicatus numerus, & octo creati. LIVIVS *epit. XV : quæstorum numerus ampliatus est, vt essent octo.* TACITVS *lib. XI. cap.* 22. de quæstoribus agens : *mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus.* Addit ibidem Tacitus, Sul-

storitatem, vt imperatores, ex bello redeuntes, non prius nanciscerentur triumphi honorem, quam apud quæstores iureiurando confirmauerant, numerum & ciuium amissorum & hostium occisorum in litteris ad senatum recte definitum ac scriptum fuisse : conf. VALERIVM MAXIMVM *lib. II. cap.* 8. §. 1. Quoniam inter minores magistratus referebantur, atque hanc ob rem neque vocationem, neque prehensionem habebant, comitiis tributis creati sunt; antea autem a consulibus, & postea in curiatis comitiis legi solebant. Nullam quidem habebant iurisdictionem; nonnunquam tamen ipsis minores caussas a maiori magistratu ad inquirendum datas esse, varia comprobant exempla.

Landesbibliothek Oldenburg

Sullam viginti constituisse supplendo senatui, quia quæstores etiam senatores erant. Ex his etiam mittebantur in prouincias, vt præsidi adessent, s) & pecuniam ac vectigalia tractarent, ideoque vt numerus vbique sufficeret, Iulius Cæsar apud DIONEM *lib. XLIII.* p. 237. dicitur, quadraginta quæstores creasse. In prouincias ituri, sortiebantur æque, ac ipsi præsides. Quia vero sors priscis sancta erat, præses prouinciæ quæstorem, sorte sibi datum, filii loco habebat, & ille præsidem loco parentis. Hoc CICERO tradit tum alibi, *Verrina* videlicet *orat. III. cap.* 15. tum *lib. II. ep.* 19. & *lib. XIII. ep.* 10. Adde NEPOTEM *Catonis vita cap. I.* vbi nexus ille *necessitudo sortis* adpellatur: adde *Ciceronem diuin. in Verrem cap. XIX.*

§. III.

Hi prouinciales quæstores, decedente prætore, siue proconsule, in prouincia tamdiu relinquebantur,

s) Singulæ prouinciæ suum habebant quæstorem, si solam Siciliam exceperis, quæ ea de caussa duos nacta est quæstores, quoniam in veterem & nouam prouinciam diuidi solebat. Adiuuabant præsidem, ita, vt hic caussas controuersiasque tam publicas, quam priuatas cognosceret; quæstores autem pecuniam reditusque prouinciales administrarent, ac tabulas publicas conficerent: rem frumentariam administrarent, atque arma publica & signa custodirent. Maiore hanc ob rem fruebantur potestate, quam quæstores vrbani. Vrbani enim neque lictores & viatores; neque vocationem, prehensionem & iurisdictionem habebant; omnibus vero his prouinciales quæstores instructos fuisse, docent: CICERO *in Verrem orat. III. cap.* 78. *pro Planco cap.* 41. *de diuinat. cap.* 17. & SVETONIVS *vit. Cæs. cap.* 7. §. 1.

tur, vt eam vice præsidis administrarent, donec nouus præses adueniret. CICERO *lib. II. epist.* 15: *ego de prouincia decedens, quæstorem Cœlium præposui prouinciæ. Puerum inquis? at quæstorem, at nobilem adolescentem, at omnium fere exemplo: neque erat superiore honore vllus, quem præficerem.* Alii erant *quæstores Cæsaris*, siue principis, qui & candidati principis dicebantur: & quæstura ipsa hæc *palatina* dicta, ideoque opposita vrbanæ & prouinciali; sed de his eorumque munere dicemus infra, quum agendum erit de mutatione magistratuum sub cæsaribus. t)

CAP. XV.

DE CENSORIBVS.

§. I.

FORTVNARVM & capitum censura u) a Seruio rege dicitur instituta; vid. LIVIVM, FLORVM

t) Plura de quæstoribus exhibent; supra laudatus FRANCKENSTEINIVS *de ærario pop. Rom. obs. XIII. seq.* p. 668. *syntagm. Græviani:* HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 362. seq. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 160. FRANC. HOTTOMANNVS *de magistr. Rom. lib. I. tom. II. thes. ant. Rom.* GRÆVII, p. 1884. CLAVD. PRÆVOTIVS *de magistrat. Rom. cap. XIV.* De quæstoribus candidatis, qui epistolis principis, in senatu legendis, præerant, vid. GVID. PANCIROLLVM *notit. dignit. imper. orient. cap. LXXIII.*

u) Censum sextus Romanorum rex, Seruius Tullius, primus instituit, ita vt omnes ciues, qui Romæ pariter atque extra vrbem commorabantur, bona, domicilia, præ-

RVM & EVTROPIVM in eius *vita*. Consules postea cum non sufficerent censui agendo, duo

 cen-

prædia nominaque tam sua, quam vxorum, liberorum, seruorum ac libertorum, ætatemque, præstito iureiurando, profiteri deberent. Hæc omnia in singulares commentarios referebantur, eo consilio, vt hac ratione totius regni vires eo certius cognosci possent. Omnes ciues pro census modo in sex classes, & hæ itidem in centurias a Seruio erant distinctæ, pro ciuium ordine iam a nobis enarrandæ:

Prima classis omnium ditissimos complectebatur cives, eos nimirum, qui centum millia æris, siue M. imperiales possidebant. *Centuriæ* fuerunt XL. seniorum & XL. iuniorum, quibus XVIII. equitum & II. fabrorum additæ sunt. Seniores post annum XLV. ad vrbis custodiam; iuniores vero ad bella, foris gerenda, adhibebantur.

Secunda classis ditiores comprehendebat, & quidem eos, qui quinque & septuaginta millia æris; secundum nostram vero numerandi rationem, DCCL. imperiales possidebant. Seniorum X. & iuniorum itidem X. fuerunt centuriæ.

Tertia classis diuitibus constabat. Census absoluebatur quinquaginta millibus æris, hoc est, D. imperial. Centuriæ communem rationem cum secunda classe habebant.

Quarta classis continebat ciues mediocres. Census constabat quinque & viginti millibus æris, siue CCL. imperialibus. *Centuriæ* itidem viginti fuerunt, quibus duæ tibicinum & accensorum additæ erant.

In *quinta classe* ciues modici, qui vndecim millia æris, siue CX. imperiales possidebant, locum suum habebant. Centuriæ extiterunt XXX. nimirum seniorum XV. & totidem iuniorum, cui classi III. tibicinum & accensorum centuriæ additæ sunt.

Ad *sextam classem* tenuissimi pertinebant, quorum

cen-

sores, nouus magistratus, instituti circiter annum vrbis CCCXI. LIVIVS *lib. IV. cap.* 8: *hic annus cen-*

census vndecim millibus æris, siue CX. imperialibus minor fuit. Centuria erat vnica, in qua etiam *capite censi* & *proletarii*, omnesque a militia liberi atque immunes fuerunt. *Proletarii* dicebantur, quoniam existimabatur, eos ad prolem tantum procreandam valere; *capite* vero *censi* adpellati sunt, quoniam apud ipsos non pecuniæ, sed solum capitis habita ratio fuit. Census ipse a lustro maxime differebat. Censu enim peracto, populus demum suouetaurilibus lustrabatur, & id *lustrum conditum* vocari solebat. Census ipse primum in foro, deinde vero in campo Martio habitus est; lustrum vero semper in memorato campo celebrabatur: conf. GER. IO. VOSSIVS *etymol.* voc. *lustrum.* Quicunque nomina sua apud censores profitebantur, eaque tabulis censualibus inscribenda curabant, ii ius ciuitatis adipiscebantur. Per hanc occasionem multi ius hoc furtim quasi adsequuti sunt, & Romam commigrarunt, ita, vt legati sociorum Latini nominis de eo haud semel conquererentur, senatusque varia edicta contra eos, qui modo hoc ciuitatis ius sibi adquisiuerant, promulgaret, eosque, qui fraude hac vsi erant, domum redire iuberet, vt ex LIVIO *lib. XXXIX. cap.* 3. *lib. XLII. cap.* 12. *lib. XLII. cap.* 11. CICERONE *pro Balbo cap. XXIII.* & VALERIO MAXIMO *lib. III. cap.* 4. §. 5. patet. Omnes ciues, qui nomina fortunasque profiteri cupiebant, Romam, vbi census fiebat, commigrare debebant. In prouinciis enim non census, sed *professio censualis* vsitata fuit, quæ in eo a censu differebat, vt Romæ ciues tantum censerentur, & reipublicæ vires ciuiumque opes paterent; in prouinciis autem non proprie census fieret, sed per professionem censualem noua onera ac tributa exigerentur: conf. AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XIX. cap.* 11. Professio hæc, vt ex veteri iureconsulti fragmento apud

CLAVD.

surae initium fuit, rei a parua origine ortae, quae deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinaeque romanae penes eam regimen: senatus equitumque centuriae: decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus: publicorum ius priuatorumque locorum, & vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.

§. II.

GLAVD. SALMASIVM *de modo vsurar. cap. XIX.* p. 878. cognoscimus, ἀπογραφὴ dicebatur, huiusque & in oraculis diuinis *Luc. II*, 1. fit mentio. Refertur ibi, ἀπογραφὴν istam primam fuisse, quam Augustus per Quirinium instituerit; quoniam vero satis ex historiarum monimentis & nominatim ex IOSEPHO patet, antea iam censum peractum esse, obseruandum est, descriptionem hanc a Luca πρώτην dici, ad differentiam τῆς δευτέρας, quae ab eodem Quirinio, teste Luca *Act. V*, 37. suscepta, & sub qua seditio Iudae Gaulonitae orta est. Sententiam hanc SCALIGER, CASAVBONVS, MONTACVTIVS, CALOVIVS, DEYLINGIVS aliique tuentur, eaque probabilior videtur illa, qua πρώτη per πρώτερον exponitur, vt satis ex MICH. WALTHERO *officin. bibl.* p. 455. atque aliis constat. De censu Augusti conferantur: IO. MASSONIVS *in Iani templo Christo nascente reserato* p. 269. IAC. PERIZONIVS *diss. de Augustea orbis terrarum descriptione*: HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisan. diss. II. cap.* 16. IO. HARDVINVS p. 618. *oper. select.* SAL. DEYLINGIVS *obs. sacr. part. II.* p. 233. OBRECHTI, RICHARDI, WERNSDORFII ac reliquorum dissertationes tacitus praetereo. De Romano censu generatim eiusque ratione digni sunt qui legantur: HENR. DODWELLVS *praelect. Cambden.* p. 711. PHILIPP. LVD. HANNEKENIVS *de cura domestica vet. Rom. tom. I. thes. Sallengriani* p. 1322. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciuium Rom. lib. I. cap.* 14.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Morum castigatio, quæ in officio censorum erat, summam illis auctoritatem dedit, & eos fere fecit formidabiles. Pœnæ, castigationem comitantes, sic referuntur ab ASCONIO PEDIANO *in Verrinam diuinationem* p. 20. *Regendis*, inquit, *moribus ciuitatis censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset, eiiceretur senatu: qui eques Romanus, equum publicum perderet: qui plebeius, in cæritum tabulas inferretur & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis tantum, vt pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Erat etiam, si mitiganda pœna esset, multa iis, qui deliquerant, imposita, quæ *multa* siue *pecunia censoria* dicebatur, atque in publicum vsum adhibebatur, vel ad vias muniendas, vel ad publica condenda ædificia, quemadmodum stupendum illud opus viæ Appiæ ex pecunia censoria factum dicitur ab Appio Claudio censore, apud EVTROPIVM *lib. II. cap.* 4. §. 7. Exemplum feliciter actæ censuræ habes apud LIVIVM *lib. XLII. cap.* 10. x)

§. III.

x) Præter æstimationem facultatum & obseruationem morum, censores pro modo opum ciues in classes & centurias distribuebant: tribus nouas, teste LIVIO *lib. X. cap.* 9. veteribus addebant, ac vectigalia & opera publica reficienda redemtoribus locabant, vt ex FESTO voc. *redemtor* patet. De vectigalibus obseruandum est, ea a censoribus in singula lustra locata fuisse; quoniam vero totius alicuius prouinciæ vectigalia simul conduci solebant, hocque res erat magni impendii, alii in societatem coibant eaque simul conducebant.

§. III.

Initio erat hæc quinquennis potestas; quia autem tempus longum videbatur summæ potestatis, & periculosum libertati, ideo mutata res est & censura annua & semestris facta, idque lege Aemilia, quam nos docet LIVIVS *lib. IV. cap.* 24. oratione ipsius Aemilii Mamerci. *Alios*, inquit, *magistratus annuos esse: quinquennalem censuram: grave esse iisdem, per tot annos magna parte vitæ obnoxios viuere: se legem laturum, ne plus quam annua & semestris censura esset.* Adprobatum id & factum est. Nam LIVIVS addit: *consensu ingentis populi legem postero die pertulit*, atque ita etiam posteriori tempore seruatum fuit. LIVIVS *lib. IX. cap.* 33: *Appius Claudius censor, circumactis decem & octo mensibus, quod Aemilia lege finitum censuræ spatium temporis erat, quum Caius Plautius collega eius magistratu se abdicasset, nulla vi compelli, vt abdicaret, potuit.* y)

§. IV.

bant. Qui huic societati præerat, *magister societatis* appellabatur. *Promagistri* in prouinciis vices huius magistri gerebant, atque hi sunt illi, qui in sacris tabulis τελώνων nomen habent: conf. NATHAN. LARDNERVS *fid. hist. euang.* p. 379. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de vectig. cap. III.* IAC. CVIACIVS *lib. VII. obs.* 4. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. II. cap.* 4. PETR. BVRMANNVS *de vectigal.* p. 97. & p. 102. & PETR. ZORNIVS *hist. fisci iud.* p. 133.

y) Primis temporibus etiam consuetudo erat, vt nemo ante gestum consulatum censor fieret; quamuis postea nonnulli censuram ante consulatum adepti sint. Sic etiam antiquo æuo nemini, nisi patriciis, aditus ad dignitatem hanc patebat; deinde autem anno CCCCII.

po-

§. IV.

Mansit censura integra seueritate vsque ad tribunatum P. Clodii, qui legem tulit, vt ASCONIVS obseruat ad *orat. Cic. in Pisonem*: ne quem censores in senatu legendo præterirent, neue qua ignominia adficerent; nisi qui apud eos adcusatus & vtriusque censoris sententia damnatus esset. Scipio tamen post aliquot annos hanc legem Clodiam dissoluit, vt DIO CASSIVS tradit *lib. XL.* Vltimi censores ante ciuile bellum fuerunt Appius Pulcher & Lucius Piso, Cæsaris socer. Hos nominat ibidem DIO, & de Appio quidem ipse testatur CICERO *lib. III. epist.* 13: *quum hæc scribebam*, inquit, *censorem iam te esse, sperabam: eo breuior est hæc epistola, &, vt aduersus magistrum morum, modestior.*

§. V.

Sub cæsaribus sensim desiit hic magistratus, præsertim quod tot mali imperatores timerent, ne, dum aliorum mores castigentur, notentur etiam sui. Tam impudens erat Domitianus, vt per omnem vitam censuram se gerere, videri vellet, & nomen etiam præ se ferret, auctore DIONE *lib. LIII.* Jam tum vero sub Augusto decreuisse hunc ma-

populus effecit, vt semper censorum alter e plebe, alter vero e patriciis crearetur. Vbi alter censorum mortuus erat, nouus non substituebatur; sed mortui collega munus suum deponere debuit, vt duo de novo censores crearentur. In coloniis censorum officio *quinquennales* functos esse, obseruat HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisan. diss. I. cap.* 5. Quamdiu censores Romæ fuerint, HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 710. monstrat.

Landesbibliothek Oldenburg

magistratum, aut desiisse per longum tempus, docet SVETONIVS *vita eius cap. XXXVII; censores*, inquit, *creari desitos longo interuallo, creauit.* Haud dubie desierant impedimento ciuilium aliorumque bellorum. Inde cessauit censura vsque ad Claudium cæsarem, de quo SVETONIVS *cap. XVI. §. I: gessit & censuram, intermissam diu post Paullum Plancumque censores*, hi sub Augusto fuerant, *sed hanc quoque inæqualiter varioque & animo & euentu.* z)

CAP. XVI.

DE DICTATORIBVS.

§. I.

HACTENVS de ordinariis magistratibus: sequuntur, qui extra ordinem in summis periculis & necessitatibus fuerunt creati, dictator scilicet, & magister equitum. Nam quando in extremis periculis a) essent Romani, & per dissensionem

z) De censoribus conferas: CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 14. & 20. IVSTVM LIPSIVM *de magistrat. Rom. cap. XVIII.* FRANC. HOTTOMANNVM *de magistrat. Rom. tom. III. thes. ant. Rom.* GRÆVII, p. 1866. HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 627. CHRIST. SAGITTARIVM & IAC. PERIZONIVM singularibus *dissertationibus de censorib. Rom.*

a) Postea & ob alias rationes dictatorem creatum fuisse, comitiorum videlicet habendorum: quæstionis exercendæ: ludorum instaurandorum: feriarum constituendarum & claui figendi caussa, exempla apud LIVIVM *lib. VII. cap. 28. lib. VIII. cap.* 40. *lib. IX. cap.* 3. 7. 34. & *lib. XXIII. cap.* 22. confirmant.

Landesbibliothek Oldenburg

nem consulum, aut imperitiam etiam, desperarunt liberari rempublicam posse, ad vnius imperium, sed certo tempore definitum, refugiebant, electo viro b) probatæ virtutis atque fortitudinis, cui omnes parerent, vt is rempublicam seruaret.

§. II.

Dictator adpellatus est, vel, quod *diceretur* c) a consulibus, vt VARRO censet, *lib. IV. de lat. lingu.* vel

b) *Dicebatur* per ordinem a consule, qui eum captis auspiciis, oriente nocte, obseruato silentio, creabat, vt ex LIVIO *lib. IV. cap.* 13. *lib. IX. cap.* 38. & PLVTARCHO *vit. Marcell.* p. 312. patet. Nonnunquam etiam a populo eligebatur, quippe cui senatus permittebat, vt, quem dictatorem vellet, ipsi significaret, qui postea a consule creabatur, teste LIVIO *lib. IV. cap.* 31. *& lib. XXVII. cap.* 5. Sulla etiam & Iul. Cæsar dictatores creati sunt, quum apud illum interrex, apud hunc vero prætor comitia haberet: vide CICERONEM *de leg. agrar. orat. III. cap.* 2. & CÆSAREM *de bell. ciuil. lib. II. cap.* 25. Quando dictatura primum introducta sit, definit EVTROPIVS *lib. I. cap.* 12. vbi, *dignitas noua*, inquit, *maior, quam consulatus, Romæ est creata, nono anno post reges exactos, quum gener Tarquinii ad iniuriam soceri vindicandam ingentem collegisset exercitum*; LIVIO tamen *lib. II. cap.* 18. teste, *nec quo anno, nec quibus consulibus, nec, quis primus dictator creatus sit*, satis constat.

c) Ita enim loquebantur veteres, quando dictator eligendus erat, vt ex SVETONIO *vit. Tiber. cap. II.* §. 7. LIVIO *lib. IV. cap.* 13. & 31. *lib. IX. cap.* 8. aliisque satis patet. A *dicendo* itaque *dictator* est adpellatus. *Magistrum populi* eum alias & nominatum fuisse, VARRO *de lat. lingu. lib. IV. cap.* 14. p. 15. *auctor. lat. lingu.* GOTHOFREDI: CICERO *de fin. lib. III. cap.* 21.

vel ab *edictis*, vt DIONYSIVS *Halicarnass. lib. V.* tradit. Synonyma dictatoris sunt: *magister populi* & *prætor maximus*; sed vtriusque nominis vsus rarus, dictatoris frequentissimus. SENECA *epistol. CVIII: quem nos dictatorem dicimus & in historiis ita nominari legimus apud antiquos, magister populi vocatus.* De altero nomine rariori consulatur LIVIVS *lib. VII. cap.* 3.

§. III.

Creatus autem fuit, vt ibidem LIVIVS tradit, tamquam moderator & magister, consulibus adpositus: & quamdiu is ipse imperaret, cessabat quodam modo consulare imperium, quum consules nomine tantum, non autem imperio adessent. Consules *dicebant*, ita loquuntur Romani, id est, eligebant dictatorem, & quidem noctis silentio, vt LIVIVS ait *lib. IV. cap.* 57. & *lib. IX. cap.* 38.

§. IV.

Et quia dictator erat pro vtroque consule, geminos etiam honores habebat, & insignia gemina, hoc est, viginti quatuor lictores, quum consulis tantum essent duodecim. d)

§. V.

21. SENECA *epist. CVIII. tom. II. oper.* p. 538. & GRONOVII, & FESTVS *de verb. signif.* p. 121. testantur.

d) Potestas dictatoris sane magna, immo regia fuit. Poterat enim de pace belloque agere, exercitus scribere, educere, dimittere, & omnia pro suo arbitrio gerere. Transferebatur totum duorum consulum munus in vnum dictatorem: omnes magistratus, præter tribunos plebis, munere suo se abdicabant, nec quicquam, nisi solum illius nomen, retinebant. Fruc-

§. V.

Quum iam Roma facta esset potentior, id est, post Punicum secundum bellum, & iam non in Italia, extra quam dictatorem cum exercitu ire, lege fuit vetitum; sed in longinquis regionibus bella gererentur, per centum & viginti annos cessavit hic magistratus vsque ad Sullæ tempora, qui seipsum dictatorem fecit, & quidem, quod contra leges

batur iure, in vitam & caput ciuium sine vlla prouocatione animaduertendi, & quidem vsque ad annum CCCIV. quo ab Horatio & Valerio consulibus de prouocatione lex lata est. Præferebantur ipsi quatuor & viginti fasces cum totidem securibus; ne vero summum hoc imperium in tyrannidem verteretur, caute prouidebant, ne istud sine vllis esset limitibus. Hinc potestas dictatoris semestris fuit, vt DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. V.* p. 331. & 334. ac DIO CASSIVS *lib. XXXV.* p. 16. testantur, &, vbi per sex mensium spatium negotium, cuius caussa dictator dictus fuerat, absolutum haud esset, necesse fuit, vt magistratu hoc sese abdicaret, nisi ob summa pericula grauissimæ adessent rationes, imperium eius ad tempus prorogandi: conf. LIVIVS *lib. VI. cap.* I. & PLVTARCHVS *vit. Camill.* p. 144. Præterea dictator sine maxima necessitate extra Italiam abire non debuit, quod DIO CASSIVS *lib. XXXV.* p. 16. aperte confirmat; nec licitum ipsi fuit, equum adscendere, nisi id præter ordinem honoris caussa a populo ei permittebatur, teste LIVIO *lib. XXIII. cap.* 14. Sacerdotes etiam, si Roma abesset, sacrificiorum caussa reuocare dictatorem potuisse, docet PLVTARCHVS *vit. Fab.* p. 176. Magistrum equitum ipse dicebat, quem & potuit in carcerem mittere & supplicio adficere, vt idem PLVTARCHVS habet; bis tamen contigit, vt dictatoris & magistri equitum auctoritas æquaretur: vid. PLVTARCHVM *vit. Anton.* p. 919.

ges erat, perpetuum: conf. VELLEIVS PATERCVLVS *lib. II. cap.* 28. Post Sullam ad secundum ciuile bellum nullus itidem dictator fuit, quo Cæsar, Sullæ exemplo, se ipsum dictatorem creauit. Atque hic vltimus fuit. Nam, Cæsare interfecto, abolitum decreto *dictaturæ* nomen est, vt hostis iudicaretur, qui in posterum dictatoris creandi mentionem fecerit. Videatur CICERO *orat. Philipp. I. cap.* 1. 2. & 13. e)

e) Quemadmodum in municipiis ea recepta fuit reipublicæ forma, quæ imago ac species Romanæ esset, hincque in iis loco senatus decurionum collegium, loco consulum duumuiri, & præterea ædiles, quæstores, censores, *quinquennales* dicti, flamines cet. fuerunt; ita & in iis dictatorem extitisse, CICERO *pro Milone cap.* X. testatur: adde HENR. NORISIVM *cenotaph. Pisan. diss. I. cap.* 3. IAC. SPONIVM *miscell. erud. antiqu.* p. CLXIV. & IO. GOTTL. HEINECCIVM *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr. part. I.* p. 391. De dictatore plura tradunt: IVST. LIPSIVS *de magistrat. Rom. cap. XVII.* FRANC. HOTTOMANNVS *de magistrat. Rom. tom. II. thes. ant. Rom. Græuiani* p. 1870. STEPH. PIGHIVS *annal.* p. 83. IO. OLEARIVS *diss. de dictatore:* IO. IAC. MVLLERVS *diss. III. de imperio dictatoris.*

A nostro auctore recensitis magistratibus addi debent varii, tam ordinarii, quam extraordinarii:

I. *Duumuiri capitales*, qui de perduellionis crimine iudicare debebant, secundum LIVIVM *lib. I. cap.* 26.

II. *Duumuiri nauales*, minores magistratus extraordinarii: qui creati sunt, vt classi instaurandæ ac reficiendæ præessent, vbi periculum Romano imminebat populo: vid. LIVIVS *lib. IX. cap.* 30. *lib. XL. cap.* 18. *lib. XLI. cap.* 1.

III. *Triumuiri nocturni*, qui itidem magistratus minores fuerunt. Habebant prouinciam, noctu excubias

Cap. XVII.

DE MAGISTRO EQVITVM.

§. I.

NVMQVAM fuit dictator sine magistro equitum, neque magister equitum sine dictatore, atque sic

bias faciendi atque incendia arcendi. Mentio eorum fit apud LIVIVM *lib. IX. cap.* 46.

IV. *Triumuiri agrarii;* siue *triumuiri coloniis diuidendis.* Hi extra ordinem creabantur, quando coloniæ deducendæ erant, vt agros diuiderent, locum vrbis ædificandæ adsignarent, legesque ac magistratus iis secundum optimæ reipublicæ formam darent: conf. LIVIVS *lib. III. cap.* 1. *lib. VIII. cap.* 16. *lib. XXXIX. cap.* 22.

V. *Triumuiri locorum publicorum reficiendorum*, de quibus ita scribit LIVIVS *lib. XXV. cap.* 7: *comitia deinde a prætore vrbano de senatus sententia plebisque scitu habita, quibus creati sunt triumuiri bini: vni sacris conquirendis donisque persignandis; alteri reficiendis ædibus Fortunæ & matris matutæ intra portam carmentalem; sed & spei extra portam, quæ priore anno consumtæ fuerant.*

VI. *Triumuiri monetales*, qui æri, argento auroque publice signando præfecti erant. In nummis non solum *triumuiri;* sed etiam *quatuoruiri* leguntur, vbi litteræ: III. VIR. A. A. A. F. F. significant: *tresviri æri, argento, auro, flando, feriundo, vt* EZECH. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 167. docet: adde SERTOR. VRSATVM *de not. Rom. tom. XI. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 766. & FRANC. HOTTOMANNVM *de magistrat. Rom. tom. III. memorat. thesaur.* p. 1890.

VII. *Triumuiri mensarii*, qui temporibus belli Punici secundi propter penuriam argenti, rogatione Minucii tribuni plebis, creati sunt, vt LIVIVS *lib. XXXIII. cap.* 21. refert.

VIII.

sic collegæ erant; sed impares potestate, quia magister equitum parebat dictatori. Dicebatur, seu

VIII. *Magistri curiarum*, qui curiis ita præfuerunt, vt, quod ad salutem atque emolumentum illarum pertinebat, sedulo administrarent. Distribuebant etiam pecuniam, quam imperatores, candidati aliique populo donauerant: lege FRID. TAVBMANNVM *not. ad Plaut. aulul.* p. 176. ADR. TVRNEBVM *lib. XXIV. aduersar. cap.* 23. p. 834. & IAN. GRVTERVM *tom. I. thes. crit.* p. 263.

IX. *Viocuri*; siue *viarum curatores*. Hi ea de causa constituti sunt, vt viarum reparandarum ac reficiendarum curam in se susciperent, quum ædiles propter alia negotia hoc munere amplius perfungi non possent. Hi viocuri cum vicomagistris, sub Augusto primum, vt SVETONIVS *eius vit. cap. XXX.* §. 1. & DIO *lib. LIV.* p. 554. referunt, creatis, non confundendi sunt: conf. ADR. TVRNEBVM *lib. XXII. adversar. cap.* 17. p. 726. BARN. BRISSONIVM *select. ex iur. ciuil. antiquit. lib. IV. cap.* 12. PETR. BVRMANNVM *de vectigal. cap. XII.* p. 207.

X. *Prodictator*, qui nonnunquam, absente consule, factus est, vt LIVIVS *lib. XXII. cap.* 8. testatur.

XI. *Præfectus annonæ*, de quo obseruandum est, eum itidem extraordinarium magistratum fuisse. Quando enim vrbs fame premebatur, creari ille solebat, vt frumentum ex prouinciis & vicinis gentibus aduehendum curaret. Maiore potestate postea dignitas hæc in Pompeium, vt CICERO *lib. IV. epist. I. ad Atticum* scribit, collata est, post quem annonæ curam Augustus suscepit, qui singulis annis binos constituit, iisque munus, frumentum populo distribuendi, commisit, vt DIO CASSIVS *lib. LIV.* p. 521. narrat.

XII. *Præfectus vrbi*, quem etiam sub libera republica fuisse constat. Quum enim consules Roma abirent, creati sunt *vrbi præfecti*, ne vrbs sine imperio ac

eligebatur magister equitum a dictatore, eique imperium equestris militiæ datum, quia vtrumque ex-

magistratu relinqueretur: vid. TACITVS *lib. VI. annal. cap.* 2.

XIII. *Quinqueuiri mensarii*, qui idem fere munus cum *triumuiris mensariis* habuisse videntur. LIVIO enim teste *lib. VII. cap.* 21. eo fine P. Valerio & Martio II. consulibus creati sunt, vt populus ex alieno ære liberaretur.

XIV. *Quinqueuiri muris & turribus reficiendis* anno vrbis DXL. creati, conf. LIVIVM *lib. XXV. cap.* 7.

XV. *Quinqueuiri vigilum.* Erant illi, qui vigilias curare debebant. Adiuuabant triumuiros capitales, ita vt cis Tiberim quisque eorum regionis singularis ædificiis præesset: nocturnos cœtus disturbaret, & incendia auerteret, quemadmodum LIVIVS *lib. XXXIX. cap.* 14. testatur. Multos eiusmodi minores magistratus breuitatis caussa silentio prætereo.

His adiungi debent ministri magistratuum, quo spectant:

I. *Scribæ*, quorum munus fuit, vt rationes publicas in tabellas; leges & acta in commentarios referrent: conf. LIVIVS *lib. X. cap.* 46. A. GELLIVS *lib. VI. cap.* 9. NEPOS *vit. Eumen. cap. I.* §. 5. & CICERO *orat. Verrin. III. cap.* 79. ex quibus posterioribus duobus locis, vbi inter se comparantur, facile constat, ordinem hunc primis temporibus non valde honorificum, postea vero maiore dignitate præditum fuisse. Immo succedente tempore adeo æstimatus is est, vt & in decurias descriptus fuerit, quarum non solum CICERO, sed etiam SVETONIVS *vit. Claud. cap. I.* §. 6. mentionem faciunt. Nomina a magistratibus, quibus ministrabant, acceperunt. Sic *scribæ ædilicii*, *prætorii*, *quæstorii*, *quindecimuirales* commemorantur passim in inscriptionibus. *Scriba naualis*, qui in naui seruiebat, inter omnes ceteros scribas infimum occupauit locum;

id

exercitum pedestrem & equestrem vnus dictator non poterat regere. Dictator autem ducebat exercitum maiorem, id est, pedestrem.

id quod luculenter ex PLAVTI *fragmentis* p. 1482. ed. TAVBMANNI patet. Scribas etiam nauales fuisse, qui toti classi præficerentur, docet inscriptio apud GRVTERVM p. DLXIV. *num.* 7.

II. *Lictores*, de quibus iam supra egi.

III. *Præcones*, qui non solum sacerdotibus, sed etiam magistratibus seruiebant, & ea, quæ populo significanda erant, publice exclamabant. Adhibitos eos fuisse in auctionibus, comitiis, funeribus, iudiciis, ludis, rebus amissis, suppliciis ac concionibus, ex HORATIO *art. poet.* v. 419. CICERONE *orat. Verr. V. cap.* 15. AVL. GELLIO *lib. XII. cap.* 8. FESTO voc. *quiris:* SVETONIO *vit. Tiber. cap. II.* §. 9. *vit. Claud. cap. XXI.* §. 1. PLAVTO *mercat. act. III. scen.* 4. v. 78. & LAMPRIDIO *vit. Alex. Seueri cap. LI.* patet, quibus BARNAB. BRISSONIVS *de formul. lib. I.* p. 134. *lib. V.* p. 470. & *lib. VI.* p. 509. IAC. GVTHERIVS *de iur. man. lib. I. cap.* 18. & *interpretes Iul. Pollucis onomast. lib. IV. segm.* 91. iungendi sunt.

IV. *Accensi*, qui Quirites ad concionem conuocare, antequam horologia introducta fuerunt, horam tertiam, meridiem & horam nonam publice exclamare: consulibus, qui fasces non habebant, ac prætoribus, decurionibus & centurionibus præire & nonnunquam scribarum officio fungi solebant: vid. CICERONEM *de legib. lib. II. cap.* 24. SVETONIVM *vit. Cæs. cap. XX.* PLINIVM *lib. VII. cap.* 60. & adde ONVPHR. PANVINIVM *de ciuit. Rom. cap. LXVI.* CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. ciuil. Rom. lib. II. cap.* 15. IVST. LIPSIVM *lib. I. elect. cap.* 23. & CLAVD. SALMASIVM *de re milit. cap. XIV.*

V. *Statores*, qui non solum magistratuum iussa exse-

§. II.

Quum dictator se magistratu abdicaret, cessabat etiam imperium magistri equitum, vid. EVTROPIVS *lib. I. cap.* II. Semel æquatus magister equitum potestate dictatori bello Punico secundo; sed infeliciter, vti est apud LIVIVM *lib. XXII. cap.* 27. *& seqq.* & SILIVM *lib. VII. v.* 515. *seqq.*

§. III.

Hæc de dictatore, proprie dicto, eiusque magistro

sequebantur, & ad alios perferendarum litterarum caussa mittebantur, sed etiam custodiæ reorum præfecti erant; quam in rem IAC. GOTHOFREDVM *ad Cod. Theodos. leg. I. de custod. reor.* & CLAVD. SALMASIVM *not. ad script. hist. August. tom. I.* p. 461. consulas.

VI. *Commentariensis*, qui carceribus præerant: carceri inclusos catenis vinciebant: inopibus vinctis iussu magistratus alimenta præbebant: numerum custodiarum earumque diuersitatem in commentarios referebant, eosque tricesimo quoque die præfecto aut iudici &, post extinctam reipublicæ libertatem, imperatori tradebant, ne rei in iusto longioribus vinculis detinerentur: conf. BARNAB. BRISSONIVM *de formul.* p. 473. ANTON. BOMBARDINVM *de carcere cap. XX.* p. 180. GVID. PANCIROLLVM *not. imper. orient. cap. XIII.* & IAC. GVTHERIVM *de offic. domus August. lib. II. cap.* 13. Commentariensium fit quoque mentio *Actor. XVI*, 23.

VII. *Optiones*, qui commentariensis quidem ministri per ordinem erant; sæpe tamen ipsi commentariensium munere fungebantur, vt varia testantur veterum loca, de quibus GVIL. BVDÆVM *pandect.* p. 271. ANT. BOMBARDINVM *lib. excit. cap. X.* p. 76. THOM. REINESIVM *ad inscript. classs. I. num.* 3. p. 12. adeas. Reliquorum ministrorum breuitatis caussa non mentionem facio.

Landesbibliothek Oldenburg

gistro equitum. Præterea etiam dictatores nonnunquam creati sunt ob alias causas, quam bellorum pericula; vt dissensiones, quæ in magnum malum poterant erumpere, dirimerent, vel aliud salutare populo deciderent. Sic dictator creatus legitur comitiorum causa apud LIVIVM *lib. VIII. cap.* 23. Item clavi figendi gratia, atque ad sedandam pestilentiam; vid. LIVIVM *lib. VII. cap.* 3. Etiam in aliis periculis, vt secessiones plebis erant, clauum ab dictatore fixum fuisse, proditum est, vid. LIVIVM *lib. VIII. cap.* 18. etiam feriarum constituendarum causa, vt est apud LIVIVM *lib. VII. cap.* 28.

§. IV.

In municipiis etiam nonnullis summus magistratus *dictator* dicebatur, qualis Lanuuii erat Titus Annius Milo; de qua re CICERO *orat. pro Milone cap. X.* Ita solenne Miloni erat Lanuuium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuii Milo: adde notas nostras.

SECT. II.

DE MAGISTRATIBVS NOVIS SVB CÆSARIBVS.

CAP. I.

DE NOVIS MAGISTRATIBVS GENERATIM.

MVTATA republica per cæsares, de quibus SVETONIVS *vit. Augusti cap. XXXVII: quo plures partem administrandæ reipublicæ caperent, noua officia excogitauit: curam operum publicorum,*

viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam vrbis, triumuiratum legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum. Nec tamen SVETONIVS omnes enarrauit, quia *præfecturam prætorii, præfecturas classium*, Misenæ & Rauennatis, ac *præfecturam ærarii militaris* omisit.

CAP. II.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO.

§. I.

PRÆFECTVS prætorio prætorianos milites, qui corpori tuendo cæsaris Romæ excubabant magno numero, regebat, & curam simul supremam gerebat captiuorum, qui per milites custodiebantur. f) Mæcenatis consilio hæc præfectura constituta fuit tuendo principi, vt apud DIONEM est *lib. LII.*

§. II.

Initio duo constituti sunt præfecti, pari potestate, qui alternis vicibus officium suum facerent. Duo autem erant, vt, si vnus principi infidus foret, se is altero tueri posset. Hinc est, quod præfecto prætorii gladius datus a principe, quo is defenderet principem; aut, si is malus foret, obtruncaret. Traianus apud PLINIVM *panegyr. cap. LXVII.* etiam præfecti manum armauit, & xi-

f) Intelligenda hæc sunt de iis, quos cæsares in custodiam dabant. Præfuisse enim illos captiuis, non solum ex TACITO *lib. VI. annal. cap.* 23. §. 4. PLINIO *lib. X. epist.* 65. §. 2. & inprimis IOSEPHO *lib. XVIII. ant. iudaic. cap.* 8. sed etiam ex Paulli exemplo *Act. XXVIII*, 16. liquet.

XIPHILINVS in *hoc principe* dixisse ait, principem, quum præfectum constitueret, gladio porrecto: *hoc pro me vtaris, si bene imperauero; sin secus, contra me.* Præerat etiam satellitio, seu corporis custodibus, g) & initio potentia eorum modica erat & militaris tantum, non vltra prætoriana castra se extendens, in quo munere etiam erat cura vinctorum & captiuorum, vti ex *Actis Apost. cap. vlt. v.* 16. apparet, & PLINIO *lib. X. epist.* 65.

§. III.

Numerus, vt dictum, ab Augusto institutus binarius: aliquando vnus tantum fuit: sub quibusdam principibus tres. Constantinus fecit quatuor, & secundum illas quatuor præfecturas imperium Romanum distribuit, de quare ZOSIMVS *lib. II. cap.* 32. 33.

§. IV.

Potestas initio non maxima erat, postea in tantum excreuit, vt secunda esset a principatu, vt ZOSIMVS ibidem loquitur. h) De præfectis prætorio

g) Imperatores semper comites habebant præfectos istos. Quum enim plerique post Augustum cæsares tyranni essent, securitas eorum vnice in militum prætorianorum fide, apud quos præfecti plurimum valebant, erat posita. Vnde factum est, vt præfecti hi semper cum prætoriis cohortibus imperatori adessent eumque tuerentur.

h) Habuerunt potestatem promulgandi edicta: præsidibus prouinciarum, quibus præfecti erant, imperandi: iussu principis tributa cogendi, & vectigalia, portoria ac reliquas res magni momenti administrandi; quemadmodum ex *leg.* 2. 3. seq. *cod. de offic. præf. prætor. orient. & Illyr.* patet: adde IAC. PERIZONIVM *diss. I. de prætor.* §. 37. *diss. II.* §. 43. IAC. GVTHERIVM

torio vide EVTROPIVM *lib. VII. cap.* 15. *lib. VIII. cap.* 1. *lib. IX. cap.* 14.

CAP. III.

DE PRÆFECTO VRBI.

§. I.

VETVS nomen, ſed ſub quo Auguſtus nouum magiſtratum eumque ampliſſimum induxit. Nam ſub regibus etiam, quando hi aberant belli cauſſa, & in libera republica feriarum Latinarum tempore, quo omnes magiſtratus in monte Albano ſacra faciebant, vices ordinarii magiſtratus præfectus vrbis gerebat. Auguſtus autem ſummum magiſtratum conſtituit, cuius munia ſatis ampla in *lib. I. digeſt. tit.* 12. deſcribuntur. i) §. II.

RIVM *de offic. dom. Aug. lib. II. cap.* 1. ſeq. IVL. CÆSAR. BVLENGERVM *de imper. Rom. lib. III. cap.* 2. ISAAC. CASAVBONVM & LÆVIN. TORRENTIVM *not. ad* SVETONIVM p. 185. 618. & 700. ed. GRÆVII: IO. HEINR. BOECLERVM *not. ad Herodian. lib. I. cap. IX.* p. 374. & RITTERVM *diſſert. de præfectura prætorii.*

i) Ad munus præfecti vrbi pertinebat, vt ius diceret, præſertim inter dominos, ſeruos, libertos & patronos: vt de criminibus tutorum ac curatorum cognoſceret: fraudibus nummulariorum obuiam iret: carnis curam gereret ac quietem in populo ſtabilem redderet: vide GVIDON. PANCIROLLVM *notit. dignit. imperii occident. cap. III.* FRANC. HOTTOMANNVM *de magiſtrat. Rom. lib. I. tom.* 2. *theſ. ant. Rom.* GRÆVII p. 1872. IOH. GEORG. GRÆVIVM *not. ad Suetonium* p. 185. & FELICEM CONTELORIVM *libr. de præfecto vrbis*, qui ſeriem præfectorum vrbis vsque ad ann. MDCXXX. exhibet. Non ſolum ſeparatim hic liber

§. II.

Differentiam præfecti vrbi priscis temporibus & sub cæsaribus explanat TACITVS *lib. VI. cap.* 11. Tantus scilicet erat præfectus vrbi, & sub primis cæsaribus maior præfecto prætorio, vt ex illo etiam imperator factus fuerit, quod EVTROPIVS exemplo Pertinacis probat *lib. VIII. cap.* 8.

CAP. IV.

DE PRÆFECTVRA ÆRARII MILITARIS.

§. I.

HÆC etiam Augusto auctori tribuitur a DIONE *lib. LV.* & SVETONIO *vit. Aug. cap. XLIX. ut perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos* milites *prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis instituit.* k)

§. II.

Noua hæc vectigalia erant *centesimæ rerum venalium*, vt ex TACITO *lib. I. annal. cap.* 78. adparet; item: *vicesimæ ex hereditatibus non propinquorum.* PLINIVS *lib. VII. ep.* 14. huius vectigalis mentionem fecit, quum dixit, *a publicanis partem vicesimam emisse Corelliam.* Nam publicani in prouinciis exigebant.

§. III.

liber Romæ MDCXXXI. prodiit; sed etiam *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* iterum typis descriptus est.

k) Fiebat hoc anno vrbis conditæ DCCLVIII. M. Aemilio & L. Arantio consulibus, vt STEPH. VINAND. PIGHIVS *annal.* p. 153. docet.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Postea *procuratores vicesimarum* 1) constituti sunt, etiam *promagistri*, vt notis nostris ad PLINIVM *indicato loco* demonstratum fuit. Alia forsan etiam noua vectigalia; sed eiusdem leuitatis, adiecisse Augustum, non dubium est.

CAP. V.

DE PRÆFECTO ÆRARIO.

§. I.

COMMVNE ærarium, m) distinctum a militari, etiam mutationem sensit sub cæsaribus. Quod

1) Eorum sæpe in inscriptionibus fit mentio, vt patet ex GRVTERO *inscript.* p. CCCLXXXIX. *num.* 7. p. CCCCXL. *num.* 1. p. CCCCXXXVII. *num.* 7. cui GVID. PANCIROLLVS *not. dignit. imper. orient. cap. LXXV. adiungendus est.*

m) Ærarium locus publicus in æde Saturni fuit, in quem veteres Romani æs publicum, anteaquam aurum atque argentum signatum introductum fuit, deferre solebant. Seruabantur ibi omnia promulgata, elephantini aliique libri publicarum rationum, signa militaria, leges in æs incisæ, senatus consulta, ac pecuniarum summæ, quas respublica acceperat. Semper opibus immensis ærarium hoc repletum fuit, & raro tempus extitit, quo respublica pecuniæ inopia laborauit, præsertim, quoniam semper aderant, qui ei omni modo succurrerent. Nonnunquam tamen & rempublicam opibus destitutam fuisse, patet ex iis, quæ ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Theophrast.* p. 335. tradit. Sequenti tempore ærario huic nouum additum, & *ærarium sanctius* adpellatum fuit, quum vetustum non amplius opes & tabulas publicas capere posset. In eo potissimum

Quod enim antea a quæstoribus administrabatur, Nero transtulit ad præfectos ærarii. GELLIVS *lib. XIII. cap.* 24 : *cura ærarii a quæstoribus ad præfectos ærarii translata est.* Sub Nerone id contigisse, ex TACITO non obscurum est.

§. II.

Dicebantur hi *præfecti ærario Saturni*, quia in Saturni templo adseruatio facta. PLINIVS *lib. V. ep.*

mum aurum vicesimarum, quod ad vltimos reipublicæ casus seruari solebat, ponebatur. In prouinciis itidem æraria minora extitisse, docet lapis apud IAN. GRVTERVM *p. XLII. num.* 12. In administratione ærarii curam gesserunt consules, a quibus quæstores prouinciam hanc acceperunt, hocque vsque ad annum DCCIX. durauit, quo quum absente Iulio Cæsare nulli crearentur quæstores, munus hoc ad ædiles per septem & decem fere annos translatum fuit. Augustus postea prætoribus; Claudius vero quæstoribus, & post hunc Nero viris, prætura perfunctis, hoc negotium commisit. Vespasiani tempore prætores ærario præerant; Domitiani vero & Traiani ætate quæstorum nomen penitus abrogabatur, & ii, quorum fidei ærarium traditum erat, *præfecti ærario* adpellabantur : conf. HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 457. 709. seq. De pecunia, quam respublica ex proscriptionibus accepit, interpretes *Suetonii* p. 466. *edit. Græuii* & de illis opibus, quæ ope euocationis ab ærario collectæ sunt, ANSALDVS *de euocat. deor. cap. V.* exponunt. De reditibus, ærario, fisco & vectigalibus populi Romani edisserunt : ONVPHR. PANVINIVS *in imper. Rom. cap. XXII. tom. I. thes. ant. Rom.* GRÆVII p. 441. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de tributis & vectigal. pop. Rom.* CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVS *obseruat. de ærario*, quæ in *Græuiano syntagm. variar. dissert.* p. 632. exstant : PETR. BVRMANNVS *de vectigal. pop. Rom.* aliique.

Landesbibliothek Oldenburg

ep. 15. de Cornuto Tertullo: *mihi collega in præfectura ærarii fuit*, & *lib. X. ep.* 20. ad Traianum *me indulgentia vestra promouit ad præfecturam ærarii Saturni*, & *panegyr. cap. XCI.* vocat *officium laboriosissimum*, de cuius molestia conquestus fuerat *lib. I. ep.* 10. §. 9.

Cap. VI.

DE DIFFERENTIA ÆRARII ET FISCI.

§. I.

In libera republica vnum erat ærarium totius reipublicæ. Sub cæsaribus, quum mutata esset forma, nouo ærario opus erat, vnde sumtus ad principis formandam dignitatem necessarii depromerentur. Hoc vero non ærarium, sed discriminis caussa *fiscum* adpellabant, vt ærarium esset populi, fiscus principis: vnde *confiscare*, *in fiscum redigere* postmodum dicebatur, vt exempla sunt apud SVETONIVM *vit. Caligul. cap. XLI.* & FLORVM *lib. III. cap.* 9.

§. II.

Discrimen autem inter ærarium & fiscum, quorum illud populi, hic principis erat, clarissime probatur ex PLINIO *panegyr. cap. XXXVI; non eadem*, inquit, *seueritate fiscum, qua ærarium, cohibes: imo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis.*

§. III.

TACITVS quoque *lib. VI. cap.* 2. id aperte docet; *bona*, inquit, *Seiani ablata ærario, vt in fiscum co-*

cogerentur : adde *annal. lib. II. cap.* 47. & PLINIVM *paneg. cap. XLII.*

CAP. VII.

DE CVRATORIBVS VIARVM.

AVGVSTI cæsaris & hoc institutum fuit, n) vt supra ex SVETONIO ostendimus, vt viæ Æmiliæ apud PLINIVM *lib. V. ep.* 15. sub init. *Nuntiatum mihi est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam.* Sic & Flaminiæ & aliarum viarum curatores sæpe memorantur in *inscriptionibus.* Eorum hoc munus erat, vt viæ, lapidibus stratæ, per Italiam conseruarentur.

CAP. VIII.

DE CVRATORE ALVEI TIBERINI.

CVRATOR aluei Tiberini o) itidem ab Augusto institutus fuit, vt ripæ semper munitæ essent; nec

n) Antea enim ædilibus viarum publicarum cura credita & commissa fuit; postquam vero ob alia negotia muneri suo, vt eos decebat, satisfacere haud potuerunt, ex senatus consulto *quatuoruiri viarum reparandarum* creati sunt, &, quoniam & hi ob viarum tam amplitudinem, quam multitudinem, prouinciam demandatam rite administrare non poterant, sæpe singulares certis viis reparandis constituti sunt curatores, idque iam ante Augustum, qui demum, vt SVETONIVS *eius vit. cap. XXXVII.* testatur, magistratum hunc ordinarium fecit : conf. GVID. PANCIROLLVM *de magistr. municip. cap. XIX.* & NIC. BERGIERIVM *de viis militar. lib. I. sect.* 5. §. 4.

o) *Curatores aluei & riparum Tiberis*, qui non solum *Cellar. Antiauit.*

nec fluuius vel vrbem, vel agros & campos, exundationibus, quod sæpe acciderat, vastaret. Inscriptiones, quæ PLINII *epistolis* præfiguntur, testantur hodieque, Plinium iuniorem aluei Tiberini & riparum curatorem fuisse.

CAP. IX.

DE LEGATO CONSVLARI, SIVE PRINCIPIS.

§. I.

SVB libera republica in prouincias mittebantur proconsules aut prætores; p) id sub cæsaribus

fluuium coercere, eumque purum seruare, sed etiam terminos statuere debebant, quousque habitare in ripa & ædificia ponere liceret, ab Augusto quidem instituti leguntur; nihilominus iam ante eum ipsum munus exstitisse, docet inscriptio apud GEORG. FABRICIVM *descript. vrb. Rom. cap. XVII.* p. 193. quæ ex senatus consulto terminos positos esse confirmat. Satis æstimatum hoc munus fuisse, ex aliis honorificis officiis, quibus hi curatores præfecti erant, patet; qua de re GRVTERVM *inscript.* p. CCCLXXXI. *num.* 2. & 3. p. CCCXXXI. *num.* 4. p. CCCCLIV. *num.* 3. & 5. p. CCCCXLIII. *num.* 1. p. CCCCXVIII. *num.* 5. p. MXXVIII. *num.* 5. consulas.

p) Duo magistratus sub libera republica in prouincias mitti solebant, prætores videlicet, ac quæstores; quoniam vero illorum loco nonnunquam consules ob imminentia bella mittebantur, factum est, vt aliæ prouinciæ *consulares*, aliæ *prætoriæ* dicerentur. Quando imperium vltra definitum tempus ipsis prorogabatur, illi, consules videlicet, *proconsules;* hi vero, scilicet prætores, *proprætores* solebant adpellari: vide LIVIVM *lib.*

VIII

bus pro mutatione prouinciarum etiam est mutatum. Augustus enim, vt apud STRABONEM est *lib. XVII. in fin.* diuisit prouincias ita, vt pacatas populo relinqueret, præsidiis armatas vero sibi re-

 ser-

VIII. cap. 22. & 26. *lib. XXIX. cap.* 13. *lib. XLV. cap.* 17. His magistratibus prouincialibus imperium populus dabat; prouincias vero ipsas senatus ita decernebat, vt in tumultuarias consules, in pacificas vero prætores mitterentur. Senatus porro iuris in prouinciam mandata dabat, quantam pecuniam & quantum exercitum sint habituri, & quæ huius-generis reliqua erant. Sub imperatoribus postea prouinciarum, vt totius reipublicæ, facies immutata est. Diuisit enim Augustus cum senatu prouincias, & quos senatus in eas mittebat, ii *proconsules;* quos vero Augustus, ii *præsides, legati cæsarum, præfecti augustales* cet. nominabantur. Cæsaris præsides non solum iurisdictionem, sed etiam imperium militare habebant; hoc vero Augustus senatus proconsulibus ademit, nisi ex necessitate nonnunquam fieret, vt legionibus præficerentur. In prouinciis eodem modo ac Romæ ius dicebatur. Iis enim, qui tam sub libera republica, quam sub imperatoribus istas gubernabant, omnis in vniuersum prouinciæ administratio credita fuit, ita vt non solum quæstiones de criminibus instituere, sed etiam gladii iure vti potuerint. In comitatu præsidum præter centuriones, præfectos, decuriones, scribas, accensos, præcones, lictores, tabellarios, aruspices, cubicularios, medicos cet. legati quoque & tribuni militum fuerunt: illi, vt præsidum in omni prouinciali ac bellico negotio adiutores essent; hi vero, vt legionibus præficerentur, ac vrbes, in quas a præsidibus mittebantur, non solum tuerentur, sed etiam nonnunquam eorum vices gererent: seditiones supprimerent: causas, vt ex *Act. XXIII*, 23. patet, cognoscerent: iisque cognitis, ad præsidem omnia per litteras deferrent, qui tum sententiam dicebat, id quod per se tribuni facere haud potuerunt,

Landesbibliothek Oldenburg

seruaret. Illæ dicebantur *prouinciæ populi*; hæ *prouinciæ cæsaris*, siue principis. In prouinciis populi nihil fuit mutatum circa gubernatores: omnino autem in prouinciis cæsaris. Nam, qui his præerant, neque proconsules, neque prætores dicebantur; sed *legati cæsaris*, siue *legati consulares*, quibus & ciuilis administratio prouinciæ & imperium in exercitum eiusdem prouinciæ commendata erant.

§. II.

Ab his distinguendi sunt *legati legionis*, siue prætorii, qui etiam in libera republica fuerant, vnicuique præsidi, qui missus cum imperio fuerat, regendi exercitus caussa, additi; aut quacumque in re opus erat, vbi præses ipse non poterat adesse. SVETONIVS *vit. Vesp. cap. IV.* hanc distinctionem clare docet: *legatus legionis*, inquit, *in Germaniam missus est: in Britanniam*, manens legatus legionis, *translatus tricies cum hoste conflixit: insulam Vectem in deditionem redegit: partim Auli Plautii consularis legati; partim Claudii ipsius ductu.* PLINIVS *lib. VI. ep.* 31: *Maritus legato consulari; ille cæsari scripserat;* & *lib. VII. ep.* 31: *præerat alæ militari. Ego iussus a legato consulari rationem alarum & cohortium excutere.* TACITVS *in Agricola cap. VII: legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa*, legio, *erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo, an militum ingenio.*

CAP.

Cap. X.

DE PROCVRATORIBVS CÆSARIS.

§. I.

Qvi in libera republica vocabantur *quæstores* prouinciarum, in prouinciis cæsarum postmodum dicti sunt *procuratores*, & *procuratores cæsarum*, quorum munus erat, reditus colligere & in fiscum principis inferre.

§. II.

In minoribus etiam prouinciis, quæ sumtum legati proconsularis non videbantur ferre posse; iurisdictio quoque procuratori simul committebatur, q) cuius rei exemplum in Pilato habemus apud TACITVM *lib. XV. cap.* 44. §. 4. *Auctor*, inquit, *nominis*, christianorum, *Christus*, *qui*, *Tiberio imperante*, *per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat.* Vnde in legibus Romanis distinguitur inter procuratorem, qui vice præsidis

 fun-

q) In prouincias etiam *procuratores* mittebantur; de quibus sciendum est, eos quidem merum imperium proprie non habuisse, sed fisci curam gessisse; nihilominus nonnunquam factum fuisse, vt etiam præsidum munere fungerentur, retento *procuratorum* nomine, id quod in minoribus potissimum prouinciis fieri solebat. Eiusmodi procuratores Iudæa semper habuit, qui etiam ob præsidialem, qua fruebantur, potestatem, ἐπιτρόποι adpellati sunt. De his procuratoribus, præsidis potestatem habentibus, vide CORNELIVM VAN BYNCKERSHOECK *obs. iur.* p. 189. seq. IVST. LIPSIVM *excurs. in Tacit.* p. 202. seq. IAC. CVIACIVM *obs. iur. lib. XIX. cap.* 13. SAL. DEYLINGIVM *obs. sacr. part. II. obs.* 34. p. 435. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartian. vit. Adrian. cap. XII.* aliosque multos.

Landesbibliothek Oldenburg

fungitur, & qui non fungitur: vid. *cod. leg. II. de pœnis & leg. III. vbi causſa fiſcalis.*

§. III.

Posteriori æuo procuratores hi *rationales* dicebantur a rationibus pecuniarum, cuius rei exemplum habemus apud EVTROPIVM *lib. IX. cap. 9.*

CAP. XI.

DE QVÆSTORIBVS PRINCIPIS, SIVE CÆSARIS. r)

QVAMQVAM cæsares in prouinciis suis nullos habebant quæstores; sed qui eo munere fungebantur, vel *procuratores* dicebant, vel *rationales*; tamen in vrbe & palatio erant etiam, qui dicebantur *quæstores principis* siue *cæsaris*, item *candidati principis*: conf. *leg. digest. de officio quæst.* vbi munus illorum describitur, *libris principalibus*, in senatu legendis, vacare. Exempla apud TACITVM sunt *lib. XVI. cap. 27: oratio principis per quæstorem eius audita est.* Et apud SVETONIVM *vit. Aug. cap. LXV: libello per quæstorem recitato notum senatui fecit.* Et *vit. Neron. cap. XV: orationes, ad senatum missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat.* Adde PLINIVM *lib. VII. ep. 16.* vbi plurium quæstorum huius generis fit mentio, quem ex iam dictis intelliges.

CAP.

r) De his iam supra quædam memoraui.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. XII.

DE PRÆFECTO CLASSIS VTRIVSQVE. s)

Avgvstvs cæsar, vt Italiæ prospiceret securitati, duas classes maribus perpetuas imposuit, quarum altera supero, siue Adriatico mari excubaret, cuius sedes erat portus Rauennensis: altera infero mari, seu Tyrrheno, cuius sedes esset circa Misenam, Campaniæ oppidum. Hinc duo præfecti etiam constituti: alter classis Rauennatis, alter Misenensis, t) quo munere Plinius

s) Ante Augustum sub libera republica iam exstiterunt, qui classibus præessent. Anno enim vrbis CCCCXCIII. Cornelius Scipio classi, contra Carthaginienses mittendæ, præfectus fuit, atque, vt livivs *lib. XXVI. cap.* 42. testatur, idem munus C. Lælius, qui sub P. Scipionis auspiciis militabat, administrauit. Pompeius, cui a senatu populoque cuncta maria commissa sunt, primus esse videtur, qui nomen hoc præ cæteris sibi vindicauit.

t) In locis his classes istæ duæ ea de caussa constitutæ sunt, ne longius ab vrbe abessent, &, vbi necessitas postulabat, sine mora ad omnes fere mundi partes peruenire possent. Misenatium enim classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Asiam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam in proximo habebat; classis contra Rauennatium ita collocata fuit, vt Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum sine multis ambagibus petere posset. Refert hæc vegetivs *lib. IV. cap.* 32. & quando eodem loco tradit, apud Misenam & Rauennam singulas legiones cum classibus stetisse, id pro more sui æui dicit, quum non legiones, sed duntaxat cohortes, eæque decem fuerunt, quæ tribunos & centuriones suos haberent. Ad classes has rite

maior fungebatur, quum Vesuuii exhalationibus suffocaretur, vt sororis filius *lib. VI. ep.* 16. adnotauit.

rite disponendas ac collocandas, *stationes* ac *portus* constituebantur, additis turribus & lucernis, tempore nocturno accensis. De illis DIO CASSIVS *lib. XLVIII.* p. 388. loquitur, quando, *in hoc lacu*, inquit, *ambobus aliis interiecto, cuius aditus angusti tunc erant, id interstitium, quo Lucrinus a mari dirimitur, vtrimque propter ipsam continentem, perfodit effecitque portus nauium stationi aptissimos.* De his, siue de turribus PLINIVM testem habemus, qui *lib. XXXVI. cap.* 12. scribit: *vsus phari, nocturno nauium cursui ignes ostendere, ad pronuntianda vada portusue introitum, sicuti compluribus iam locis flagrant, vt Puteolis & Rauennæ.* De Misenatium classe & VIRGILIVS *lib. VI. Æneid.* v. 233. canit:

Imponit suaque arma viro remumque tubamque.

Classis hæc, pariter ac altera *Rauennatium*, *prætoria* dicta est a veteribus, non quod prætor iis præfectus fuerit, sed quoniam ad tutelam principis totiusque Italiæ ab Augusto vtraque instructa erat. Ab his duabus classibus maioribus distinctæ erant duæ minores, quarum altera in Gallia & quidem portu Foroiulienſi, ad tuendam Galliam & finitimam Hispaniæ oram, ab Augusto, vt TACITVS *lib. IV. annal. cap.* 5. §. 1. tradit, instituta; altera vero, teste eodem scriptore, *lib. III. hist. cap.* 47. in Ponto collocata fuit. SVETONIVS *vit. Vespasian. cap. VIII. classis Ostiensis* quidem meminit; ea vero non singularis classis, sed pars Misenensis fuisse videtur. Præter quatuor has classes, quæ in mari fuerunt, Romanos etiam tres alias, primam in Rheno, secundam in Danubio, tertiam in Euphrate habuisse; IVST. LIPSIVS *de magnit. Rom. lib. I. cap.* 5. p. 682. seq. ostendit, vbi ea, quæ hic breuiter de Romanorum classibus tradidi, fuse enarrantur, cui IO. SCHEFFERVM *de milit. naual. lib. III. cap.* 7. adiungas.

Landesbibliothek Oldenburg

tauit. *Erat*, inquit, *Miseni classemque imperio præsens regebat.* SVETONIVS *vit. Aug. cap. XLIX: classem Miseni & alteram Rauennæ ad tutelam superi & inferi maris collocauit.* TACITVS vtriusque sæpe mentionem fecit *lib. II. hist. cap.* 100. §. 5: *Lucilius Bassus Rauennati simul & Misenensi classibus a Vitellio præpositus; lib. III. cap.* 50: *classici Rauennates;* idem *annal. lib. XIV. cap.* 3. §. 4: *Anicetus classis apud Misenum præfectus;* & *lib. XV. cap.* 51: *primores classiariorum Misenensium.*

SECT. III.

DE MAGISTRATIBVS POSTERIORIS ÆVI.

§. I.

MVTANTVR magistratus cum tempore, & alia cum nomina tum officia sortiuntur. Tertio christianorum seculo, qui supremæ iurisdictioni in aula cæsaris præerat, dictus est *magister scriniorum*, u) qui ferme erat, qui nostri temporis

u) Cæsares quatuor habuerunt scrinia, in quibus acta, ad ius pertinentia, reponebantur, *epistolarum* videlicet, *memoriæ*, *libellorum* & *dispositionum*. His singulis præerant singuli magistri; is autem, qui *magister scriniorum* vocabatur, supremam super omnia scrinia habebat curam. Incertum est, quis imperatorum primus eos instituerit. SPARTIANVS *vit. Æl. Ver. cap. IV.* eorum primam fecit mentionem; qua de re CLAVD. SALMASIVS *not. in Lamprid. vit. Alex. Seueri, cap. XXXI.* IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. August. lib. I. cap.* 15. GVID. PANCIROLLVS *comm. ad notit. dignit.*

cancellarius: cuius honoris exemplum in Vlpiano habemus apud EVTROPIVM *lib. VIII. cap.* 14. §. 3. Erant autem plura scrinia, seu, vt nunc vocantur, *cancellariæ*: epistolarum, memoriæ, libellorum, dispositionum, de quibus videas, quæ SALMASIVS *ad Lampridii Alexandrum Seuerum cap. XXXI.* & nos ex ipso ad *Sextum Rufum cap. XXII.* notauimus. x)

§. II.

gnit. imper. orient. cap. XCIV. tom. VII. thes. ant. Rom. GRÆVII, p. 1579. euoluendi sunt.

x) Vt modo indicaui, sub hoc *magistro quatuor scriniorum* fuerunt quatuor inferiores magistri:

I) *Magister epistolarum*, qui epistolis principum scribendis præerat. Primi imperatores eas vel ipsi in chartam deferebant, vel aliis dictabant. Nero postea *magistrum epistolarum Græcarum* instituit, post quem sequentes imperatores semper eiusmodi magistris vsi sunt, qui, accepto rerum argumento, litteras scriberent. Iis etiam legati desideria sua exponere, & responsionem per eos a principe accipere solebant: conf. IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. Aug. lib. III. cap.* 3.

II) *Magister memoriæ*, qui curam laterculi minoris, in quo præfecturæ, tribunatus & præposituræ castrorum continebantur, habebat: ea, quæ princeps verbo respondebat, aliis dictabat: diplomata exhibebat: & responsa, a principe ad libellos supplices data, in chartam deferenda curabat: conf. GVID. PANCIROLLVS *comm. ad notit. dignit. imp. orient. cap. XCV.*

III) *Magister libellorum*, qui libellos supplices accipiebat: eos examinabat: principi sententiam eorum proponebat, atque acceptam ab eo responsionem per suos ministros, *libellenses* vocatos, scribendam curabat: conf. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de imper. Roman. lib. I. cap.* 14. & supra memorati, GVTHERIVS & PANCIROLLVS.

IV)

§. II.

Deinde erant *correctores Italiæ prouinciarum*, xx) id est, adiutores cæsaris in prouinciis Italiæ regundis. Hinc in *codice iustinianeo*, *in notitia imperii* & *inscriptionibus antiquis* correctores Italiæ, Etruriæ, Lucaniæ, Calabriæ, Bruttiorum: rarius extra Italiam, vt Illyrici, Histriæ & Africæ memorantur. Quid quæris? præsides erant, quos hodie *gubernatores* vocamus, vnde Tetricus ex principe talis corrector Lucaniæ factus est, apud EVTROPIVM *lib. IX. cap. 9. num. 6.*

§. III.

Constantino M. imperante, præfecti prætorio quatuor constituti sunt, quibus summa in prouinciis data est potestas. Primus erat orientis: secundus Illyrici magni, quod omnem Græciam simul comprehendebat: tertius per Italiam & Africam:

IV) *Magister dispositionum* dispositiones & libros imperii adseruare, eorumque curam habere debuit. Sequentibus temporibus is *comes dispositionum* vocatus est. Imperatores enim viros omnium prudentissimos elegerunt, vt eos semper apud se haberent & eorum consiliis salutaribus vterentur. Hi pro diuerso, quem obtinebant, ordine & gradu, *comites primi*, *secundi* & *tertii* fuerunt *ordinis*. Quemadmodum vero honorificum existimabatur, comitibus principis adnumerari; ita fiebat, vt *comitis* nomen succedente tempore in honoris titulum transiret. Quare varii, deposito priori nomine, *comites* se adpellari voluerunt, vti hoc de magistris sacrarum largitionum, magistris rei priuatæ, magistris militum aliisque constat.

xx) *De correctoribus imperii Romani* SIGISM. FRIDERDRESIGIVS Lipsiæ MDCCXXXIX. commentationem in lucem emisit.

cam : quartus Galliarum, cui etiam Portugallia & Hiſpania ſuberat. Et ad hoſce præfectos datæ plerumque leges ſunt in codice. Quando ergo plures prouinciæ erant ſub vno præfecto, in ceteris, quibus ipſi non præſidebant, *vicarios* habebant.

§. IV.

Sub vicariis erant minores, tamen etiam prouinciarum *rectores*, quorum alii *conſulares*: alii *præſides*: alii *comites*: quidam *duces*, quod militiæ ſimul præerant, dicebantur. Cuius rei exempla plurima ſunt *in notitia imperii vtriusque*. Nimirum vicarius præfecti prætorio regebat certam diœceſin, quæ eſt plurium prouinciarum adminiſtratio; ſub vicario autem erant ſingularum prouinciarum rectores, qui diſtinguebantur pro magnitudine prouinciarum, aut arbitrio imperatoris, in conſulares, correctores, comites, præſides. Atque hæc in prouinciis.

§. V.

In aulam quoque noua officia, ſub iisdem prope titulis, comitum maxime, introducta. Sic *leg. I. cod.* leguntur tituli *de officio magiſtri officiorum: de officio comitis ſacrarum largitionum, comitis rerum priuatarum, comitis ſacri palatii, comitis ſacri patrimonii*, cetera. y)

§. VI.

y) Heic memorandi ſunt:

I) *Magiſtri officiorum*, qui cum *principibus officiorum* non confundi debent. Diſcrimen, quod inter hos atque illos fuit, adcurate CLAVD. SALMASIVS *not. ad Lampridii vit. Alex. Seuer. cap. XXXII.* p. 936. obſeruat: *manifeſto*, ait, *diſtinguit Lampridius principes & magiſtros officiorum. Vnaquæque officia ſuos habebant*

§. VI.

Honores etiam adpellationum nouo modo distribuebantur. Summus titulus erat *nobilissimatus*, qui

bant principes : qui primores & priores, & capita officii dicebantur, quique illius officii, cui præsidebant, revera erant magistri. Ac magister officiorum is erat, qui omnia officia, & principes ipsos officiorum sub se habebat, & princeps quidem officii dicebatur ; at magister officiorum tantum sane intererat inter principem officii, & magistrum officiorum, quantum inter proximum scrinii, vt puta epistolarum aut libellorum & scriniorum magistrum : adde eumdem *not. ad Capitol. vit. Anton. philos. cap. VIII.* p. 322. & *ad Trebell. Poll. vit. Gallien. cap. III.* p. 239. & HENR. VALESIVM *not. ad Ammian. Marcellin. lib. XXVI. cap.* 5.

II) *Comes sacrarum largitionum*, cui imperatoris thesauri & pecuniæ publicæ commissæ erant. Decernebat de ædificiis publicis, thesauris inuentis, vectigalibus, commerciis, pascuis animalium, omnibusque rebus, quæ ad fiscum spectabant. Vocatur quoque *comes remunerationum & muneræionum :* vide IAC. GVTHERIVM *de offic. dom. Aug. lib. III. cap.* 16. & GVID. PANCIROLLVM *comm. ad notit. dignit. imper. orient. cap. LXXIV.*

III) *Comes rerum priuatarum*, qui priuato principis ærario præfuit. Dicitur etiam *procurator rei priuatæ : magister rei priuatæ : comes largitionum priuatarum.* Plura habes apud CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartian. vit. Seuer. cap. XII.*

IV) *Comes Palatii*, cuius officium in eo positum fuit, vt principis decreta publice prælegeret : responsa redderet : petitionibus subscriberet, atque curaret, vt legibus in omni re rite satisfieret : conf. IAC. GVTHERIVM *de offic. dom. Aug. lib. II. cap.* 18.

V) *Magister admissionum.* Iis præfectus erat, qui ad fores stabant, & diuites aliosque, principis salutandi

qui tantum cæsaribus, quatenus distincti ab imperatoribus augustis erant, ferme, vt hodie rex Germa-

di causſa aduenientes, admittebat, de quo officio VALESIVS *not. ad Ammianum Marcellin. lib. XV. cap.* 5. p. 89. & IAC. GVTHERIVS *loco indicato lib. III. cap.* 11. fusius exponunt.

VI) *Magistri militum.* Dubium est, a quo imperatore magistri hi instituti sint. Hoc tamen certum est, illos iam sub Decio & Diocletiano fuisse. Tribuni militum his erant inferiores, quumque vtrique *comitum* sibi vindicarent nomen, illi *minores*, hi vero *maiores* adpellati sunt *comites*. Constantinus duos, alterum equitum, alterum peditum creauit, eisque militum regimen, præfectis prætorio ademtum, commisit. Diuiso imperio, plures in oriente fecit magistros militum Theodosius, quod *notitia imperii* satis significat; in occidente vero semper duo manserunt: vide GVID. PANCIROLLVM *comm. ad notit. imper.* p. 1410. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Vopiscum vit. Aurel. cap. XVII.* p. 453. HENR. NORISIVM *cenotaph. Pisan. tom. III. oper.* p. 692. & ARNOLD. DRACKENBORCHIVM *not. ad Sil. Ital.* p. 341.

VII) *Præpositus cubiculi*, qui cubiculariis præerat, & summis honoribus ac priuilegiis, a GVTHERIO *de offic. dom. Aug. lib. III. cap.* 26. recensitis, fruebatur. Cubicularii alii superioris, alii inferioris ordinis fuerunt. Ad illos referuntur: *comes domorum*, *comes castrensis*, *comes sacræ vestis*; ad hos vero: *decuriones palatii*, *magister larum*, *scriba cubiculi*, aliique.

VIII) Varia etiam *primiceriorum* fuerunt genera; siue eorum, qui primi in tabula cerata, aut recensione ministrorum imperatoris poni solebant. Mentio enim in *notitia vtriusque imperii* facta est *primicerii cubiculi*, *lampadariorum*, *notariorum*, *scrinii largitionum priuatarum*, *pecuniarum*, aliorumque, de quibus GVID. PANCIROLLVS *comm. ad notit. dignit. imper. orient. cap.*

manorum ab imperatore, & consanguineis imperatorum tribuebatur, & his quidem ex singulari imperatoris indulgentia. ZOSIMVS *lib. II. cap.* 39. *num.* 4. Ceteri, qui rempublicam regebant, dicti *clarissimi*, *illustres*, *spectabiles*, *egregii*, *perfectissimi*. Sed tamen & hæc nomina cum discrimine dignitatum & priuilegiorum adhibebantur: vid. *notit. imper.* p. 1342. seq.

LIB. III.
DE MILITIA ROMANA.
SECT. I.
DE ORDINIBVS MILITVM.
CAP. I.
DE MILITIBVS ROMANORVM.
§. I.

ARMIS partum fuit imperium romanum: armis

cap. X. LXVI. LXVII. & LXXXIX. agit. Horum ministrorum officia, dignitates ac vicissitudines fusius persequuntur iam laudati scriptores: GVID. PANCIROLLVS *comm. ad notit. dignit. imperii vtriusque*, *tom. VII. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1323. IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. August.* CLAVD. SALMASIVS *not. ad scriptor. hist. August.* & IVL. CÆS. BVLENGERVS *de imperio Romano.* His adiungendi sunt: IAC. GOTHOFREDI *commentarii ad codicem Theodosianum*: THOM. REINESIVS *not. ad inscript. vet.* GEORG. CODINVS *de officiis & officialibus curiæ & ecclesiæ Constantinopol.* cum animaduersionibus FRANC. IVNII, IAC. GRETSERI, & IAC. GOARI: CAROL. DV FRESNE in *glossario* vtroque *mediæ & infimæ Latinitatis & Græcitatis*, aliique.

mis etiam conseruatum; nec vero his solis, sed mores etiam, & leges, & æquitas administrationis, & litterarum studia, in deuictis gentibus excitata, multum ad conseruationem adtulerunt. z)

§. II.

Auctor militiæ Romanæ a) fuit Romulus; sed rudioris & inconditæ: in ordinem digessit Tullus Ho-

z) De caussis, quibus imperium Romanum ad tantum fastigium peruenit, egregie commentatus est auctor anonymus libri, qui sub inscriptione: *Betrachtungen über die Vrsachen der Grösse und des Verfalls der Römer*, ex Gallica lingua in Germanicam translatus, Berolini MDCCXLII. prodiit.

a) Ad rem militarem veterum Romanorum cognoscendam faciunt: IOS. LAVRENTII *collectanea libro VI. polymath.* p. 469. secundum litterarum ordinem disposita: *interpretes Polybii* & *Vegetii*, inter quos inprimis, præter LIPSIVM, STEWECHIVS est; IVSTVS LIPSIVS, cuius *libri V. de militia Romana* cum *analectis ad milit. Roman. tom. III. operum* p. 13. seq. exstant: FRANC. PATRICIVS *in re militar. Rom.* quem librum ex Italico sermone in latinum LVDOLPH. NEOCORVS vertit; IO. GEORG. GRÆVIVS autem in *tomum X. thes. ant. Rom.* p. 821. transtulit, in quo & reperiuntur: RATBODI HERM. SCHELII *dissertationes de sacramentis: de custodia castrorum: de stipendio militari & equestri: de victu militum: de agmine Polybiano: de cohortibus legionis antiquæ*, aliæque commentationes, ad hoc argumentum spectantes. Præter hos memorandi sunt: CLAVD. SALMASIVS *opere postumo de re militari Romanorum:* VINCENTIVS CONTARENVS *de militari Romanorum stipendio:* HENR. SAVILIVS *de militia Romana*, aliique multi, qui recensentur a GABR. NAVDÆO *in syntagmate de studio militari*, Romæ MDCXXXVII. edito, vbi p. 504. proli-

Landesbibliothek Oldenburg

Hostilius: ornatum & præmia addidit Tarquinius Priscus, vid. FLORVS & EVTROPIVS. In libera republica consulum ea cura erat, & in in periculis, dictatoris & magistri equitum. Postea consulibus etiam adiuncti prætores fuerunt, quorum munus proprie erat, non tantum ius dicere in vrbe, sed foris etiam bella gerere. Vnde prætor græce vertitur στρατηγὸς, & *prætoria cohors*, *prætoria nauis*, ac sub cæsaribus prætoriani hinc originem adpellationis habent.

§. III.

Scribebantur autem milites per delectum, quem in vrbe agebat consul: b) in Latio & Italia legatus,

lixa notitia scriptorum huius argumenti exhibetur, quam separatim GEORG. SCHVBARTVS sub inscriptione: *bibliographia militaris*, Ienæ MDCLXXXIII. litteris describendam curauit.

b) Tribuni militum quidem ad id potissimum electi erant; consules vero supremam delectus habebant curam, quibus tribuni hac in re ministrare eorumque iussa exsequi debuerunt. Sedebant consules in sellis curulibus, delectusque per ordinem in capitolio fiebat; nisi ille ob grauiores causas, exempli causa: ad euitandas tribunicias intercessiones, in proximo campo institueretur, vbi tribunitiæ potestati nullus dari solebat locus. Probat hæc IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. I. dial.* 3. Nemo militiam recusare debebat, nisi quinquagesimum annum attigerat, vel honoribus & magistratu præditus, morbo adfectus, aut vitio corporis fœdatus erat. *Refractarii*, quod nomen militiam recusantes habebant, pœnis coercebantur: conf. LIVIVS *lib. VII. cap.* 4. De delectu militum eiusque ratione IVST. LIPSIVM *loco memorato*: IAC. LYDIVM *agonistic. lib.*

tus, aut senator. Discrimen autem erat inter milites Romani exercitus, vt quidam essent *Romani ciues*, alii *socii*, id est, *Itali*, & medii quasi inter hos, qui dicebantur *Latini nominis*. bb) Passim hoc discrimen obseruatum legitur apud LIVIVM & SALLVSTIVM. Sublatum autem est post bellum sociale, siue Marsicum, quo Italis æquale ius, quod ciues Romani habebant, adquisitum fuit.

§. IV.

I. cap. 2. & BARNAB. BRISSONIVM *ad formul. lib. IV.* p. 340. adeas.

bb) De militibus Romanorum obseruandum est, disciplinæ militaris inter eos summam habitam fuisse rationem, ac furta, intemperantiam, contumaciam, adulteria, signorum desertionem, aliaque crimina, contra quæ singulares latæ erant leges, maxime punita esse. De diæta, victu militari, cœnis victorialibus, triumphalibus, donatiuis, cet. exponit GVIL. STVCKIVS *lib. I. antiquit. conuiual. cap.* 21. De priuilegiis veteranorum militum singulari libro commentatus est GEORG. ACAC. ENENKELIVS BARO HOHENECCIVS. De stipendio militari, quod Romanis militibus per CCCL. fere annos incognitum fuit, conferendi sunt: RATBODVS HERM. SCHELIVS *dissertationibus de die stipendii: de stipendio ductorum equestri & militari, tom. XI. thes. antiquit. Rom. Græuii* p. 1214. seq. & præ ceteris cel. FRID. OTTO MENCKENIVS eleganti *diss. de Romanorum veterum stipendiis militaribus*. De pœnis militum variisque earum generibus IVST. LIPSIVS *lib. V. de milit. Rom. cap.* 18. FRANC. ROBORTELLVS *diss. de pœnis militum & ignominiis tom. X. thes. ant. Rom. Græu.* p. 1482. GER. SICHTERMANNVS *diss. de pœnis militar. Roman.* & H. F. SALOMON *de iudiciis & pœnis Rom. tom. III. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 645. legantur. De præmiis infra plura edisseram.

Landesbibliothek Oldenburg

§. IV.

Ingenuos c) autem omnes milites esse oportebat & honestæ conditionis. Vnde in codice Theodosiano titulus est: *quid probare debeant ad militiam venientes.* Serui autem, si irrepserant, supplicio sunt adfecti, cuius rei exemplum habemus in PLINIO *lib. X. epist.* 38. vbi adde *notas* nostras. In summa tamen necessitate serui poterant milites legi; sed prius erant manumittendi & in libertatem vindicandi, quemadmodum post Cannensem cladem octo millia seruorum sunt armati; sed adepti prius libertatem: vid. LIVIVM *lib. XXII. cap.* 57. quod breuibus sic enarrat EVTROPIVS

c) Romani hac in re adeo seueri erant, vt ne ingenuos quidem omnes admitterent, siquidem historia Romana testatur, omnes histriones, præter Atellanos, antiquis temporibus nunquam, nisi ex summa necessitate, lectos esse. LIVIVS *lib. VII. cap.* 2. hoc confirmat, quando ita scribit: *eo institutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu moueantur, & stipendia faciant, tanquam expertes artis ludicræ;* SALLVSTIVS vero *de bello ciuili* p. 135. refert, *Marium milites non more maiorum, neque ex classibus, sed vti cuiusque libido erat, capite censos plerosque scripsisse.* Sic etiam litigiosi, criminosi, adulteri, aliique publico iudicio damnati, a militia arcebantur. Mutatum tamen hoc fuit tempore reipublicæ labentis, quo non solum libertini, sed etiam serui & pastores legebantur, vt CÆSAR *de bello ciuil. lib. I. cap.* 14. testatur. Prisca ætate ratio etiam habita fuit *staturæ*, quæ per ordinem infra pedes quinque & septem vncias esse non debuit. Nonnulli contendunt, militibus haud permissum fuisse, vt vxores ducerent, easque in castris haberent; vtrumque vero falsum est, quod fuse ostendit SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 568. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

lib. III. cap. 5: ſerui, quod numquam ante, manumiſſi & milites facti ſunt.

Cap. II.

DE SACRAMENTO MILITARI.

§. I.

In militiam adſciſcebantur non temere, ſed iureiurando obſtricti, quo fidem & conſtantiam tirones promittebant. d) LIVIVS *lib. XXII. cap.* 38. dicit, *iuraſſe, iuſſu conſulum conuenturos, neque iniuſſu abituros.* VEGETIVS *lib. II. cap.* 5: *iurant*, inquit, *milites, omnia ſe ſtrenue facturos, quæ præceperit imperator: numquam deſerturos militiam; nec mortem recuſaturos pro Romana republica.* Idem *excitato loco* etiam formulam, ſub chriſtianis imperatoribus conſuetam, recitat, iuraſſe per Deum & per Chriſtum & per Spiritum ſanctum, & per maieſtatem imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda ſit & colenda.

§. II.

Olim conſulibus iurabant: mutata republica cæſaribus, idque vocabant *in verba eius iurare*, & in interregno ſenatui populoque Romano, vt ex

TA-

d) De ſacramento militari vberius commentati ſunt: GODESCHALC. STEWECHIVS *not. ad Vegetium lib. II. cap.* 97. RATBOD. HERM. SCHELIVS *diſſ. de ſacramentis tom. X. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1166. IAC. GISELIVS *not. ad Gellium lib. XVI. cap.* 4. 10. ANT. VALTRINVS *de re milit. Rom. lib. II. cap.* 7. IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. I. dial.* 6. *lib. V. dial.* 15. & *not. ad Tacit.* p. 88. & IO. BAPT. HANSENIVS *lib. de iureiurando vet. cap. XXII.*

Landesbibliothek Oldenburg

TACITO *hist. lib. I. cap.* 56. adparet. Idem erat, *in verba adigere* vel *adigi*, apud TACITVM *hist. lib. IV. cap.* 21. Repetitum quotannis id iusiurandum fuit a militibus natali principis, non vitæ, sed imperii; de quo PLINIVS *lib. X. cap.* 60. 103. & 104. consulatur.

§. III.

Id iusiurandum *sacramentum* dicebatur, vt apud TACITVM sæpe est sub formulis: *sacramentum dicere alicui: sacramentum accipere ab aliquo: sacramento adigere legiones: in eodem sacramento esse, & eiusdem sacramenti milites:* vid. eumdem *lib. I. annal. cap.* 28. 37. *lib. I. hist. cap.* 5. *lib. II. cap.* 81. *lib. I. cap.* 31. 46. cet.

§. IV.

Hinc Christiani ad sua mysteria hoc vocabulum e) transtulerunt, vt ex verbis TERTVLLIANI, antiquissimi scriptoris, clarum est, exempli gratia *ad martyr. cap. III. Vocati sumus*, inquit, *ad militiam iam, dum in sacramenti verba respondimus*, hoc est, in baptismo; & *aduersus Valent. cap. XXVII: in baptismatis sacramento;* & *de corona cap. III: eucharistiæ sacramentum, omnibus mandatum a Domino, antelucanis cœtibus sumimus.* f)

e) Vocem *sacramenti* in hac significatione iam PLINIVM *lib. X. ep.* 97. iuniorem vsurpasse, quum ad Traianum litteras de Christianis eorumque sacris ritibus scriberet, contra REMIGIVM CEILLERIVM monstraui *commentat. de antiquorum christ. doctor. de iureiurand. sententiis, cap. III. §. 5. p. 27.*

f) Tertullianum LACTANTIVS, HIERONYMVS aliique

Cap. III.

DE LEGIONIBVS.

§. I.

EXERCITVS Romanus g) diuidebatur in legiones, cohortes, alas, auxilia, & quæ horum par-

que plures sequuti sunt. Lege de huius vocis apud christianos scriptores vsu: MARTINVM CHEMNITIVM *exam. concil. Trident. part. II. loc.* 10. *art.* 2. p. 276. 10. GERHARDVM *loc. theol. tom. IV.* p. 212. 15. CASAVBONVM *exercit. XVI. ad annales Baron.* p. 477. & venerandum patrem *introduct. in libros symbol.* p. 463.

g) In exercitu tam milites, quam duces considerari debent: milites erant vel ciues, vel socii: illi legionem, hi alam conficiebant. Legio peditibus & equitibus constabat. Peditum ordines quatuor fuerunt. Eorum primus pauperiores & iuniores, *velites* dictos, complectebatur: in secundo *hastati*, in tertio *principes*, in quarto denique *triarii* siue *pilani* erant. *Principes* ætate florentissimi; *triarii* vero vsu exercitatissimi erant. Velitum exstiterunt MCC. qui æqualiter per genera & manipulos diuidebantur, in quorum singulis quadraginta numerati sunt. *Hastati*, quorum totidem erant, in decem manipulos; hi vero itidem in duas centurias distribuebantur, quarum quælibet LX. milites comprehendebat. Principum numerus & diuisio eodem modo sese habebat; triariorum vero dimidia tantum pars, nimirum sexcenti fuerunt. Ordines enim & manipuli dimidiati erant. Ex tribus manipulis cuiusque generis, addito velitum manipulo, *cohors* componebatur, quæ hac ratione CCCXX. viris constabat; ex decem vero cohortibus *legio* fiebat, inde in legione XXX. erant manipuli. Legiones hæ, vt iam dixi, alteram exercitus Romani partem, alteram vero socii con-

partes erant. Legio autem pars exercitus maxima, constans ex ciuibus Romanis, sociis Italis, ac latini nominis, siue, vt post bellum sociale fuit, ex ciuibus & Italicis. Prouinciales auxiliis adnumerabantur. Numerus non semper fixus legionis; sed primum tria millia continebat, vt VARRO dicit *lib. IV. de lat. lingu.* gg) Tum ve-

conficiebant. Hi in duo cornua, siue alas, diuidebantur, quoniam ad vltimum locum exercitus collocari solebant, vt ciues tegerent. Hac enim ratione horum vires vnitæ, sociorum vero distributæ, ipsisque omnes occasiones, quid contra Romanos suscipiendi, abscissæ erant. Sociorum horum LX. equitum, MMMMCC. peditum vt plurimum fuerunt. Equites vel *extraordinarii*, vel *alares* erant. *Extraordinariorum* ducenti exstiterunt, ex quibus vna turma quadraginta *ablectorum* sumebatur, vt consulibus, quasi loco satellitum, esset. Ad *alares* quod spectat, eorum quadringenti erant, & in decem turmas diuidi solebant. Pedites sociorum itidem in *extraordinarios* & *alares* distincti sunt. *Extraordinariorum* octingenti & quadraginta; *alarium* vero tria millia, trecenti & sexaginta fuerunt; qui aut in manipulos & genera, aut in centurias & cohortes diuisi fuisse videntur. De legionibus veterum Romanorum pluribus edisseruerunt: RATBODVS HERM. SCHELIVS *diss. de cohortibus legionis antiquæ:* IO. HENR. BOECLERVS *de legione Romana:* FRANC. ROBORTELLVS *de legionibus Romanorum*, quæ scripta *tom. X. thes. ant. Rom. Græuii* exstant. His addendi sunt: WOLFG. LAZIVS *lib. V. de republ. Rom. cap. II. seq.* CLAVD. SALMASIVS *de re militar. Rom. cap. VI.* ONVPHR. PANVINIVS *de imper. Rom. cap. XVI.* & IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. II. dial. 5.*

gg) Confirmat hoc PLVTARCHVS, quando *vit. Romul.* p. 24.

ro nondum *legio* dicebatur, cuius nominis origo apud EVTROPIVM est *lib. II. cap.* 3. quam historiam LIVIVS *lib. VII. cap.* 25. prosequitur, dicitque, legiones tum *quaternum millium & ducentorum peditum, equitum trecenorum* scriptas esse. Quod vero EVTROPIVS *ibid.* sex millia cuilibet legioni dat, error est, quia vetusta tempora cum suis confundit. h)

§. II.

Bello Punico secundo additi mille pedites & centum equites. hh) LIVIVS *lib. XXII. cap.* 36. *nu-*

p. 24. scribit: *singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites.*

h) De militia equestri veterum Romanorum opus singulare exarauit HERMANNVS HVGO. De delectu, recognitione equituni, de turmis cet. IVST. LIPSIVS *lib. II. de milit. Rom. cap.* 6. videndus est. Varia eorum genera, vt *lancearios, ferentarios, desultorios, draconarios* siue *signiferos*, non commemoro. De acie equestri dictus HVGO itidem consuli potest.

hh) Præter EVTROPIVM, idem DIONYSIVS *Halicarnasseus* & PLVTARCHVS innuere quidem videntur, ille, quando *lib. II.* p. 103. ita loquitur: *rursus Cænienses atque Antemnates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam vna cum familiis transtulit, nec agris multatos, nec pecuniis; eosque mox in tribus & curias adscripsit, non pauciores tribus millibus, ita vt tum primum peditum Romanorum censerentur in vniuersum sex millia;* hic vero *vit. Romul.* p. 30. scribit: *geminata vrbe*, per Sabinos videlicet, *centum ex Sabinis senatores adlecti, legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis;* quando vero verba hæc adcurate expendimus, memorati scriptores non de numero militum in vna legione, sed de numero in dua-

numero, inquit, *peditum equitumque legiones auctæ millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis, vt quina millia peditum, treceni equites essent, socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent.* Ex quo adparet, imminutum antea numerum equitum fuisse & ad ducentos redactum, qui nunc centenis supplebatur, vt pristinus numerus seruaretur. Eodem bello extremo Scipio instituit, LIVIO teste *lib. XXIX. cap.* 24. vt singulæ legiones sena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites. Nec vero hoc ita seruatum fuit; sed ad vetus institutum, hoc est, ad quina millia & ducenos pedites trecenosque equites legiones reuocatæ, vt patet ex LIVIO *lib. XLII. cap.* 31. Marius rursus, vt FESTVS auctor est, sex millium & ducenorum hominum conscripsit legiones. i) Legionum diuisio adæquata fit secundum numeros, discriminis caussa, vt prima, secunda, tertia, vigesima, trigesima, cet. etiam quædam cum cognominibus, tam virtutum, vt *gemella*, *victrix*, *fulminea* cet. quam locorum, quibus præsidio erant, vt *melitene*, *germaniciana* cet.

duabus differunt, ita, vt in vnaquaque tria millia peditum & trecenti equitum fuerint.

i) Id Marius sine senatus consulto fecerat, quod SALLVSTIVS *bello Iugurth.* p. 135. significat, quando tradit, *Marium cum aliquanto maiori numero, quam decretum fuisset, profectum esse.* Non tamen post illum numerus hic semper retentus fuit. Bellis enim ciuilibus adhuc legiones quinque millibus peditum constabant.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Inadæquate diuiduntur in partes, cohortes, centurias, manipulos. A priori diuisione, quæ secundum numeros fiebat, milites denominantur *primarii*, *secundarii*, *vigesimani* apud TACITVM & alios. Nec vero vnius numeri vna tantum erat legio; sed inuenimus etiam plures tertias apud DIONEM, diuersas secundas, octavas, nonas apud TACITVM, in quibus discernendis vtique cognominibus opus erat. k) Altera diuisione partes legionis maiores erant cohortes, quæ singulæ constabant quingentis militibus, atque ita in pleniore legione sex millia hominum, vt sub cæsaribus erant, fuerunt cohortes duodecim.

§. IV.

Legio habebat XII. cohortes, X. turmas, XXX. manipulos, LX. centurias. Manipulus autem ex veteri diuisione habebat duas centurias. Sed hæc notio exoleuit, & sub Antoninis noua significatio huic nomini accessit, vt idem esset, quod contubernium & tantum complecteretur X. milites. Vnde intelligis, quinam proprie fuerint *contubernales*. ISIDORVS *lib. II. cap.* 4. hæc tradidit: *legio habet LX. centurias, manipulos XXX, cohortes XII, turmas X.* Turmæ autem equitum erant, quod etiam

k) Consuetudo, legiones ita numerandi, vsque ad Alexandri Seueri tempora, quibus DIO CASSIVS vixit, obtinuit. Is enim *lib. LV.* de hac re ita scribit: *sic enim secundum ordinem delectum Romanæ legiones nominantur, hodieque eadem ratione cognomenta sua sortiuntur.*

Landesbibliothek Oldenburg

etiam VARRO teſtatur, qui *turmæ* vocabulum dicit quaſi terma eſſe, quod ter deni equites conſtituebant turmam.

CAP. IV.

DE DIVISIONE LEGIONIS RESPECTV ARMORVM ET ÆTATVM.

§. I.

DIVERSI generis tela Romanis erant, quæ LIVIVS laudat *lib. XXXVIII. cap.* 21. tamquam inſigne victoriæ adiumentum.

§. II.

Erant etiam velites, haſtati, principes, pilani, triarii. Velites, 1) qui & *anteſignani* dicebantur, leui

1) Velites quando primum inſtituti ſint, tradunt LIVIVS *lib. XXVI. cap.* 4. & VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap.* 3. §. 3. Quoniam Cæſaris & ſequentium imperatorum ætate ad leuiorem armaturam milites ex legionum anteſignanis lecti ſunt, ſuſpicatur inde IVSTVS LIPSIVS *de milit. Rom.* p. 115. eorum æuo velites non amplius in vſu fuiſſe; ſed horum locum ex anteſignanis ſuppletum eſſe. Arma illorum fuerunt gladius, haſta & parma, vt ex POLYBIO *lib. VI. cap.* 20. conſtat. In acie vel ante omnia ſigna in fronte, vel inter primos manipulos, vel in viis & cornibus collocari ſolebant, quoniam ii ante omnes prodire & pugnam committere debuerunt: conf. LIVIVS *lib. XXX. cap.* 33. *lib. XXXVIII. cap.* 21. SALLVSTIVS *bell. Iugurth.* p. 105. & VEGETIVS *lib. I. cap.* 20. Pari modo in caſtris extremitatem eorum occuparunt, vt vallum & ſpatium, quod circum interiora caſtra erat, cuſtodirent ac tuerentur.

Landesbibliothek Oldenburg

leui armatura instructi erant, ideoque mobiliores, quibus plerumque primus impetus & adgressio committebatur, siue leuiores pugnæ ante iustum prælium. Hinc *velitarii* & *velitatio* plerumque metaphorice sumta, apud PLAVTVM, FESTVM, APVLEIVM, & *velitaria arma* apud SALLVSTIVM *bell. Iugurth. cap. CV.* Horum inprimis hastæ erant iaculatoriæ, iisque *ferentarii funditores* adiungebantur. Funditores autem lapides funda emittebant: quidam etiam hasta simul iaculari vtebantur.

§. III.

Hastati olim solum armati, vnde nomen hæsit: *mediocre robur inter principes & velites.* Post mutatum, & pilum cum gladio datum, vt plerisque legionariis, vnde *pilani dicti*; sed præualuit nomen *hastatorum*, quamuis fuerit hasta ademta.

§. IV.

Principes erant milites præstantiores, qui olim pugnabant in principio aciei, vt VARRO *de lat. lingu.* scripsit *lib. VIII. cap.* 8. LIVIVS *lib. VIII. cap.* 8: *robustior ætas, quibus principum est nomen.* Postea minus illustres initiis præliorum adhibebantur, vt seruarentur principes.

§. V.

Tirones erant noui conscripti, vnde CICERO *lib. VII. epist.* 3. Pompeii exercitum vocat *tironem & collectitium.* Vnde etiam *tirocinium* est primum noui militis tentamen & specimen.

§. VI.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VI.

Triarii, vt VARRO *lib. IV. de lat. lingu.* describit, dicti sic, quod in acie tertio ordine in subsidium reliquorum deponebantur, nec pugnam inibant, nisi necessitas & clades reliquorum postulasset. Hi *veterani* plerumque & *subsidiarii*, siue *subsidia* dicti, quia in genua sæpe subsidebant, ne conspicerentur ab hostibus. Hinc adagium de grauiori periculo post accepta damna: *res ad triarios rediit.*

SECT. II.

DE ORDINIBVS DVCVM.

CAP. I.

DE DVCIBVS. m)

§. I.

OLIM prætores dicebantur, qui exercitui præerant, vnde mansit, vt *cohors prætoria* appellaretur, quæ consulem, aut alium summum ducem, tamquam corporis custos tuebatur; item: *nauis prætoria*, quæ ducem exercitus naualem vehebat.

§. II.

m) Vt ordines ducum ac dignitatis, qua singuli præditi erant, gradus rite intelligantur, sequentem tabulam ex IVST. LIPSIO *de milit. Rom.* p. 112. describo:

TA-

§. II.

Post generatim dictus fuit dux, qui exercitum regebat, quando nondum meruisset nomen imperatoris. CICERO *lib. VII. ep. 3. extra ducem paucosque præterea reliqui in ipso bello rapaces.* Ducem intelligit Pompeium, nondum in illo bello

TABVLA ORDINIS IN DVCIBVS.

Duces sunt duplices.

- proprii, vt sunt
  - *centuriones* in manipulis. Ordo & divisio eorum per genera, Velitibus exceptis, sunt
    - *hastatorum* decem paria. Duo primi, duo secundi, vsque ad decimum, & pro numero ordo est dignitatum. Honestior in eodem pari, ille, qui priori centuriæ præest, siue dextræ.
    - *principum*, numero & ordine iisdem.
    - *triariorum*, numero & ordine iisdem, nisi quod hic primopilus, caput & dux legionis. Is primus centurio dicitur, & aquilæ præest. Sunt ergo in vniuersum centuriones sexaginta & totidem succenturiones, siue optiones: quod ad equites ciuium, aut sociorum, per turmas singulas habent tres decuriones. Sunt ergo decuriones in ala triginta, & totidem optiones.
  - *tribuni*, in vnaquaque legione, sunt numero seni, & totidem præfecti in quaque ala sociali, siue cornu.
- communes, vt sunt:
  - *legati*, consilii caussa adiuncti & auxilii ad imperandum. Sunt fere bini apud Polybium, alias plures & mox pro numero legionum.
  - *imperator* summus, cui ius in omnes.

Landesbibliothek Oldenburg

bello imperatorem dictum, licet antea sæpe fuisset.

§. III.

In libera republica duces plerumque erant consules, aut proconsules: interdum prætores etiam, si diuidendi essent exercitus, aut in prouinciis bellum gerendum. In periculis summis erant dictator & magister equitum, de quibus supra dictum. n)

Cap. II.

DE IMPERATORIBVS.

§. I.

Dvx summus in exercitu post præclaram victoriam *imperator* fuit salutatus. o) CICERO *lib.*

n) Sub imperatoribus posterioris æui, ii, qui in prouinciis remotioribus præsidum munere fungebantur, *duces* adpellati sunt, quorum multi in *notitia imperii* tam *orientis*, quam *occidentis* memorantur.

o) DIONIS CASSII *lib. XLIII.* p. 235. *de imperatoris* nomine effatum dignum est, quod hîc describatur: *imperatoris nomen non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius ex bello reportauerant; neque ea ratione, quod ei merum imperium absolutamque potestatem deferrent, cæsari tribuerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium;* ac paucis interpositis: *id vero nomen imperatoris a Iulio, quemadmodum etiam cæsaris nomen, tanquam peculiare summi imperii cognomen, ad omnes deinceps imperatores dimanauit: non tamen sublata antiqua huius nominis ratione, sed vtraque integra. Itaque iterum eis tribuitur, quum victoriam aliquam obtinuerunt.*

lib. X. ep. 20. ad Attic. magnum numerum hostium occidimus: castella munitissima cepimus: imperatores adpellati sumus. Et paullo post de Marco Bibulo: *credo, voluit adpellatione hac inani nobis esse par.*

§. II.

Accessit, vt solet, abusus per ambitionem ad hunc titulum. CICERO *orat. Philipp. XIV. cap. 4: cui viginti his annis supplicatio decreta est, vt non imperator adpellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis.* §. III.

runt. Nam qui sunt imperatores, semel hac appellatione, sicut & aliis, adeoque prima vtuntur. Qui vero bellis hac appellatione dignum aliquid gesserunt, ii priscum quoque sibi nomen adsciscunt. Vnde fit, vt quis eorum iterum, & tertium, & pluries, nimirum quoties id meritus sit, imperator nominetur. Idem & confirmat APPIANVS *de bell. ciuil. lib. II.* p. 455. his verbis: *id honoris olim ducibus conferebatur a suis militibus, tanquam virtutis testimonium, quod illi post quodvis præclarum belli facinus admittebant; nostra autem ætate, vt audio, nemini contingit huiusmodi adpellatio, nisi cæsis hostium decem millibus.*

Insigne imperatoris fuit *paludamentum*, siue chlamys coccinea: conf. IVVENALEM *sat. VI.* v. 399. Lictores eius etiam paludatos fuisse, contendit LIPSIVS *de milit. Rom. lib. II. cap.* 12. p. 106. hancque in rem ad hæc SILII *Italici* verba, quæ *lib. IX.* v. 419. leguntur, prouocat:

Isque vt Varronem procul inter prælia vidit,
Et iuxta sagulo circumuolitare rubenti
Lictorem, nosco pompam atque insignia nosco
Flaminius modo talis, ait;

alii vero recte obseruant, imperatorem solum paludamento, reliquos vero sago vsos esse; auctores autem veteres vtrasque voces haud raro confundere.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Imperator autem semel dictus non per vitam habuit nomen; sed bellis atque præliis iteratis, *imperatoris* etiam nomen repetitum. Hinc in inscriptionibus & nummis: IMPERATOR ITERVM; IMPERATOR SEXIES; & de Augusto: IMPERATOR VICIES. Sic vltimis epistolis adiectis ad Ciceronianas *lib. X.* in titulo, seu præscriptione dicitur: *M. Lepidus imperator iterum.* Titulo autem vtebantur vsque ad finem triumphi, aut in ingressum in vrbem Romam.

CAP. III.

DE LEGATIS DVCVM, SEV PRÆSIDVM.

§. I.

LEGATI in exercitu romano non sunt ii, quos vulgo adpellamus, qui missi essent ad negotium aliquod agendum: sed qui summum ducem exercitus, aut præsidem prouinciæ, si cum imperio missus esset, adiuuarent in re militari, atque sic etiam in eo numero erant, quos hodie *generales* adpellamus; subiecti tamen summo duci, siue imperatori. p) Vnde CÆSAR *lib. II. de bello ciuili cap.* 17. dicit: *eos fiduciariam operam tenere.*

§. II.

p) Legatos ab ipsis ducibus adscitos esse, hoc LIVII *lib. IV. cap.* 17. testimonium confirmat: *legatos Quintium Capitolinum & M. Fabium Fibulanum sequi se dictator iussit;* hoc tamen non contra senatus voluntatem fieri potuisse, ex CICERONE *pro leg. Manil. cap. XIX.* discimus. Munus eorum satis honorificum fuit, id

§. II.

Plerumque tot erant, quot legiones. Hinc Cæsar decem legatos in Gallia habuit, quia totidem legiones: vid. CICERONEM *lib. I. ep.* 7. §. 26. Cicero habuit quatuor in Cilicia, quia etiam cum imperio missus erat in prouinciam, ex qua bellum gerendum erat. Vid. eius *lib. XV. epist.* 4. §. 17. vbi singulos nominat.

§. III.

Sub cæsaribus duplicis generis erant legati: primo *legati consulares;* siue cæsaris, qui & summi rectores prouinciarum iidem erant, quasi vicarii cæsaris: deinde *legati prætorii*, quorum singuli singulis legionibus iam antea etiam in libera republica erant præfecti, de qua distinctione supra in magistratibus ex TACITO, PLINIO & SVETONIO actum fuit.

CAP. IV.

DE TRIBVNIS MILITVM. q)

§. I.

TRIBVNI militum erat eiusmodi officium militare,

quod non solum exempla illustrium virorum, qui legati exstiterunt, sed etiam ipsa muneris eorum ratio, comprobant. Imperatori enim semper ad latus esse & salubribus consiliis eum instruere debuerunt. Numerus tam pro legionum numero, quam pro rerum conditione diuersus erat. Pompeium in piratico bello quinque & viginti legatos secum habuisse, APPIANVS *Mithridat.* p. 392. testatur: conf. RAPH. FABRETTVS *ad column. Traiani*, p. 9.

q) Tribunos militum Romulus instituit, vt VEGETIVS *lib.*

litare, cui fere respondet, quod nostrates dicunt *ein Oberster.* Sex erant in legione, ac bini

lib. II. cap. 7. testatur: *tribunus*, inquit, *vocatur a tribu, quia praest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit.* A Græcis *chiliarchæ* vocantur, quod non ita intelligendum, ac si tribuni millibus solum præfuerint, & singuli tribuni in legione, quæ sex millibus constabat, singulis millibus imperauerint; sed ea de caussa ita adpellati sunt, quoniam in Græcorum Macedonumque exercitu *millenarii* supra centuriones erant, post quos in exercitu Romano tribuni veniebant. In vnaquaque legione sex erant tribuni, qui omnes simul toti legioni præfecti fuerunt; quod & perspicue HORATIVS *lib. I. serm.* 6. v. 48. docet:

Quod mihi pareret legio Romana tribuno;

vbi totam legionem sibi vindicabat, quia bini & bini huic per vices imperabant. Tribuni hi post exactos reges a consulibus creati sunt, donec anno vrbis CCCXCIII. etiam populus sibi ius hoc tribueret, teste LIVIO *lib. IX. cap.* 30. quando ita scribit: *& duo imperia anno dari cœpta per populum, vtraque pertinentia ad rem militarem: vnum vt tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia.* Bello Persei Macedonico, quum minus idonei tribuni a populo crearentur, ius, tribunos creandi iterum ad consules translatum est, vt idem scriptor refert *lib. XLII. cap.* 31. quod vero privilegium isti non diu tueri potuerunt. Nam illo ipso bello populum de nouo sibi hanc potestatem vindicasse, apud memoratum LIVIVM *lib. XLIII. cap.* 12. habemus, donec senatus decerneret, *vt in octo legiones parem numerum tribunorum consules & populus crearent*, vt itidem LIVIVS *lib. XLIV. cap.* 21. loquitur. Tam equites, quam plebeios tribunos militum creabant, & quoniam sæpe

sena-

alternis vicibus præerant & legionem regebant, quod ex VEGETIO & aliis rei militaris scriptoribus constat. Olim videtur dignitas annua, aut aliquot annorum fuisse: post propter multitudinem ambientium semestre munus factum, vt videmus ex PLINIO *lib. IV. ep.* 4: *hunc*, inquit, *rogo semestri tribunatu splendidiorem facias.* r)

§. II.

senatores legebantur; hi vero tunicam laticlauiam gerebant, ortum inde est discrimen inter tribunos *laticlauios* & *angusticlauios*: conf. STATIVS *lib. V. silu. I.* v. 97. & SVETONIVS *vit. Othon. cap. X.* §. 2. ex recentioribus IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. II. dial.* 9.

r) Hoc itidem IVVENALIS confirmat, quando *sat. VII.* v. 88. cauit:

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Memorantur etiam in antiquis ingeniorum monumentis *tribuni cohortium*, qui tribunis militum inferiores fuisse & post socios, in legionem receptos, creati esse videntur. Per *tribunos castrorum* apud veteres scriptores ii sine dubio intelliguntur, qui alias *præfecti castrorum* dicuntur. *Tribunatus* enim vox sæpe late pro quauis administratione & præfectura sumitur. Munus tribunorum fuit, vt MACER *leg. XII. de re milit.* refert, *milites in castris continere: ad exercitationem producere: claues portarum suscipere: vigilias interdum circumire: frumentationibus commilitonum interesse: frumentum probare: emansorum fraudem coercere: delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare: principiis frequenter interesse: querelas commilitonum audire: valetudinarios inspicere;* cum quo & LIVIVS, POLYBIVS aliique conueniunt. Sæpe ipsos tribunos supplicium de militibus sumsisse, ex TACITO *lib. XV. annal. cap.* 60. & 68. & ex SENE-

CA

§. II.

De tribunis militaribus consulari potestate EVTROPIVS inspici potest *lib. II. cap.* 1. qui per multos annos rexerunt rempublicam, quia indignabatur exercitus, otiosis parere, & æquius putabant, vt qui cum vitæ periculo pro patria pugnarent, summos etiam honores gererent in republica ciuili. Sed postea displicuit hic magistratus, & consules reuocati, quia militaribus ingeniis difficilius est, rempublicam gerere, quam hostem superare.

CAP. V.

DE CENTVRIONE. s)

§. I.

CENTVRIONES quot militibus præfuerint, ipsum vocabulum ostendit. Respondet di-

 gni-

CA *epist. IV.* probari potest; id vero extra ordinem factum est, nec prius, quam honorati & summa dignitate conspicui viri mortis supplicium subire debebant. Ornamenta, quibus se a reliquis distinxerunt, annulus aureus, vestis fortasse paullo splendidior, atque adparitores erant. In castris sub ipsum prætorium ita dispositi fuerunt, vt eorum tentoria in duas partes diuiderentur: via media, quæ ad prætorium ducebat, inter ista tentoria relinqueretur; quisque vero ordo suam legionem in conspectu haberet.

s) Munus hoc virtute parabatur, & loco præmii antiquis temporibus iis dabatur, qui fortiter sese gesserant; nonnunquam tamen census habita fuit ratio, quod ex DIONE *lib. LII.* p. 481. discimus: immo posteriori æuo gratia & fauor in distribuendis muneribus prævalebat, de quo vitio sua ætate queritur VEGETIVS

lib.

gnitati, quam dicimus *Capitain*, *Hauptmann*. In legione erant sexaginta centuriones, t) in cohorte sex; qui autem primus inter eos erat, primam cohortem ducens, *primipilus* dicebatur, & *primi pili centurio*, & *primus centurio*, isque dignitate æquatus fuit tribunis. Dicebatur etiam primum pilum, vel primos pilos ducere.

§. II.

Insigne u) ipsius erat vitis, vel virga vitea.

CICE-

lib. I. cap. 3. In singulis manipulis duo erant centuriones, teste POLYBIO *lib. VI. cap.* 22. ea ex caussa, vt alter alteri opem ferret, si vnus ex illis vel vulneratus, vel mortuus, vel a tribuno ablegatus fuerat.

t) Confirmant hoc TACITVS *lib. I. annal. cap.* 32. & A. GELLIVS *lib. XVI. cap.* 4. VEGETIVS vero, quinquaginta quinque centuriones eius tempore fuisse, refert. Pro temporum enim diuersitate, vt militum, ita & ducum numerus diuersus fuit.

u) Vt centuriones eo melius discernerentur, in cassidum cristis signum habuerunt; istud vero qualem habuerit formam, certe dici non potest. IAC. SPONIVS *miscell. erud. ant.* p. 255. autumat, habuisse illud hanc figuram: 7, quam in rem ad sequentem prouocat inscriptionem:

DIIS. MAN
QVARTIVS. IVNIVS. QVAR. F. PAL
HESPERINVS
7 COH. VI. VIGILVM.

Plura de centurionibus exhibent: IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. II. cap.* 8. & CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. prouinc. lib. III. cap.* 2. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 229. & ARNOLD. HENR. WESTERHOFIVS *not. ad Terent. eun. VI.* 7. 6. Centuriones ipsi sibi legebant duos

optio-

CICERO *lib. V. ad Attic. ep.* 20: *Bibulus in eodem anno cœpit laureolam in mustaceo quærere; at ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primi pili.* VELLEIVS *etiam lib. II. cap.* 78. dixit: *primi pili centurio.* CÆSAR autem *bell. Gallic. lib. II. cap.* 25: *primipilo multis vulneribus confecto.*

§. III.

Minores, quam centurio, ductores, non facile memorantur in historia; nisi, quod VEGETIVS *lib. II. cap.* 3. *decani* mentionem facit, qui caput erat contubernii.

CAP. VI.

DE DVCTORIBVS EQVITVM.

§. I.

EQVITVM ductores dicti *præfecti.* VELLEIVS *lib. II. cap.* 104. de seipso: *missus cum Tiberio præfectus equitum in Germaniam.*

§. II.

Equites autem erant vel *legionarii*, de quibus supra, vel *auxiliares*, qui proprie alas constituebant posteriori æuo, quod ex VEGETIO *lib. II. cap.* 1. discimus. VELLEIVS *lib. II. cap.* 117:

 fu-

optiones, qui etiam *succenturiones* dicebantur, atque duos *signiferos*, qui signorum militarium curam habebant. Ceteros, qui militaribus functi sunt officiis, manipularios videlicet, præfectos castrorum, quæstores ærarii bellici, præfectos dendrophororum & fabrorum, tubicines, euocatores, medicos, cornicularios, tesserarios, circitores, aliosque, breuitatis caussa prætereo.

Landesbibliothek Oldenburg

funeſtæ ex Germania epiſtolæ, cæſi Vari trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum & ſex cohortium; vbi tam alæ, quam cohortes auxiliares erant, quales cohortes a CÆSARE *lib. I. bell. ciuil. cap.* 83. *alariæ cohortes* vocantur. Ipſæ tamen diſtinctæ ab aliis erant. VELLEIVS *lib. II. cap.* 112. §. 5: *fugatæ alæ, conuerſæ cohortes ſunt: apud ſignа quoque legionum trepidatum.*

CAP. VII.

DE SOCIORVM MILITIA.

QVI *tribuni* in legionibus erant, hi *præfecti* inter ſocios: LIVIVS *lib. IV. cap.* 31: *C. Scribonium præfectum ſocium cum equitibus extraordinariis ſiniſtræ alæ mittit*; vbi extraordinarios nota, & duplicem alam, quorum vtrumque etiam habes in LIVIO *lib. XXXV. cap.* 5.

SECT. III.

DE ARMIS.

CAP. I.

DE ARMIS ROMANORVM GENERATIM.

§. I.

LIVIVS *lib. XXXVIII. cap.* 21. hæc nobis reliquit de prælio cum Gallogræcis: *miſſilibus ex interuallo loci prælium commiſſum eſt: primo par, Gallos loco adiuuante: Romanos varietate & copia telorum. Procedente certamine, nihil iam æqui erat.*

erat. Scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ad ea ipsa plana, male tegebant Gallos. Nec iam tela habebant, præter gladios, quorum, quum manum hostis non consereret, nullus vsus erat. Saxis, nec modicis, vt quæ non præparassent, sed quod cuique temere trepidanti ad manum venisset, vt insueti, nec arte, nec viribus adiuuantes ictum, vtebantur. Sagittis, glande, iaculis incauti, ab omni parte configebantur; nec quid agerent, ira & pauore obcæcatis animis, cernebant, & erant deprehensi genere pugnæ, in quod minime apti sunt. Nam quemadmodum cominus, vbi inuicem pati ac inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum; ita vbi ex occulto, & procul leuibus telis, vulnerantur; nec quo ruant cæco impetu, habent; velut feræ transfixæ in suos temere incurrunt. Detegebat vulnera eorum, quod nudi pugnant, & sunt fusca & candida corpora, vt quæ numquam nisi in pugna nudentur: ita & plus sanguinis e multa carne fundebatur, & fœdiores patebant plagæ, & candor corporum magis sanguine atro maculabatur. Sed non tam patentibus plagis mouentur: interdum insecta cute, vbi latior quam altior plaga est, etiam glorioſius se pugnare putant. Iidem, quum aculeus sagittæ aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem vrit, & scrutantes, quæ vellant, telum non sequitur; tum in rabiem & pudorem tam paruæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic vt passim procumberent. Alii ruentes in hostem, vndique configebantur, & quum cominus venerant, gladiis a velitibus trucidabantur.

§. II.

Hinc miles tripedalem parmam habet, & in dextra haſtas, quibus nimirum vtitur. Gladio Hiſpanienſi eſt cinctus, quod ſi pede collato pugnandum eſt, translatis in læuam haſtis, ſtringit gladium. Hæc arma velitum, ſiue *velitaria*, vt SALLVSTIVS adpellat.

Cap. II.

DE PARMA, SCVTO ET GALEA.

§. I.

PARMA x) erat rotunda, & in omnes partes par a medio, vt VARRO definit *lib. IV. de lat. lingu. Tripedalis* per diametrum, vt LIVIVS dixit.

§. II.

Scutum autem quatuor pedes longum POLYBIO: ſed omnino productius fuit, vti ex LIVIO *lib. XLV. cap.* 33. videmus, vbi dicit: *ſcuto præ ſe erecto,*

x) De parma, clypeo, ſcuto, pelta, aliisque eiusmodi corporum tegumentis, contra hoſtium vim adhibitis, dignus eſt, qui legatur: ALDVS MANVTIVS *diſſ. de parma, clypeo, ſcuto, pelta & ancili*, quæ *tom. I. theſ. ant. Rom. Sallengriani* exſtat, huicque addendi ſunt: IVST. LIPSIVS *lib. III. de milit. Rom. cap.* I. & 2. HENR. DODWELLVS *diſſ. poſtum. de parma equeſtri, Oxon.* MDCCXIII. THOM. GVTBERLETVS *lib. de ſaliis cap. XII.* EZECH. SPANHEMIVS *not. ad Callimachum* p. 167. aliique multi a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiqu. cap. XVIII.* p. 576. memorati. De variis modis, quibus armorum exercitia veteres Romani inſtituerunt, VEGETIVS *lib. I. cap.* 9. *ſeq.* & LIVIVS *lib. XXIII. cap.* 35. *lib. XXVI. cap.* 51. videndi ſunt.

Landesbibliothek Oldenburg

erecto, stare galeatos; deinde, vbi fessi sint, innixos pilo; capite super marginem scuti posito, sopitos stare. Vmbo in clypeo & parma erat ex metallo, quo tundebant. CVRTIVS *lib. III. cap.* 10. *aciem vmbonibus posse propelli.*

§. III.

Galea y) ex pelle & corio erat. Cassis e lamina, vt ISIDORVS *lib. XVIII. cap.* 14. distinguit. Distinxit etiam TACITVS *de German. cap. VI: vix vni alteriue Germanorum cassis, aut galea.*

CAP. III.

DE OCREA.

OCREÆ non tam arma erant, quam munimentum pedis, siue tibiæ, & olim tantum dex-

y) De galearum figura ac forma multa erudite obseruavit IAC. SPONIVS *miscell. erudit. antiquit.* p. 254. Galeis cristæ addebantur, id quod vetus Carum inuentum fuit, vt milites eo maiorem terrorem hostium animis infunderent. Vt POLYBIVS testatur, Romani tres prælongas pinnas adhibuerunt, quæ colorem purpureum, vel nigrum habebant; qui tamen viliorum proprius fuisse videtur. Ante pennarum vsum, setis equinis vtebantur milites, vt VIRGILIVS *lib. IX. Aeneid.* v. 808. docet. Plura LIPSIVS *loco memorato lib. III. dial.* 5. & CAROL. PASCHALIVS *de coron. lib. X. cap.* 19. dabunt. Inter galearum ornamenta etiam *corniculum* fuit, ex ære vel ferro factum & in cornu formam effictum. Eiusmodi cornicula inter dona militaria, quæ militibus ob præstitam virtutem dabantur, locum habebant: conf. interpretes SVETONII *vit. Domitian. cap. XVII.* p. 741. *ed. Græuii.*

Landesbibliothek Oldenburg

dextro pedi addebatur, z) præponendo inter pugnandum. Ex corio erat dextri pedis ocrea, lamina interdum subdita; a) nec vero includebat pedem, sed partem anteriorem tegebat, loris adstricta. Sinister pes etiam ocreatus fuit, vt postea fere semper; caruit tamen lamina: conf. VEGETIVS *lib. I. cap.* 20.

CAP.

z) Hinc & LIVIVS numero vnitatis de hoc pedis munimento nonnunquam loquitur, & VEGETIVS scribit *lib. I. cap.* 20: *pedites scutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere.* Sinister pes ocrea quidem non indigebat, quippe quem scuti pars tegebat & dextro postpositus erat; sequenti tamen tempore & iste ocrea tegi solebat, quod DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV.* p. 221. confirmat.

a) Sæpe ex sola lamina, diuerso tamen modo, ocreæ compositæ erant. Nonnullæ enim ex vna lamina totæ constabant, vt pedi nec pugna, nec ictus nocere posset; aliæ vero ex diuersis & tenuibus laminæ partibus, ita inter se connexis, vt vacua spatia relinquerentur, hisque solum contra ictum milites tuti erant. Ne earum pondus & grauitas impedimentum adferret, ocreæ erant breuiores. Superior enim & dextri cruris pars scuto munita fuit. Videantur ANTON. BYNÆVS *de calceis lib. I. cap.* 4. *num.* II. & FRANC. PATRICIVS *de re milit. part. V. sect.* 6. Caliga itidem pedum integumentum fuit, quo Romani milites gregarii ac manipulares in bello & castris potissimum vtebantur. Soleæ vel ligneæ, vel coriaceæ & clauis minutis, qui vel ferrei, vel ænei, vel argentei & aurei erant, suffixæ fuerunt. Singulari opera de iis disputat IVLIVS NIGRONIVS *libro de caliga, siue calceamento militari veterum*, cui CLAVD. SALMASIVS *not. ad script. hist. Aug. tom. II.* p. 233. & BARN. BRISSONIVS *antiqu. select. lib. II. cap.* 5. addendi sunt.

Cap. IV.

DE GLADIO.

Gladius Hiſpanienſis b) a LIVIO memoratus *lib. XXXI. cap.* 34. & *lib. XXXVIII. cap.* 21. eratque oblongior. Legionarii autem militis gladius erat breuior, ſed graui pondere; breuitas autem erat agilitatis cauſſa. SILIVS *Italic. lib. VIII. v.* 376:

Pila volant: breuibusque habiles mucronibus enſes.

Cap.

ſunt. Militum caligatorum meminit hic lapis apud GRVTERVM p. CCLXXIX. *inſcript.* 3.

HONORATI. ET. DE
CVRIONES. ET. NV
MERVS. MILITVM. CA
LIGATORVM

Adde IVVENALEM *ſat. X. v.* 24.

b) Loquitur de gladio Hiſpanienſi ita POLYBIVS *lib. VI. cap.* 21: *ſimul cum ſcuto eſt gladius, quem ad dextrum latus geſtat. Hiſpanienſem ipſi vocant. Eſt hic gladius & ad punctim lædendum excellens & ad cæſim ex vtraque parte feriendum vehemens.* Quo loco POLYBIVS teſtatur, Romanos in dextro latere gladium geſſiſſe; cui vero alii, vt IOSEPHVS & SIDONIVS APOLLINARIS, item nummi contradicunt, & ad ſiniſtrum femur genus hoc armorum transferunt. Vtrumque conſtare poteſt, pro conſuetudinis diuerſitate. Nec iis, qui ad ſiniſtrum latus gladium habebant, eductio eius incommoda fuit, quum ſatis notum eſt, quod ab humeris gladii perpenderint: conf. IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. III. dial.* 3.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. V.

DE PILO.

§. I.

Pilvm proprie pistillum est: deinde telum metaphorice dictum, quod hostes feriret, vt pilum. Pili hasta maiori parte, id est, media & superiori, quadrangula erat, quod ex LIVIO *lib. XXI. cap.* 8. liquet, vbi describit falaricam Saguntinam, id est, *missile telum, hastili oblongo & cetera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum exstabat id, sicut in pilo, quadratum.*

§. II.

Lignum erat tricubitum & tantum fere ferrum; sed hoc sesquicubito prominebat, cetera pars infixa, aut adnexa hastæ erat, vt in vniuersum longitudo pili fuerit quatuor cubitorum & semis; quod ex POLYBIO *lib. VI.* LIPSIVS probauit. Crassitiem habuit ferrum & hamatum erat, vnde ingentia pila FLORO dicta *lib. II. cap.* 7. quibus vltra Græcorum morem vulnera patebant. Sed hæc de proprie dicto pilo, quod maius erat, distinctum a minori. Vtrumque vero legionarius ferebat. Vid. VEGETIVM *lib. II. cap.* 15. c)

Cap.

c) De pili forma adcurate ex POLYBII, VEGETII & SILII *Italici* descriptionibus disputat IVST. LIPSIVS *loco indicato*, *lib. III. dial.* 4. In nummo eius figura conspicitur apud IAC. GVTHERIVM *de vet. iur. pontif. lib. III. cap.* 16.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. VI.

DE LORICA.

§. I.

Ad arma etiam lorica pertinebat, qua corpus tegebant. Nomen habet a loris, quia ex pellibus in lora conciſis olim conficiebantur, vt VARRO auctor eſt *lib. IV. de lat. lingu.* Integræ etiam pelles loco eius adhibebantur. SILIVS *lib. VIII. v.* 525. d)

Pectora pellis obit, cæſi venatibus vrſi.

Deinde lamina fuit adhibita, nunc ſolida, nunc agilitatis cauſſa hamata. e) SILIVS *lib. V. v.* 140:

Loricam induitur, tortos huic nexilis hamos
Ferro ſquama rudi, permixtoque aſperat auro.

Interdum totum corpus ita tegebatur ferro, f) & hi

d) Confirmat hoc etiam VIRGILIVS, quando *lib. XI. Aeneid.* v. 679. canit:

Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit.

e) Ex annulis ferreis componebatur, quos eo nomine laudatus poeta *lib. III. Aeneid.* v. 467. *loricas hamis conſertas* vocat.

f) Ferrum hoc, ſiue lamina, duas habebat partes, quarum altera pectus, altera dorſum tegebat. In latere vtroque fibulæ erant, quæ partem anteriorem cum poſteriori iungebant. Ex eo VALERIVS *lib. III. cap.* 1. §. 24. intelligi poteſt, quando Scæuæ duas loricas adſignat; conf. IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. III. dial.* 6. p. 145. Ferreæ hæ loricæ duplicis erant generis. Nonnullæ ſolis annulis, inter ſe nexis, conſtabant: aliæ ſquameæ, in quibus ſuper annulos minutæ laminæ partes, ad formam ſquamarum piſcium, poſi-

tæ

hi milites *clibanarii* dicti, de quibus notauimus ad SEXTVM RVFVM.

§. II.

Hami vocabantur etiam *squamæ*, & ipsa lorica *thorax*: VIRGILIVS *lib. XI. Aeneid. v.* 487:

- - *Rutulum thoraca indutus ahenis*
Horrebat squamis.

De hamis eumdem lege *lib. V. Aeneid. v.* 459. Sed & lintea, aut lanea erat lorica, leuitatis caussa. NEPOS *in Iphicrate cap. I.* Legatur & SVETONIVS *in Galbæ cap.* 19: *thoracem induit linteam.* CÆSAR *lib. III. de bell. ciuil. cap.* 44: *Milites aut ex sub coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegumenta fecerant, quibus tela vitarent.*

CAP.

tæ erant. Ad hoc loricarum genus adductus ab auctore nostro SILII *Italici* locus referendus est, quo & pertinet ISIODORVS, quando *lib. XVIII. cap.* 13. scribit: *squama est lorica, ex laminis æreis, vel ferreis concatenata, in modum squamarum piscis*, & TERTVLLIANVS *de pallio cap. IV: pectus, squamarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo nudauit.* Eiusmodi laminæ *plumæ;* loricæ vero ex eo *plumatæ* dicuntur. Confirmat hoc STATIVS, qui *lib. XI. Theb. v.* 541. ita canit:

- - *alte ensem Germani in corpore pressit,*
Qua male iam plumis imus tegit inguina thorax;

IVSTINVS vero *lib. XLI. cap. II.* de Parthis scribit: *munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt*, ad quem locum interpretes p. 583. ed. GRÆVII conferendi sunt. Loricis, ex linteis compositis, quarum & noster auctor meminit, itidem eiusmodi lamineæ squamæ supernectebantur; quod IVST. LIPSIVS *loco excitato* ex VIRGILIO comprobat.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. VII.

DE CRISTA.

De galea supra fuit actum, capitis tegumento. Ei plerumque crista imponebatur, vel ornatus, vel terroris caussa. Erat autem vel plumea, ut apud VIRGILIVM *lib. X. Aeneid. v.* 187. & apud SILIVM *Italicum lib. II. v.* 398. vel equina: conf. VIRGILIVM *lib. VII. Aeneid. v.* 785. *lib. X. v.* 869.

SECT. IV.

DE SIGNIS MILITARIBVS. g)

Cap. I.

DE AQVILA.

Præcipvvm, quod integræ legionis erat, fuit aquila argentea, hastæ præfixa, alas expandens, inter-

g) Ante aquilæ, totius legionis signi, vsum, manipulo fœni, loco vexilli, vtebantur Romani, vt AVRELIVS VICTOR *de orig. gent. Rom. cap. XXII.* docet. Postea hasta sumebatur, in cuius extrema parte ligneolum transuersum adfixum erat, huicque parui clypei, siue tabulae adnectebantur, qui deorum, imperatorum aliorumque illustrium virorum imagines referebant. Singuli manipuli vnum eiusmodi habebant signum, cui duo vexillarii præfuerunt; quando vero VEGETIVS scribit *lib. II. cap.* 23: *antiqui cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt;* obseruandum est, eius æuo manipulos veteres, quorum duo in vna centuria erant, non amplius in vsu fuisse, sed eorum loco centurias inductas esse. Adservabantur Romæ in ærario, ex quo a quæstoribus in campum Mar-

interdum fulminis telum gerens, vti ex nummis licet conſpicere. CICERO *orat. I. Catil.* mentionem facit, & VELLEIVS in clade Variana. Qui gerebat, *aquilifer* dictus apud CÆSAREM *bell. Gallic. lib. IV. cap.* 25. *bell. ciuil. lib. III. cap.* 64.

CAP. II.

DE VEXILLO. h)

VEXILLVM proprie velum ſigni erat, & κατ' ἐξοχὴν illud, quod penes imperatorem erat; nec niſi futuræ pugnæ ſignum proponebatur: vide CÆSAREM *lib. I. de bell. Gall. cap.* 20. *Vexillum*, inquit, *proponendum, quod erat inſigne, quum ad arma concurri oporteret.* Generatim velum erat ſigni co-

tium, vbi legionum delectus habebatur, deferebantur. In ſumma veneratione eiusmodi ſigna apud veteres poſita fuerunt, ita vt ea non ſolum pro diis colerent; ſed etiam inungerent & floribus quibuscunque ornarent. In caſtris ad quamque centuriam & cohortem diſpoſita eſſe videntur, quamuis de loco eorum non conueniant, qui de argumento hoc ſcripſerunt. In caſtris ad terram defigi, &, vbi ſe mouebat exercitus, rurſus extrahi ſolebant, quæ ſi ſponte ſequerentur & facile euelli poſſent, pro bono putabatur augurio. Signa eiusmodi maximi erant ponderis, ita, vt iis portandis robuſtiſſimus miles vix ſufficeret, vt ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 126. obſeruat. Conf. WOLFG. LAZIVM *lib. VII. de republ. Roman.* IVST. LIPSIVM *lib. IV. de re milit. dial.* 3. *ſeq.* CLAVDIVM DAVSQVEIVM *not. ad Silium Ital.* p. 248. & 291. & MICH. ANG. CAVSSEVM DE LA CHAVSSE *de ſignis militar. tom. X. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1528.

h) Scriptores de vexillis veterum recitat IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu.* p. 555.

cohortalis, cui nomen imperatoris inscriptum erat: vid. SVETONIVM *vit. Vespas. cap. VI.* Erant etiam, quæ *cantabra* i) dicebantur, de quo ad MINVCIVM *Felicem cap. XXIX.* diximus.

CAP. III.
DE LABARO.

LABARVM k) quoque eius generis fuit, præsertim posteriori æuo. Vnde a christianis scriptoribus celebratum, quod imperatori præferebatur. PRVDENTIVS *aduers. Symmach. lib. I. v.* 487:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
signabat labarum.

CAP. IV.
DE CLASSICO ET TVBA.

CLASSICVM dictum ISIDORO *Hist. lib. XVIII. cap.* 4. quasi *calassicum* a conuocando, siue excitando, quod καλεῖν est. Describit autem cornua, conuocandi caussa facta. *Tuba* ænea erat & in lon-

 gum

i) Eorum mentionem etiam facit TERTVLLIANVS *apologet. cap. XVI. lib. I. ad nation. cap. XII. & lex II. cod. Theodos. de collegiariis.* Vexillum a cantabro, vt genus a specie, differebat. In cantabro enim, siue picto velo, nomen aut carmen inscriptum erat; quod vero in vexillis non inueniebatur. Hac ratione omnia cantabra erant vexilla; minus autem omnia vexilla fuerunt cantabra: conf. ADR. TVRNEBVS *lib. XV. aduersar. cap.* 16. & STEWECHIVS *not. ad Vegetium lib. III. cap.* 17.

k) Lege IO. ALB. FABRICIVM *bibliograph. antiquar.* p. 555.

Landesbibliothek Oldenburg

gum directa. *Cornua* olim ex bubulo erant, vnde nomen hæsit: postea ad similitudinem ex ære curuato facta. OVIDIVS *metamorph. lib. I. v.* 98:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Lituus a figura *litui auguralis* dictus. FESTO genus erat buccinæ incuruæ. Memorat HORATIVS *lib. II. od, I.* & SENECA *Thyest. v.* 576:

Iam silet stridor litui strepentis.

Buccina, vel *bucina* canebatur in castris, ad vigilias diuturnas nocturnasque definiendas. Vid. SILIVM *lib. VII. v.* 154. & quæ nos ibi; adde *disp. nostr. de vigiliis veterum.*

SECT. V.

DE MACHINIS BELLICIS. 1)

CAP. I.

DE ARIETE.

MACHINÆ sunt tormenta, quibus in oppugnationibus vrbium vtebantur. m) Tales erant

1) De machinis bellicis, praeter FELICEM OSIVM, PETRVM RAMVM aliosque, præ ceteris videndus est IVST. LIPSIVS *libris V. poliorceticon, siue de machinis, tormentis & telis*, qui *tom. III. operum* p. 550. exstant.

m) Ne iusto longior videar, reliquas machinas bellicas, aliaque instrumenta, quibus Romani in bello & in oppugnatione ciuitatum vsi sunt, tantum recensere, mecum constitui. In hanc classem cadunt:

I) *Crates*, quæ textu vimineo efficiebantur, & in subita oppugnatione in consuetudine præcipue erant.

Vsus

erant aries, balliſta, catapulta, helepolis, turris rotata & vinea. Aries fuit trabs longa, ferro gran-

Vſus earum triplex fuit. Iis enim non ſolum tegebant corpus, foſſasque explebant; ſed etiam eas, lapidibus immiſſis, in hoſtium, ſcalarum ope adſcendentium, capita deuoluebant: conf. HIRTIVS *de bello Alex. cap. XVIII.* CÆSAR *de bello Gallic. lib. VII. cap.* 81. & VEGETIVS *lib. IV. cap.* 6.

II) *Scalæ murales*, quibus in adſcendendis vrbium muris vtebantur. Plurima earum pars erat lignea, & ex his nonnullæ complicari ac componi potuerunt. Præterea & *coriaceæ*, *reticulatæ* ac *ſtuppeæ* apud veteres Romanos haud incognitæ fuerunt: conf. STEWECHIVS *not. ad Vegetium lib. IV. cap.* 21. 10. POTTERVS *archæol. Græc. lib. III. cap.* 10. & ANTON. THYSIVS *de oppugn. vrb.* p. 158.

III) *Sambucæ* ſcalarum fuerunt genus, quarum ope commode ex nauibus ad muros venire eosque adſcendere potuerunt. Fuſe ſambucarum harum rationem deſcripſit POLYBIVS *lib. VIII. cap.* 5.

IV) *Brachium*, valli genus, quod ceſpitibus ſtruebatur, & cui pinnæ addebantur, cuius rei HIRTIVM *de bell. Hiſpan. cap. VI.* LIVIVM *lib. XXXVIII. cap.* 5. & LVCANVM *lib. III.* v. 368. teſtes habemus.

V) *Cerui*, qui trunci ramoſi erant, a cornuum, quam habebant, forma ſic dicti. Vtebantur illis veteres ad terram in vallis ſtruendis coercendam: ad iter hoſti præcludendum & impediendum: ad aggerem muniendum, quum trunci iſti in exteriori vallo eminerent & inter loricam ligneam & aggerem ipſum inſerti eſſent: conf. RATBOD. HERM. SCHELIVS *tom. X. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1121. & IVST. LIPSIVS *lib. II. poliorc. dial.* 2. p. 526.

VI) *Styli cæci*, quos noſtra lingua *Fuſsangeln* adpellamus. Eorum a CÆSARE *lib. VII. de bello Gallico*

cap.

di præfixa, quod olim figuram capitis arietini habebat, vnde etiam nomen; postea simpliciter tantum

cap. 73. & HIRTIO *bell. African. cap.* XXI. mentio facta est:

VII) *Aggeres.* Fuerunt isti alta militaria sepimenta, ex arboribus, virgultis, terra, cespite aliaque materia composita, quæ muris hostium admouebantur, vt milites e propinquo contra illos pugnare, turres his imponere, & tormenta versus vrbem eo aptius dirigere possent. Consulas ANTON. THYSIVM *de oppugnat. vrb.* p. 169. & RATB. HERM. SCHELIVM *tom. X. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1123.

VIII) *Turres*, quæ ædificia bellica ex trabibus ac tabulis exstructa & corio crudi firmata muribusque ipsis hostilibus longiora & super rotas ea de caussa posita fuerunt, vt vrbi faciliori negotio admoueri possent. De earum structura hæc obseruat VEGETIVS *lib. IV. cap.* 17: *Præsens autem periculum ciuitatis est, si ad murum fuerit turris admota. Plures accipit scalas & diuerso genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cuius impetu destruit muros; circa mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, septumque de vimine, quem subito prolatum inter turrim murumque constituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in ciuitatem transeunt & occupant muros. In superioribus autem turris illius partibus contati & sagittarii collocantur, qui defensores vrbis ex alto contis missilibus saxisque prosternunt:* adde HIRTIVM *de bello Alexandr. cap.* I. CÆSAREM *de bello Gall. lib. II. cap.* 30. LIVIVM *lib. XXI. cap.* II. AMMIANVM MARCELLINVM *lib. XX. cap.* II. aliosque.

IX) *Pontes*, quorum varia apud veteres fuerunt genera. Vbi enim subito flumen traiiciendum erat, pontes partim ex iunctis inter se ratibus: partim ex doliis, siue cupis: partim ex vtribus, stramento repletis, compo-

tum acutum fuit. Hoc a militibus cum impetu agitato muros perforabant: IOSEPHVS *de bell. iud. lib. III. cap.* 9.

ponebantur; vt ex CÆSARE *de bello Gallic. lib. I. cap.* 12. HERODIANO *lib. VIII. cap.* 4. & 8. videmus. Imprimis de posteriori pontium genere erudite commentatus est CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diss. de colleg. vtricularior. §. XV. seq.* p. 43. eius *miscell. polit. humanit.*

X) *Terebra* arietis genus fuit, ita facta, vt in extremitate gladii, siue mucronis speciem haberet, & in muris foramina efficeret. Eius figuram exhibet IVST. LIPSIVS *libro memorato* p. 558.

XI) *Scorpiones*, qui a catapultis ita differre videntur, vt ex illis maiores, ex his vero minores emissæ fuerint sagittæ. Mentio huius tormenti militaris fit apud LIVIVM *lib. XXVI. cap.* 47. VEGETIVM *lib. IV. cap.* 22. & HIRTIVM *de bello Afric. cap. XXXI.*

XII) *Iacula*, quorum duo fuerunt genera. Alia erant ex ligno solum confecta, ad quorum classem ardentes ligneæ hastæ, contra hostes proiectæ, & *faces* adpellatæ: item *sudes*, siue gladii lignei præusti, variaque præpilata missilia pertinent. Alia ferrea fuerunt, ad quorum genus hastæ, lanceæ, veruta, gæsa, & alia instrumenta referri debent; quæ tamen armis potius, quam machinis bellicis adnumeranda sunt. Eadem est ratio fundorum, armentorum, arcuum cet. de quibus prolixe IVST. LIPSIVS sæpius laudatis *poliorcet. libris* agit.

XIII) *Currus falcatus*, qui a LVCRETIO *currus falcifer*, a SILIO *Italico couinus falcatus*, & a LIVIO *quadriga falcata* dicitur. Describit eius formam CVRTIVS *lib. IV. cap.* 9. §. 5. quando ita loquitur: *& inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum; aliæ deinde falces summis rotarum orbibus, & aliæ in terram demissæ, quidquid obuium concitatis equis fuisset, amputaturæ;* LIVIVS vero *lib. XXXVII. cap.* 41. de hoc instru-

Cap. II.

DE BALLISTA.

BALLISTA machina erat, qua trabes ferratæ, vt tela arcu, excutiebantur: *catapulta* iaciebat mo-

ſtrumento ſequentia prodidit: *falcatæ quadrigæ in hunc maxime modum erant. Cuſpides, circa temonem ab iugo decem cubita exſtantes, velut cornua habebant, quibus quicquid obuium daretur, transfigerent, & in extremis iugis binæ circa eminebant falces; altera æquata iugo; altera in terram devexa: illa, vt quicquid a latere obiiceretur, abſcinderet; hæc vt prolapſos ſubeuntesque contingeret.* RADERVS, SCHEFFERVS, STEWECHIVS aliique multam in eo poſuerunt operam, vt rite formam horum currúum deſcriberent atque exhiberent; minus vero inter ſe conuenerunt, quia non rite intellexerunt verba CVRTII, in quibus maiorem difficultatem ineſſe, ſibi perſuadent, quam re ipſa adeſt. Curtius ſpiculorum & falcium in curribus mentionem facit, & ſpicula inter radios eminuiſſe, falces vero duplices fuiſſe, tradit, dum alias ſummis rotarum orbibus hæſiſſe, alias autem in terram ita demiſſas eſſe ſcribit, vt quodcunque obuiam concitatis equis venerit, amputauerint. Ex vocabulo illius *obuium* merito colligitur, poſterius falcium genus ea adſcidiſſe, quæ in ipſa via ideoque ſub ipſo curru fuerunt, hocque & innuit LIVIVS, quando *loco memorato* ſcribit: *cuſpides, circa temonem ab iugo decem cubita exſtantes, velut cornua habebant.* Quæ vbi obſeruantur, Curtii verba ſatis luculenta eſſe arbitror. Nam aperte ſignificat:

1) Quod falces fuerint in ſummis rotarum orbibus; ſiue in ea rotæ totius parte, quæ *canthus* adpellatur. Hæ falces verſus terram deflexæ fuiſſe videntur, vt omne, quod iuxta vtraque currus latera erat, eo facilius

molares lapides ; sicuti funda minores. Sic CÆSAR distinguit *de bell. ciu. lib. II. cap. 2. num. 2. &*

S 5 *cap.*

lius abscinderent & dirimerent. Atque eo spectant verba: *aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant:*

2) Quod falces in axi ipsa fuerint; siue in ea trabe, circa quam tota rota vertitur. In medio totius axis, adeoque sub ipso curru, falces fuisse, sane non solum ex Curtio patet, qui falces has quæuis obuia abscidisse refert; sed etiam ex ipsa re colligi potest. Secundum Livium enim in terram demissæ erant; quodsi vero in axium extremitatibus fuissent, nullum plane habuissent vsum, nisi ipsis rotis longiores exstitissent; hoc vero rotarum cursum impediuisset. Ad hæc, si etiam non longiores fuissent, facile tamen comprehendi potest, in ipsis falcibus canthi has axium falces impingere necessario debuisse; quod vero itidem currum retardasset. *In terram demissæ* dicuntur hæ falces, quoniam sub ipso curru in axibus ita oblique adfixæ erant, vt earum extremitates terram fere tangerent. Indicat quoque Curtius:

3) Quod spicula his falcibus Romani addiderint. Quoniam autem CVRTIVS refert, ea inter rotarum radios eminuisse, id de modiolis, in quibus rotarum radii defixi erant, intelligendum esse credo. In extrema enim modiolorum parte ita adfixa fuisse videntur, vt recta a duobus currus lateribus prominerent: cum ipsa rota ac radiis circumagerentur, & quicquid a latere erat, grauiter vulnerarent. IAC. PERIZONIVS *in Curtio vindicato* p. 164. seq. itidem currus falcatos descripsit, quamuis formam horum curruum non plane adcurate exhibuisse videatur, præsertim in eo falcium genere, quæ sub ipso curru fuerunt. De iis, quæ STEWECHIVS, SCHEFFERVS, HVGO, THYSIVS, PITISCVS aliique de hoc argumento edisseruerunt, consulto taceo.

XIV)

cap. 9. num. 3. Alius loquendi vsus erat antiquiorum, balliſtis lapides, & trabes catapultis tribuentium. Vid. CICERONEM *Tuſcul. lib. II. cap. 24.* & PLAVTVM *capt. act. IV. ſcen. 2. v. 16.* quos etiam poſt Cæſarem Tacitus, Seneca aliique imitantur.

CAP. III.

DE HELEPOLI.

HELEPOLIS turris militaris genus fuit, poſteriori æuo ad expugnandas vrbes inuentum; cuius ſtructuram deſcripſit AMMIANVS *in Iuliani expeditione lib. XXIII. cap. 5.*

CAP. IV.

DE TVRRE ROTATA.

TVRRIS rotata ex ligneis contabulationibus conſtabat, vt altitudinem muri æquaret vel ſuperaret; & rotis imponebatur, vt facilius ad muros admoueri poſſet. Si quid proximum acceſſum

XIV) *Tollenon* itidem inſtrumentum bellicum fuit. De eius forma ſic ſcribit VEGETIVS *lib. IV. cap. 21*: *Tollenon dicitur, quoties vna trabes in terram prælte defigitur, cui in ſummo vertice alia transuerſa trabes longior dimenſa medietate connectitur, eo libramento, vt, ſi vnum caput depreſſeris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus, ſiue tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto depreſſoque, alio capite eleuati imponuntur in murum*: adde STEWECHIVM not. ad hunc locum, & IVST. LIPSIVM *poliorcet.* p. 483.

sum impediret, ponticulus superiori parti adiunctus in murum demittebatur. Vid. LIVIVM *lib. XXI. cap.* II. & adde CVRTIVM *lib. IV. cap.* 6. *num.* 9. & *lib. VIII. cap.* 10. *num.* 32.

CAP. V.

DE MVSCVLO.

MVSCVLVS & vinea erant machinæ, quibus milites vrbem oppugnantes tegebantur. CÆSAR *de bell. ciuil. lib. II. cap.* 10. *cap.* 2. *num.* 1. & *de bell. gallic. lib. VII. cap.* 27. *num.* 2. pluteus autem asseres ad milites a latere, vel fronte etiam defendendos, quamquam & integræ machinæ sic dictæ leguntur. Vid. CÆSAREM *de bell. gallic. lib. VII. cap.* 25. *num.* 1. & *de bell. ciuil. lib. I. cap.* 25. *num.* 10. *lib. II. cap.* 9. *num.* 5.

CAP. VI.

DE TESTVDINE.

TESTVDO sequitur, hoc est, continuata scutorum inter se supra militum capita iunctorum series: qua tecti succedere ad murum, aut inuadere hostem, aut repellere inuadentem tuto poterant. LIVIVS *lib. XLIV. cap.* 9. *lib. XXXI. cap.* 39. CÆSAR *de bell. gall. lib. II. cap.* 6. *num.* 2. CVRTIVS *lib. V. cap.* 3. *num.* 9. 21. 23. FLORVS *lib. III. cap.* 10. *num.* 13. DIO *lib. XLIX. p.* 409. Inferiores autem scriptores *testudinum* nomine tamquam communi machinarum tegentium vocabulo vtuntur, vt vineas etiam & alia huiusmodi comprehendat. De his singulis præclare agit & ad-

adcurate LIPSIVS in *poliorceticis* & de *militia romana*.

CAP. VII.

DE CORONA.

CORONA supereſt, & circumuallatio, quibus vrbes olim capiebantur. Corona erant milites circa vrbem conſtituti, ita, vt vir quaſi virum tangeret: vt nihil ingredi, nihil egredi inuitis oppugnatoribus poſſet. Quod vero eruptiones timendæ erant, coronam non ſimplicem, ſed duplicem, vt vna ſubſidio alteri eſſet; ſæpius etiam triplicem faciebant. Id dicunt hiſtorici, vrbem corona capi, quod plerumque fiebat in tumultuaria & feſtinata oppugnatione. Exempla vide apud CÆSAREM *de bell. gall. lib. VII. cap.* 72. *num.* 23. & LIVIVM *lib. XLIII. cap.* 18. Circumuallatione vallum circa vrbem erigebatur, quod diſtinctum multis turribus & caſtellis erat, defenſionis cauſſa: CÆSAR *de bell. gall. lib. VII. cap.* 11. *num.* 1. & CICERO *lib. XV. ep.* 4. *num.* 21.

SECT. VI.

DE MILITIA NAVALI.

CAP. I.

DE ROSTRIS.

NAVALIS militia vim maximam in roſtris habebat, quæ ex ferro conſtabant. Olim hæc adunca erant, inſtar roſtri auium, vnde nomen hæſit: poſtea directa & plerumque triſulca, inſtar tri-

tridentis. Hoc ferrum magni ponderis præfixum proræ erat ex parte inferiore: vnde, si navis remigio agitaretur in hostilem nauem, perforari poterat & deprimi. CÆSAR *de bell. gall. lib. III. cap.* 13. *num.* 8. & *de bell. ciuil. lib. III. cap.* 101. *num.* 2. HIRTIVS *de bell. Alexandr. cap.* 44. *num.* 4.

CAP. II.

DE NAVIBVS.

§. I.

NAVIBVS vtebantur veteres minoribus agilitatis caussa; sed quod magnitudini deerat, multitudine supplebatur. Sic legimus, bello Punico primo vtramque rempublicam, Romanam & Carthaginiensem, classem habuisse: singulas nauium trecentarum, quadringentarum & plurium: EVTROPIVS *lib. II. cap.* 12. *num.* 1. 4. 6.

§. II.

Bellicis his, siue rostratis nauibus addebantur aliæ onerariæ ad commeatum bellicumque adparatum aduehendum: LIVIVS *lib. XXXII. cap.* 18. & PLVTARCHVS *in Pompeio p.* 624.

§. III.

Liburnæ naues ex leuiorum biremium genere erant: a Liburnis, populo Illyriæ, qui inuenerat, ita dictæ. APPIAN. *Alexandr. de bell. ciuil. lib. II. p.* 452. EVTROPIVS *lib. II. cap.* 10. *num.* 9. Remis vero vtebantur veteres plerumque, quoniam his opus est in mari mediterraneo, in quo malacia sæpe, seu ventorum quies suboritur. n) §. IV.

n) Antiquitates, quæ ad rem veterum nauticam pertinent,

§. IV.

Ceterum nauis, quæ ducem ferebat, dicta fuit *prætoria*, quemadmodum milites nauales, distincti a remigibus, vocabantur *classiarii*. LIVIVS *lib. XXXVII. cap.* 29. & TACITVS *annal. lib. XV. cap.* 51. *num.* 1.

SECT. VII.

DE PRÆMIIS MILITIÆ ROMANÆ.

CAP. I.

DE CORONIS.

§. I.

PRÆMIA erant vel militum, vel summorum ducum. Militum vt plurimum coronæ erant: mino-

nent, illustrarunt: IO. SCHEFFERVS *lib. IV. de milit. nauali*, qui Vpsal. MDCLIV. prodierunt: LIL. GREG. GYRALDVS *libr. de nauigiis*, *tom. I. operum* p. 571. STEWECHIVS *not. ad vltimum Vegetii librum.* His addendi sunt scriptores, qui in thesauris antiquitatum Græcarum Gronouii & Romanarum Græuii exstant; STEPHANVS videlicet DOLETVS *libro de re nauali*: CÆLIVS CALCAGNIVS *comment. de re nautica*: IOS. LAVRENTIVS *diss. de varietate nauium*: MARC. MEIBOMIVS *libr. de fabrica triremium*: CONSTANTINVS OPELIVS, qui ipse forsan SCHEFFERVS est, *epist. de fabrica triremium*, Meibomio opposita: ISAAC. VOSSIVS *diss. de triremium & Liburnicarum constructione.* Plures scriptores recenset IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar.* p. 549.

Landesbibliothek Oldenburg

minorum ducum etiam *coronæ*, o) item *hasta pura*: summorum ducum *triumphus*; aut signa triumphalia: etiam supplicationes.

§. II.

Coronarum genera describit GELLIVS *lib. V. cap.* 6. In iis primum erat *corona ciuica*, maximæ omnium dignitatis, ex fronde querna facta, quæ dabatur *ob ciuem seruatum*, id est, quando quis romanum ciuem, in acie trucidationi, aut captiuitati proximum, seruasset. Vid. PLINIVM *lib. XVI. cap.* 4. Iulius Cæsar tali corona donatus est adolescens, apud SVETONIVM *cap. II.* Etiam imperatoribus offerebatur a ciuibus, quando illi rempublicam seruassent, vt est apud CAPITOLINVM *in vit. Marci cap. XII.*

§. III.

Secundum erat *obsidionalis corona*, quæ dabatur ei, qui obsidione vrbem liberauerat, vel castra.

§. IV.

Tertium, *corona muralis* dabatur ei, qui primus

o) De variis his coronarum generibus præ ceteris digni sunt, qui legantur: CAROLVS PASCHALIVS, cuius opus *de coronis*, Paris. MDCX. & Lugd. Batau. MDCLXXI. prodiit: ANSELMVS BANDVRVS *ad antiqu. Constantin.* p. 477. IOACH. IO. MADERVS *libr. de coronis sacris pariter & profanis:* IOANNES CIAMPINI *tom. I. vet. monument. cap. XIV.* GAILLARDVS GVIRANVS *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 1021. FORESTO FORESTI *in trattato delle gentilizie insegne, volgarmente dette arme delle famiglie*, Brixiæ, ante aliquot annos edito, vbi pari modo de coronis triumphalibus, oualibus & ciuicis Romanorum exponit.

Landesbibliothek Oldenburg

in murum hostilem adscendisset, apud LIVIVM *lib. X. cap.* 46. *lib. XXVI. cap.* 48.

§. V.

Quartum *corona castrensis*, quæ etiam *vallaris* dicebatur, data ei fuit, qui primus hostium castra pugnans introiit. LIVIVS *lib. XXX. cap.* 28. exemplum habet.

§. VI.

Quintum *corona naualis*, quæ data fuit ei, qui nauali prælio primus in nauem hostium transilierat. Vocata etiam est corona *rostrata* a rostratis nauibus apud PLINIVM *lib. XVI. cap.* 4. Huius generis coronam Agrippa meruit bello Siculo, Pompeio victo, vt apud DIONEM est *lib. XLIX. p.* 400.

CAP. II.

DE TRIVMPHO.

§. I.

TRIVMPHVS summus honor erat, qui Romanis poterat contingere. Re enim bello feliciter gesta, & multis millibus hostium cæsis, p) ita, vt pauci in exercitu romano desiderarentur, victori triumphus a senatu q) decretus est.

§. II.

p) Quodsi dux augustum hoc triumphi præmium auferre volebat, is vltra quinque millia hostium legitimorum in vna acie, suis auspiciis ita occidere debuit, vt ad imperium Romanum hac victoria insignis redierit fructus, testibus HORATIO *lib. IV. od.* 14. v. 33. & VALERIO MAXIMO *lib. II. cap.* 8. §. 1.

q) Triumphum etiam legatis concessum esse ex sententia eius,

§. II.

Ingens pompa: senatus egrediebatur vrbe, aliique proceres, vt victorem introducerent, qui curru sublimis vehebatur, a quatuor albis equis tracto, laureatus, purpuratus, in capitolium per forum & viam sacram adscendebat. Præibant currum nobiles captiui, catenis vincti: præferebantur fercula varii generis, quæ pretiosissimam prædam continebant, & pictas imagines vrbium captarum, ducum cæsorum, aliorumque memorabilium. Exercitus sequebatur lætabundus & licentius etiam iocabundus. r) Peractis in capitolio sacris, epulum

eius, qui prouinciam tenuit, DIO CASSIVS obseruat, p. 382. A senatu per ordinem decernebatur triumphus, quamuis & hoc, inuito eo, ab ipso populo factum esse, ex DIONYSIO *Halicarnassęo lib. IX. cap.* 50. discamus.

r) Die a senatu præfinito, imperator, veste triumphali & laurea ornatus, in curru pretioso, rotundo & ex ebore facto, per vrbem ad Capitolium ducebatur. Currum trahebant per ordinem equi albi; nonnunquam autem cerui, leones, tigrides, aut elephanti: conf. EZECH. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 216. In tanta pompa primi incedebant lictores & magistratus, quos tubicines, victimæ, & captarum vrbium, montium ac fluuiorum simulacra sequebantur. Post hoc conspectui offerebantur aurum, argentum, æs rude, tabulæ, signa aurea, argentea, ærea & eburnea, gemmæ, ac varii generis vestes pretiosæ; deinde vero coronæ, militibus Romanis virtutis caussa adsignatæ: gentium victarum arma: pecunia signata; vasa argentea & aurea: elephanti gentium victarum: currus, aliaque ducum captiuorum ornamenta: ipsi reges

lum publicum dabatur, per omnem ciuitatem, senatui & proceribus in capitolio.

§. III.

De curru s) & lauro t) res nota est, adeo, vt etiam hæ simplices voces interdum significent triumphum. u) FLORVS *lib. IV. cap.* 12: *digna res lauris, digna curru senatui visa.* De ferculis ibidem agitur in triumpho Cæsaris. De equis, de captiuis ante

ges captiui cum tota familia: reliquæ gentes bello captæ: lictores laureati, atque is, qui victis insultabat. Tum currus cum imperatore triumphante sequebatur, ita, vt non solum ante, sed & post eum tubicines ac alii cum pretiosis suffimentis incederent. Denique propinqui eius: ministri & scutiferi, legati, tribuni, aliique exercitus duces: ipsi exercitus Romani, in legiones, cohortes, centurias & manipulos distributi, conspiciebantur. Imagines triumphi huius Romanorum imperatorum exhibent: PETR. IOS. CANTELIVS *de republ. Rom.* p. 219. SAM. PITISCVS *not. ad Suetonium vit. Cæs. cap. LXXX.* p. 136. LAVR. BEGERVS *not. ad Florum lib. II. cap.* 12. ac reliqui.

s) De curru triumphali vide HENR. NORISIVM *diss. de nummo Dioclet. cap. V. & VI. tom. I. thes. Sallengriani*, p. 413. seq. & SIGEB. HAVERCAMPIVM *not. ad Tertulliani apologet. cap. XXXIII.* p. 288.

t) Triumphanti corona propter nimium pondus sustinebatur a seruo publico; non autem a carnifice, vt ISIDORVS habet. Seruus hic publicus simul attendere iubebat imperatorem ad vltimi supplicii instrumenta, currui adpensa, quæ tintinnabulum & flagellum erant: conf. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 281. ed. *Græuii.*

u) Triumphi ius longe maius atque illustrius fuisse, quam laureæ, satis monstrat laudatus CASAVBONVS *not. ad eundem scriptorem* p. 721.

Landesbibliothek Oldenburg

ante currum OVIDIVS *lib. I. de arte amand. v.* 214. canit:

Quatuor in niueis aureus ibis equis:
Ibunt ante duces, onerati colla catenis.

§. IV.

Adclamatio erat, x) IO TRIVMPHE! OVIDIVS *lib. IV. triſt. eleg.* 2:

- - - ioque
Miles io, magna voce, triumphe canit.

Singula videtur CICERO complexus eſſe *in Piſon. cap. XXV: Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid tota illa pompa? inania ſunt iſta: mihi crede, delectamenta pæne puerorum.* z)

x) De hoc adclamandi modo fuſe diſſerunt: FRANC. BERNARDIN. FERRARIVS *de vet. adclamar. & plauſu lib. IV. cap. 9. lib. VI. cap. 9.* ſeq. EZ. SPANHEMIVS *de vſu & præſt. numiſm. tom. II.* p. 223.

z) De triumphis Romanorum præter MARLIANVM, SIGONIVM, PIGHIVM aliosque videndi ſunt: ONVPHR. PANVINIVS *comm. de triumpho*, qui cum notis IOACH. IO. MADERI *tom. IX. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1336. exſtat: FRANC. MODIVS *lib. II. de triumphis, ludis & ſpectaculis veterum:* IO. NICOLAI *libr. de triumphis:* HVB. GOLTZIVS *faſt. magiſtr. & triumph. Rom.* IO. SERVILIVS *de admirandis antiquor. oper. lib. III. cap. LX. ſeq.* MARTINVS DE GVICHARDO *noct. Granzouian. de triumphis antiquis:* EZECH. SPANHEMIVS *de vſu & præſt. numiſm. tom. II.* p. 210. SAGITTARII, TRABITII, RVPERTI, SCHIEFERDECKERI, aliorumque ſingulares de hoc argumento diſſertationes tacitus prætereo.

De

Cap. III.

DE OVATIONE.

§. I.

Hæc de triumpho maiori. Erat etiam triumphus minor, quem *ouationem* dixerunt, a verbo *ouare*, quod est, *minorem triumphum agere*, quando videlicet minus illustris victoria fuerat. In eo differentia vt plurimum erat, a) quod triumphantes curru inuehebantur in vrbem: ouantes equo, aut pedibus; vt plurimum vero pedibus ibant. Exempla sunt apud VELLEIVM *lib. II. cap. 96*: *Huius victoriæ compos Nero*, forsitan Tiberius, *ouans triumphauit*; & *cap.* 122: *Quis dubitare potest, quin ex Armenia recepta ordinatisque rebus orientis, ouans triumphare debuerit? & Vindelicorum Rhætorumque victor curru vrbem ingredi?*

§. II.

De spoliis bellicis, tropæis, arcubus triumphalibus, columnis, obeliscis cet. commentati sunt: IVL. CÆS. BVLENGERVS *libr. de triumphis, spoliis bellicis, tropæis, arcubus triumphalibus:* FRANC. MODIVS *libr. excitato cap. XXVII.* FORTVNAT. SCACCHVS *in myrothecio III. cap. XXIII.* p. 890. NIC. BERGIERIVS *de publ. viis imper. lib. II. cap.* 40. HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisan. diss. III.* p. 413. IO. BAPT. CASALIVS *de vrb. ac imper. Rom. splendor. part. II. cap.* 1.

a) Discrimen, quod inter ouationem & triumphum fuit, fusius ostendunt supra memorati de triumphis scriptores, inter quos FRANC. MODIVS inprimis commendandus est. Sæpe vocem *ouationis* de solemni triumpho vsurpatam fuisse, GEORG. HENR. VRSINVS *observat. philol. cap. IX.* docet.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Sic, quo minus nobilis victoria bello seruili erat, Perpernæ apud FLORVM *lib. III. cap.* 19. minor triumphus tributus fuit: *de seruis ouatione contentus fuit, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione violaret.* Apud LIVIVM quoque exempla occurrunt *lib. XXXI. cap.* 20. & *lib. XLI. cap. vlt.* Vtrobique formula: *vt ouans vrbem iniret.* Et *libr. XXXIV. cap.* 10: *ouans vrbem est ingressus.*

§. III.

Quando vero iis quoque, qui sibi dignissimi triumpho videbantur, per inuidiam, vt fit, interdum negatus fuit triumphus, ipsi, contumeliam non ferentes, in monte Albano triumpharunt citra senatus auctoritatem. Exempla eius rei sunt apud LIVIVM *lib. XXXIII. cap.* 23: *Q. Minucius quum aduersum omnem senatum videret, in monte Albano se triumphaturum dixit;* & *lib. XLII. c.* 21: *Caius Cicereius, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho in monte Albano, quod iam in morem venerat, vt sine publica auctoritate fieret, triumphauit.*

§. IV.

Quum cæsares rerum potirentur, sibi solis eximium triumphi honorem rati conuenire, ducibus suis post victoriam tantum insignia, vel ornamenta triumphalia conferebant, qui honor postea inter priuatos fuit maximus. SVETONIVS *vit. August. cap.* 38: *nec parcior in bellica virtute honoranda, supra triginta ducibus iustos triumphos*

& aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. Adde TACITVM *in Agric. cap.* 40. & *lib. I. annal. cap.* 72.

§. V.

Cum triumpho conuenientiam etiam habebat *depositio lauri in gremio Iouis*, qua quasi gratiæ actæ sunt Ioui pro victoria concessa. Ritus describitur apud PLINIVM *paneg. cap. VIII. p.* 7: *adlata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, vt inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat: quum repente solito maior & angustior aduocata hominum concione deorumque, te filium sibi, hoc est, vnicum auxilium fessis rebus adsumsit. Inde quasi deposito imperio, qua securitate, qua gloria lætus, nam quantulum refert, deponas; an partiaris imperium? nisi quod difficilius hoc est, non secus ac præsenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua iuuenta, tuo robore invaluit?* adde notas nostras & hæc SVETONII verba *vit. Domitiani cap. VI: de Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo capitolino Ioui retulit.*

LIB.

LIB. IV.

DE ANTIQVO IVRE POPVLI ROMANI.

SECT. I.

DE IVRE CIVIVM ROMANORVM.

CAP. I.

DE ORTV ET PROGRESSV CIVITATIS ROMANÆ.

§. I.

IVS ciuitatis Romanæ b) fuisse maximæ & ampliſſimæ dignitatis, tam ex ſacra Paulli apoſtoli,

b) Ex quo imperium Romanum ſeſe per vniuerſum fere terrarum orbem extendit, quatuor fuere ei ſubiectorum hominum genera, quatenus iura, quibus quilibet horum ordinum fruebatur, conſiderantur. Aliud enim ius ciuitatis: aliud Latii: aliud italicum & aliud prouinciale fuit. Cuius rei teſtimonium præbent hæc imperatoris Claudii apud TACITVM verba, *lib. XI. annal. cap. 24. omnia, patres conſcripti, vetuſtiſſima creduntur, noua fuere plebeii magiſtratus poſt patricios; Latini poſt plebeios, ceterarum Italiæ gentium poſt Latinos;* de prouincialium vero iure SVETONIVS *vit. Veſpaſ. cap. IX.* videndus eſt. Quodſi de origine diuerſorum horum iurium ac priuilegiorum quæratur, obſeruandum eſt, eam ex variis fœderum generibus ortam eſſe. Triplex ſocietatis ineundæ ratio Romanis vſitata erat, quum prima per ſponſionem: ſecunda per pactionem; tertia vero

qui bis ad illud prouocauit tamquam ciuis: c) quam ex profana hiſtoria luculentum eſt. Sub regibus non quidem optimo iure ciues vtebantur, adſcitis in ciuitatem quibusque peregrinis, etiam hoſtibus deuictis: d) CICERO *pro Balbo cap. XIII.* Ex-

vero per fœdus abſolueretur. Fœderum porro diuerſæ erant ſpecies. Modo enim victis pax concedebatur, quorum conditio omnium miſerrima erat: modo gentes, armis viribusque pares, ſocietatem inibant & pacem faciebant: modo ii, qui nunquam antea hoſtes fuerant, fœdus & amicitiam conſtituebant. Pro hoc fœderum diſcrimine ipſa quoque iura ac priuilegia & deteriora & honeſtiora erant.

Multi iura iſta ciuitatis Romanæ illuſtrare & doctis perſequi commentariis, ſuſceperunt. Inter hos principem ſibi vindicant locum: CAROL. SIGONIVS *de antiquo iure ciuium Rom.* EZECH. SPANHEMIVS *orbe Romano:* ONVPHR. PANVINIVS *de imperio Rom. cap. V.* HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 194. ſeq. PETR. IOS. CANTELIVS *de republ. Rom.* p. 182. & IOH. GOTTL. HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. iurisprud. illuſtr.* p. 262. ſeq.

c) Conf. auctoris *diſſertationem de ciuitate Romana Paulli*, quæ in eiusdem *diſſ. academ.* p. 710. exſtat: IO. MICH. DILHERRVM *diſſertation. philol. tom. I.* p. 236. IO. ERNEST. BVTTNERVM *diſſ. de ciuitat. Romana, virgidemiis exacta*, & SALOM. DEYLINGIVM *obſ. ſacr. part. III.* p. 388. Alios breuitatis cauſſa ſilens tranſeo.

d) Prudenti ſane conſilio hoc fecerunt Romani, quippe quibus nihil magis curæ erat, quam multitudinem ciuium numeroſiorem reddere. Tota enim vrbis ſalus in armorum vi erat collocata. Hinc Romulus iam Cæninenſibus, Camerinis, Antemnatibus, Cruſtuminis, qui in vrbem ſe contulerant, ciuitatis iura impertiuit, vt DIONYSIVS *Halicarnaſſeus antiquit. Rom. lib. II.* p.

Exactis regibus aucta ciuium dignitas, & breui post ampliati honores, plebeio magistratu inducto.

p. 103. & III. LIVIVS *lib. I. cap.* 13. & TACITVS *lib. XI. annal. cap.* 24. testantur. Idem & sub ceteris regibus, &, post hos exactos, sub libera republica factum est, id quod ex CICERONE *pro Balbo cap. XXXI.* & LIVIO *lib. VI. cap.* 4. patet. Postea non iis tantummodo, qui Romæ & in agro Romano sedem sibi constituerant, vt adhuc factum erat; sed & peregrinis aliarum ciuitatum incolis: immo victis hostibus iura ciuium Romanorum concedebantur. Vti vero eiusmodi populi ciuitate donati *municipes;* ita illi, qui Romæ ipsi commorabantur, *ciues ingenui* adpellati sunt. Municipes tam in suo municipio, quam Romæ magistratus gerere & honores petere potuerunt. Deinde, quo magis dignitas Romanæ ciuitatis crescebat; eo parciores Romani in conferendis eiusmodi iuribus fiebant, ita, vt vix quibusdam Latii populis ea dederint. Ad hæc accedebat etiam, quod post tertium Sp. Cassii consulatum, anno vrbis conditæ CCLXVII. pro diuersa sociorum conditione, ciuitas Romana mox sine suffragii iure; mox cum eo deferri soleret: conf. A. GELLIVS *lib. XVI. cap.* 13. & LIVIVS *lib. VIII. cap.* 14. & 17. *lib. IX. cap.* 43. Per legem porro Iuliam & Plotiam cum omnibus Latinis atque Italis ciuitas hæc communicabatur, ita, vt ex eo tempore omnes per vniuersum Latium & Italiam pari iure vterentur. Tempore Iul. Cæsaris Gallia cisalpina, tam cispadana, quam transpadana, vna cum Venetis ius ciuitatis nanciscebatur, id quod ab eodem imperatore Gaditani aliique ciuitatum Hispaniæ incolæ; per testamentum vero, ab Antonio postea confirmatum, Siculi acceperunt. Imperatores Augustus, Tiberius & Caius Caligula ciuitatem paucis dederunt, ne dignitas illius, vbi omnes ea fruerentur, diminueretur. Claudius imperator Latinis, naues fa-

§. II.

Creuit autem romana ciuitas, receptis peregrinis, quod insolens apud Græcos erat; & Romæ maxime factum post captam a Gallis vrbem. Actum quidem aliquoties de peregrinis reiiciendis; sed CICERO *lib. III. officiorum cap.* II. inhumanum dixit.

§. III.

Nec peregrinis modo ciuitas, sed seruis etiam bene meritis aliquando simul cum libertate data fuit. CICERO pro *Balbo cap. IX.*

CAP.

fabricantibus, non solum quiritium ius dedit; sed etiam Galliam comatam iure, suffragia ferendi & honores petendi, ornauit. Neronem Achaiæ incolis libertatem; Galbam vero Bargiasensibus, Lacobrigensibus, Vesontinis, aliisque: Othonem Lingaribus: Vespasianum Stobiensibus ciuitatem dedisse, nummi veteres & varia auctorum effata confirmant. Traianus & Adrianus itidem maxime liberales sese gesserunt. Nonnulli etiam Adriano huic notissimam illam constitutionem de ciuitate, cum vniuerso Romano orbe communicata, adsignant; alii vero rite monstrarunt, istam nec Adriano, nec Antonino imperatori, aut Commodo, aliisque, sed iure meritoque Caracallæ tribuendam esse. Ex his igitur, quæ duce HEINECCIO *loco memorato* tradidi, satis patet, ciuitatem Romanam primum Romæ agrique Romani incolis, tum nonnullis Latii municipiis: postea vniuerso Latio atque toti Italiæ: deinde variis extra Italiam oppidis, ac denique omnibus, pro hac Caracallæ constitutione in orbe Romano ingenuis concessum fuisse.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. II.

DE PRIVILEGIIS CIVIS ROMANI.

§. I.

Ivs ciuitatis simpliciter *ciuitatem* adpellant scriptores. Et hæc tum in aliis priuilegiis, e) puta

e) Haud abs re erit, omnia ciuis Romani iura ac priuilegia distincte, sed breuiter recitare. Sunt ista:

1) *Ius libertatis*, cuius variæ erant partes. Liberi enim erant Romani 1) *a dominorum potestate*, quum nemo ciuium Romanorum seruus, nisi per captiuitatem, aut dolosam venditionem, fieri posset, teste CICERONE *pro dom. cap. XXIX.* 2) *Ab impotente regum dominatione.* Per legem enim tribunitiam, a Iunio Bruto latam, Romani, quemdam regnare imperiumque sibi soli vindicare, haud patiebantur. 3) *Ab duriore magistratuum imperio*, quo per leges Valerias, a P. Valerio Poplicola promulgatas, & postea a L. Valerio Coruo, M. Porcio Læca & Sempronio Graccho confirmatas, prouocatio a magistratu ad populum concedebatur, & magistratibus omnis potestas, ciuem Romanum extremo supplicio, flagris, verberibus adficiendi, ac in vincula duriora, sine ipsius populi consensu, ducendi, adimebatur: videatur CICERO *orat. Verrin. V. cap.* 54. seq. Atque hæc eximia populi iura tribuni plebis maxime tuebantur, ac, quo minus infringeretur eorum auctoritas, impediebant. 4) *A sæuitia creditorum*, qui primo obæratos ciues vincire, ad seruitutem cogere, bona eorum inter se dispertire, & sæuam immanitatem ac crudelitatem contra eos exercere poterant, vt ex *legibus duodecim tabularum* & GELLIO *lib. XX. noct. Attic. cap. I.* patet. Hanc vero licentiam postea lex Poetilia anno vrbis conditæ CCCCXXVII. C. Poetilio & L. Papirio consulibus, præcidit, quam in rem LIVIVS *lib. VIII. cap.* 28. legendus est.

II)

ta libertatis, suffragiorum, honorum; tum maxime in vinculorum, verberum ac necis remotione, lege

II) *Ius suffragiorum*, quo libere suffragia sua ferre potuerunt, id quod ante in comitiis fiebat voce; quum vero istud nonnunquam periculosum videretur, libertas ipsis etiam concessa est, per tabellas sententiam suam dicendi, quo leges a tribunis plebis, A. Gabinio, L. Cassio, C. Papirio Carbone & Cælio Caldo latæ, pertinent: conf. CICERONEM *lib. III. de leg. cap.* 16.

III) *Ius gentilitatis.* Romulus enim vniuersum populum in duas gentes diuisit. Qui enim in ciuitate genere, sapientia atque opibus eminebant, ac salutaria ipsi in imperio suppeditabant consilia, illos adpellauit *patres*; reliquos vero omnes *plebem.* Qui ergo ex plebe erant, *plebeii*; qui vero ex patribus, *patricii* vocati sunt. Quælibet gens singularia sua iura habebat, quæ prima ætate apud patricios in auspiciis & magistratuum gerendorum potestate potissimum posita erant, quamuis omnia fere priuilegia patriciorum, per quæ iis solis aditus ad senatum, sacerdotia, magistratus & iudicia patebat, cum plebe postea communicata sint, qua de re iam supra egi.

IV) *Ius connubiorum.* Vetita erant enim connubia inter patricios & plebeios: connubia ingenuorum cum libertinis: Latinorum cum ciuibus Romanis, & generatim omnia matrimonia cum peregrinis ac barbaris. Sæpe tamen sequenti tempore leges istæ non valuerunt, atque a populo, senatu ac principe postea ius, cum peregrinis matrimonium contrahendi, Romanis concessum fuit. Immo per legem Papiam libertinas ducere vxores, ciuibus licitum fuit, præter senatores eorumque liberos, quibus hoc non permittebatur: conf. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 9. Vnde & in inscriptionibus *coniugii libertarum* fit mentio, apud GRVTERVM p. DLXVII. *num.* 8. p. DCCCCXXXV. *num.* 5. atque alios. V)

lege Cornelia & Porcia, consistebat, vt de iure testamenti, connubii, hereditatis, potestatis patriæ &

V) *Ius patriæ potestatis*, quod apud Romanos maius, quam vnquam apud alios fuit populos. Pater enim in filium habebat ius vitæ & necis: facultatem, eum exponendi, abiiciendi, ad opus grauissimum condemnandi, eumque ter vendendi, quod ne cum seruis quidem fieri licebat. Præterea omnia bona, quæ filii adquirebant, pater sibi vindicare, eosque etiam, sine caussa addita, exheredare poterat. Habebant hanc potestatem non solum in liberos, sed etiam in nepotes ac pronepotes. Quo cultiores vero Romani fiebant; eo magis hæc seueriora iura mutata sunt, inprimis sub imperatoribus, qui patriam hanc potestatem cum suo imperio non conuenire existimarunt. Plura dabit IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. antiqu. Roman. iurisprud. illustrant.* p. 140.

VI) *Ius legitimi dominii.* Dominium apud Romanos vel *quiritarium & legitimum*, vel *bonitarium & naturale* fuit. Dominium *legitimum* adquirebatur per iustam hereditatem: per mancipationem, cessionem in iure, emtionem sub corona: auctionem, traditionem, adiudicationem; aut legem singularem constitutam. Discrimen inter dominium *quiritarium & bonitarium* præcipue in eo positum fuit, quod domini *quiritarii*, re vsucapta, ab omnibus litibus ac iurgiis liberi essent; secus autem hoc in dominis *bonitariis* se habebat. Videantur: CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. II.* p. 150. WILH. ALOON *de manumiss. cap. I. seq.* BARN. BRISSONIVS *select. antiqu.* p. 78.

VII) *Ius testamenti.* Ciues soli testamentum facere & hereditatis participes fieri poterant.

VIII) *Ius vsucapionis.* Vsucapio est adquisitio rei alienæ per vsum legitimi temporis. Fruebantur hoc iure soli ciues; peregrinus autem rem alienam per possessionem

& militiæ legionariæ taceamus. Vide CICERONEM *pro Rabir. cap. IV. in Verrem orat. VII. cap. 66.* LI-

sionem sibi vindicare non potuit. Legantur: CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. II.* IAC. RÆVARDVS *ad leg. XII. tabul. cap. XVII.* & CONR. RITTERSHVSIVS *ad easdem leg. cap. XIII. seq.*

IX) *Ius census.* De censu iam supra diximus. Ciues tantum in censum referebantur, & qui nomina sua censualibus tabulis inscribenda curabant, illi ciuitatis etiam Romanæ iura nanciscebantur.

X) *Ius militiæ.* Antiquis temporibus in legiones Romanas nemo, nisi ciuis Romanus, & quidem ingenuus & in quinque classibus census adlegebatur; libertini vero, capite censi, histriones, aliique huius generis homines excludebantur, quæ omnia sub imperatoribus inuersa & mutata sunt.

XI) *Ius tributorum & vectigalium*, de quibus postea plura dicemus.

XII) *Ius suffragiorum*, quo ciuibus omnibus in comitiis libera suffragia, a Romuli statim tempore, permissa erant. De ipsis comitiis infra fusius exponendi, locus erit.

XIII) *Ius magistratuum ac sacerdotiorum.* Magistratus pariter ac sacerdotia nemo, nisi ciues Romani, & inter hos prima ætate soli patricii, gerere potuerunt; succedente vero tempore vtrosque honores & plebs sibi vindicauit, paucis exceptis. Ex sacerdotiis regis sacrorum, flaminum maiorum, saliorum palatinorum, potitiorum, pinariorum, lupercorum ac curionum munera ad plebem non transierunt, id quod in magistratibus de interrege itidem obseruandum est. Sub imperatoribus alia rei huius fuit ratio, quum suo arbitrio & sacerdotia & magistratus aliis traderent: immo etiam eiusmodi munera peregrinis committerent, quod variis exemplis IO. GOTTL. HEINECCIVS *libro excitato* p. 336. confirmat. XIV)

LIVIVM *lib. X. cap. 9. Act. XVI. v. 37. & cap. XXII. v. 25.*

§. II.

Ciuitas romana adimi non poterat, nisi quis sponte desereret, vt in aliam reciperetur. CICERO *pro Cæcina cap. XXXIII. XXXIV. XXXV. & pro domo cap.* XXX. Nec exsilii pœna eam adimebat; nec interdictio ignis & aquæ; quod ex eodem Ciceronis loco *pro domo* patet; nisi ciuis scriberetur in ea vrbe, vbi exsulabat. Non enim poterat aliquis Romæ & alibi simul ciuis esse, quod exemplo *Attici* apud NEPOTEM *cap. III. num.* I. constat, propterea oblatam sibi ab Athenienſibus ciuitatem recusantis.

§. III.

Amittebatur autem ciuitas, si quis ad vltimum supplicium damnatus esset, siue *in metalla*, aut *in insulam deportatus*. f) Vide *leg. VI. digest. de interdictis*

XIV) *Ius sacrorum*, quod in colendis propriis Romanorum diis positum fuit. Non permittebant enim ciues Romani, vt peregrini dii Romæ publice colerentur, &, quamuis priuatim nonnunquam hoc fieri concesserint, attamen non semper id licitum erat. Sæpe enim fana Serapidis, Isidis, atque aliorum numinum, senatus populique auctoritate diruta esse, apud LIVIVM legimus. Scriptores de sacris peregrinis supra adduxi, quibus CORN. VAN BYNCKERSHOECK *de relig. peregr. diss. II.* p. 246. addendus est. De iure ciuium Romanorum, quod in instituendis sacris priuatis habuerunt, itidem supra commentatus sum.

f) *Deportatus* a relegato differt. Bona enim per ordinem deportatus relinquere, nec secum sumere poterat; id quod autem relegato, nisi ob alias causas ea ipsi ademta

ctis & relegatis. In republica libera quidem grauissima exsilii pœna erat interdictio ignis & aquæ; sed his tamen plerumque ciuitas seruata fuit, ut ex CICERONE *pro domo cap.* XXX. constat; licet de sua ætate POMPONIVS *iureconsultus leg. XVII. digest. de legationibus* aliter sentiat. At sub cæsaribus *deportatio in insulam* grauissimum exsilii genus habebatur: ciuitatem adimens, etiam bona & fortunas: vide VLPIANVM *leg. VI. digest. de interdictis & relegatis & deportatis*, & ibidem *leg. XIV.* vbi deportationem a relegatione distinguit.

§. IV.

Vt ergo breuiter dicamus, ciuitas romana tripliciter amittebatur: *exsilio grauiore*, seu deportatione, de qua iam dictum; *postliminio*, quando, qui ciuis romanus factus erat, in pristina patria rursus erat ciuis scriptus: *reiectione*, si quis sponte in coloniam latinam proficiscebatur: CICERO *pro Balbo cap. XII. pro Cæcina cap. XXXIII.* Excipiendi tamen hic sunt municipes Italiæ, quorum duplex patria erat: altera *loci*, in qua nati, cuius iura semper retinebant: altera *iuris*, id est Roma, in cuius

emta erant, permittebatur. Ad hæc reus in asperrimas deportabatur insulas; cum relegato vero hac in re mitius agebatur. Iura ciuitatis, quæ ad ius ciuile pertinent, omnia per se amittebat, ideoque nec testamentum facere, nec hereditatem adire, nec suffragii priuilegio, quum in insula inculta versaretur, frui poterat; at vero iura, quæ ad ius gentium pertinebant, retinuit. Deportatus enim non seruis, sed liberis hominibus adnumeratus fuit, vti obseruat PAVLLVS MANVTIVS *de legib. cap. XIX.* p. 844.

Landesbibliothek Oldenburg

cuius ciuitatem transcripti erant. Prior in legibus etiam *origo* vocatur & *originalis patria*: vide *leg. XXII. digest. ad municipalem*, cetera.

§. V.

Ad ea igitur, quæ in legibus dicuntur, recte intelligenda, distingui debent ius ciuitatis romanæ, ius Quiritium, ius Latii, vel Latinorum, & ius italicum, etiam ius municipiorum, coloniarum & præfecturarum. Ius *ciuitatis* iam exposuimus. Sequitur, vt de reliquis etiam agamus, si prius de proletariis & capite censis pauca adiecerimus.

CAP. III.

DE STATV PROLETARIORVM ET CAPITE CENSORVM.

§. I.

SÆPE fit mentio *proletariorum & capite censorum* apud scriptores. Illi erant tenuissimi pauperrimique in plebe romana; hi vero, qui vel nullo, aut perquam paruo ære censebantur.

§. II.

Vtrique autem fuerunt ciues, iura ciuitatis, vt sunt connubii, testamenti, patriæ potestatis, cetera habentes; sed sine suffragio & sine spe honorum adipiscendorum: vid. GELLIVM *lib. XVI. cap.* 10.

SECT. II.

DE IVRE QVIRITIVM, LATII ET ITALICO.

CAP. I.

DE DIFFERENTIA IVRIS QVIRITIVM ET LATII.

CONTROVERSIA est inter eruditos de *iure Quiriti-*

ritium & Latii. Nimirum ius Quiritium quibusdam est ipsum ius Latii : aliis idem, quod ius ciuitatis. Sed præferenda illorum sententia, qui ab vtroque distinguunt : vt maius, quam ius Latii ; minus, quam ius ciuitatis. g) Vide PLINIVM *lib. X. ep. 4. num. 2. cum nota nostra, ep. 6. num. 2. ep. 22. num. 1. ep. 105.* & SVETONIVM *in Claudio cap. XIX.*

CAP. II.
DE IVRE LATII.
§. I.

IVS *Latii* medium erat inter ius ciuitatis romanæ & italicum. Nam qui illud consequutus erat, ciuis romanus poterat fieri, si magistratum gessisset domi, aut relicta domi stirpe Romam concessisset ad habitandum, vt de aliis priuilegiis nunc taceamus. Vide *Appianum Alexandrium de bello ciuili lib. II. p. 443.* STRABONEM *lib. IV. p. 186.* LIVIVM *lib. XLI. cap. 8.* & adde ONVPHRIVM PANVINIVM *imperatorum romanorum cap. IX.* §. II.

g) *Ius Quiritium* ad ea, quæ iuris priuati sunt ; *ciuitas* vero *Romana* ad illa, quæ iuris publici sunt, pertinet; vt recte ex SPANHEMIO & SIGONIO obseruat IOH. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant.* p. 280. Idem existimant IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. Aug. lib. I. cap. 37.* aliique plures, atque in his etiam auctor noster cum *hoc loco*, tum *dissertat. de Paulli Rom. ciuit. §. X.* quamuis *adnotat. ad Plinium lib. X. ep. 4.* aliam prodat sententiam, & scribat: *ius Quiritium est ius Romanæ ciuitatis.* Priuatum ius ciuis Romani in censu, militia, tributis, vectigalibus, suffragiis, honoribus ac sacris erat positum; publicum autem ad libertatem, connubia, patriam potestatem, legitimum dominium, testamentum & vsucapionem spectabat; qua de re adeas SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium*

p.

§. II.

Manſit ius Latii etiam poſtea, quum Latini ciuitatem romanam accepiſſent omnes. Sed tum apud exteros fuit, & coloniis pluribus datum a cæſaribus, de quibus *pandectarum toto titulo XV. de cenſibus* agitur. h) V 2 CAP.

p. 669. PAVLLVM MANVTIVM *de ciuit. Rom. tom. I. theſ. ant. Rom.* GRÆVII p. 9. ONVPHR. PANVINIVM *de imper. Rom. cap. IX.* alioſque.

h) Latini, quum per longum tempus cum Romanis bella geſſiſſent, pacis demum conditiones acceperunt, per quas ipſis a Romanis permiſſum erat, vt agros ſuos & leges haberent, cui priuilegio nouum deinde fœdus acceſſit, anno vrbis conditæ CCCLX. factum, atque in hoc ſancitum fuit, vt *inter Romanos latinasque ciuitates omnes pax æterna eſſet; neque ipſæ inter ſe bellarent; neque aliunde hoſtes inducerent; neque hoſtibus tutos tranſitus præberent; ſed bello oppreſſis opem pro virili ferrent: ſpoliorum ac prædæ partem æqualem haberent: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragerent: hisque legibus nihil addi demique poſſet, niſi ſi Romanis Latinisque ita placuiſſet;* quemadmodum DIONYSIVS *Halicarnaſſeus lib. VI.* p. 115. refert. His conceſſis iuribus non ſolum antiqui, ſed etiam noui Latii populi contenti fuerunt, donec bello Marſico per legem Iuliam & Plotiam omnes ſocii ac Latini nominis, item Italici, ciuitatem acceperunt. Ad ipſa iura Latinorum quod attinet, ii libertate iuris gentium, non autem iuris Quiritium fruebantur. Non liberi erant a verberibus, teſte APPIANO *de bell. ciuil. lib. II.* p. 443. nec connubia cum Romanis promiſcue inire poterant, & ipſum ſponſaliorum ius Latinum a Romano diuerſum fuit, vt ex GELLIO diſcimus *lib. IV. noct. Attic. cap. 4.* Num ius patriæ poteſtatis ac mancipationis habuerint, eſt res dubia; illud vero certum eſt, quod teſtamenta haud fecerint. Vtebantur ſuis legibus; permiſſum tamen & ipſis erat, vt

Ro-

Cap. III.

DE IVRE ITALICO.

Ivs *italicum* erat quodam modo minus ac deterius, quam ius Latii; maius tamen & commodius iure prouinciarum, quemadmodum CAROLVS SIGONIVS *de antiquo iure Italiæ lib. I. cap.* 21. demonstrat. Acceperant illud a Romanis victoribus Romana instituta reciperent, sua vero abrogarent; siue, quemadmodum veteres dicere solebant, poterant *populi fundi* fieri; de qua re NICOLAI RIGALTII, ISMAEL. BVLLIALDI & HENR. VALESII obseruationes, quæ *tom. II. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1925. exhibentur, videndæ sunt. Hac tamen receptione nec Quiritium, nec ciuitatis ius populi hi adipiscebantur. Sic & Latini Romæ nunquam censebantur, nisi furtim irreperent, id quod nonnunquam factum esse legimus. Iure militiæ quidem fruebantur; sed id quoque a Romanorum ciuium iure fuit diuersum. Arma enim pro defensione sua, iniussu populi, sumere non potuerunt; nec vt legionarii, sed solum vt socii, militarunt, id quod iam supra obseruaui. A tributis ac vectigalibus ceterorum populorum Romani Latinos quidem immunes præstabant; ipsi tamen certa tributa ac vectigalia Romanis pendere debebant, quæ tolerabiliora, quam Italorum & prouincialium, fuerunt. Ius suffragii habebant, vt ex LIVIO *lib. XXV. cap.* 3. patet, ideoque & ad ferenda suffragia euocabantur; attamen ex vrbe secedere debebant, quoties consulibus libuit. Magistratus Romæ non gerebant, teste LIVIO *lib. VIII. cap.* 4. & *lib. XXIII. cap.* 22. Ad ius sacrorum quod spectat, Romanis propria erant sacra; præter nonnulla, quæ Latini cum Romanis communia habuerunt, eaque simul cum ipsis Romæ celebrarunt, cuius generis præcipue Dianæ sacra & feriæ Latinæ fuerunt, de quibus iam antea quædam monui: conf. LIVIVS *lib. I. cap.* 15. & DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. I. p.* 250.

bus ciuitates Italiæ, extra Latium & Galliam cisalpinam (quæ in prouinciis censebatur) sitæ, ante bellum sociale, siue italicum: post quod tempus rarior illius mentio est. i)

SECT. III.

DE IVRE MVNICIPIORVM, COLONIARVM ET PRÆFECTVRARVM.

CAP. I.

DE IVRE MVNICIPIORVM.

§. I.

ROMA caput Italiæ κατ' ἐξοχὴν & per Synecdochen *vrbs* vocabatur, suppresso sæpissime proprio illius nomine. Nec facile de alio Italiæ oppido vocabulum vrbis adhibent. Præter Romam quæ erant in Italia oppida, triplicis generis fuerunt: municipia, coloniæ, præfecturæ. Differentiam inter municipium k) & coloniam GELLIVS

i) In multis partibus, vbi iura ipsa spectamus, conuenerunt Latini cum Italis; in eo autem ab illis erant diversi, quod nec suffragiorum, nec sacrorum iure vsi sint Itali, prout Latini quoque præterea non priuilegium habuerint, ciuitatem, gesto in patria magistratu, adipiscendi, quomodo apud Latinos fieri solebat. Plura de hoc argumento suppeditabit cel. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diss. de iure Italico*, Altorfii MDCCXLI.

k) Iura municipalia ab initio ea solum ciuitates, quæ intra

docet *lib. XVI. cap.* 13. ex quo pauca hæc excerpimus. Municipes sunt ciues romani ex municipiis, legibus suis & suo iure vtentes, muneris tantum cum populo romano honorarii participes, a quo munere capessendo adpellati videntur. Hæc GELLIVS; sed loquitur de municipiis post sociale bellum.

§. II.

Ante bellum sociale suo tantum iure vtebantur *municipia*, seu Italiæ ciuitates, quod italicum adpellari consueuit, quemadmodum paullo ante dictum est; tributum autem & militem populo romano dabant, vt Latini. Ac tum quidem ius ciuitatis erat penes solam vrbem Romam. Indignabantur autem Latini: indignabantur omnes Itali, quod bellum pro Romanis facerent, nec tamen æqualibus vterentur priuilegiis. Vnde multæ seditiones, & tandem etiam bellum grauissimum, quod *sociale*, *italicum* & *marsicum* adpellatur, quo Itali, deficientes ab vrbe romana, post mutuas clades tandem id consequuti sunt, vt, qui arma ponerent, ius ciuitatis obtinerent: FLORVS *lib. III. cap.* 18. LIVIVS *ep. LXXX.* VELLEIVS *lib. II. cap.* 16.

EV-

tra Italiam sitæ erant, a Romanis acceperunt; postea vero & extra Italiam cum armis Romanorum translata sunt, & varia in exteris prouinciis oppida ista habuerunt, vt ex PLINIO *lib. III. hist. nat. cap. II.* constat. Tria municipiorum genera FESTVS voc. *municipium* commemorauit, quem locum egregie EZECH. SPANHEMIVS *vrb. Rom.* p. 37. & ex eo IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant.* p. 389. illustrauit. De magistratibus in municipiis supra exposui.

EVTROPIVS *lib. V. cap.* 2. A quo tempore ciuitas, qnæ lege Iulia (L. Iulii Cæsaris) teste CICERONE *pro Balbo cap. XXI.* iam antea data erat Latio, toti Italiæ concessa fuit, cassatuitque hinc, quod toties in Liuio & apud Sallustium legitur: *ciuis latini nominis & socii.*

§. III.

Retinebant ergo municipia leges suas & statuta vetera; ius autem ciuitatis hac conditione impetrauerant, vt honores possent petere, seu munera capere in vrbe romana: vnde etiam nomen ipsis hæsit, & factum, vt potiores vrbes Italiæ municipia Italiæ sint adpellata. Ipsum autem ius, quo fruebantur, duplicis erat ordinis: cum suffragio, & sine illo, vti ex GELLIO *lib. XVI. cap.* 13. adparet. Ceterum & hoc obseruandum hoc loco est, in iure romano & æqualibus libris sæpe municipia vocari quasuis ciuitates.

§. IV.

Deinde lege Plotia etiam peregrinis, qui in vrbe quadam italica ciues scripti fuerant, ius ciuitatis romanæ certis conditionibus datum est, quod ex CICERONE *pro Archia cap. IV.* constat.

Cap. II.

DE IVRE COLONIARVM.

§. I.

Coloniæ oppida erant ex vrbe Roma, vel ex Latio, quæ populum acceperant suum. GELLIVS *loco citato: coloniæ ex ciuitate quasi propaga-*

tæ sunt, 1) *& iura institutaque omnia populi romani, non sui arbitrii, habent.* Quæ conditio magis obnoxia & minus libera, quam municipiorum. Præstabilior tamen existimatur propter maiestatem populi romani, cuius quasi effigies paruæ simulacraque esse videntur. Descripsit his verbis GELLIVS colonias ciuium romanorum, præter quas aliæ erant,

1) A Romuli statim tempore, colonias deducendi, consuetudo repetenda esse videtur, quod institutum postea Romani diligenter sequuti sunt, prudenti sane consilio, vti hoc quilibet videbit, qui has a CAROL. SIGONIO *de ant. iur. Ital. lib. II. cap.* 2. p. 625. adlatas rationes accuratius perpendet: *cur autem illi*, inquit, *hunc morem, semel vsurpatum, numquam postea intermiserint, vt aut quotidie nouas colonias deducerent, aut veteres renouarent, caussas potissimum sex reddi posse reperio, dum mecum diligenter veterum annalium verba considero: vnam, ad priores populos coercendos: alteram, ad hostium incursiones reprimendas: tertiam stirpis augendæ caussa; quartam, plebis vrbanæ exhauriendæ: quintam, seditionis sedandæ: sextam, vt præmiis milites veteranos adficerent.* De ritibus, qui in coloniis transportandis obseruati sunt: legibus agrariis, triumuiris, decemuiris, vigintiuiris, coloniæ deducendæ, vrbis & agri per aratrum circumscriptione, aliisque huc pertinentibus rebus, memoratus CAROL. SIGONIVS *loco indicato* videri potest. Ipsas deductas colonias pro ordine litterarum nonnulli recensuerunt, quos enarrat IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiqu.* p. 499. De ipsis coloniis adeas IVST. LIPSIVM *de magnit. Rom. lib. I. cap.* 6. IO. BAPT. CASALIVM *de vrb. ac Rom. imp. splend. part. I. cap.* 2. aliosque. De magistratibus in coloniis videas cel. CHRIST. GOTTL. SCHWARZII *miscell. polit. human.* p. 20.

Landesbibliothek Oldenburg

erant, quæ vocabantur *latinæ:* m) verbi gratia LIVIVS *lib.* XXXIX. *cap.* 55: *illud agitabant, vti colonia aquilæa deduceretur. Nec satis constabat, vtrum latinam, an ciuium romanorum deduci placeret: postremo latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt. Triumuiri creati sunt P. Scipio Nasica,*

 C. Fla-

m) Colonorum, qui in colonias migrabant, iura, ipsis concessa ac status expendi possunt. Nomine *iurium* coloniæ diuersi fuerunt generis. Aliæ erant *coloniæ ciuium Romanorum*, quæ omnia ciuitatis Romanæ iura impetrauerant, vbi iura suffragii gerendorumque magistratuum exceperis, quamquam in definiendis reliquorum horum priuilegiorum limitibus non consentiunt eruditi. Legantur LIVIVS *lib. XXXIX. cap.* 56. & DIO CASSIVS *lib. XLIII.* p. 233. Aliæ *coloniæ Latinæ* dicebantur, quibus ne iura quidem Quiritium concessa fuerunt. Ab his *coloniæ italici iuris* differebant, quæ deterioris erant conditionis, quam Latinæ; ac denique *coloniæ prouinciales* erant, quæ omnibus viliores, nec a tributis immunes exstiterunt, nisi id raro contingeret. Vide de his coloniarum iuribus LÆVIN. TORRENTIVM *not. ad Sueton.* p. 14. *ed. Græuii*, CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. Ital. lib. III. cap.* 3. EZECH. SPANHEMIVM *ad constit. imper. exercit. I.* §. 10. Sic & prouinciæ in *statu* suo diuersæ fuerunt. Aliæ enim militares, aliæ plebeiæ erant, quarum illæ ex militibus veteranis, hæ vero ex ciuibus constabant: vid. APPIANVM *de bell. ciuil. lib. III.* p. 552. & CAROL. SIGONIVM *loco excitato.* In nummis coloniæ plebeiæ ex aratro; militares autem ex signo plebeio, iis impresso, cognoscuntur. Nummi, qui aratrum & signa coniungunt, significant, primam deductionem ex ciuibus, supplementum vero ex veteranis militibus factum fuisse; quam in rem RAPHAEL FABRETTVS *ad column. Traiani*, p. 10. & HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisan. diss. I. cap.* 22. legendi sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

C. Flaminius, L. Manlius. Eodem anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum ciuium sunt deductæ. Hinc notetur formula: *coloniam deducere*, quam etiam CICERO *Philip. II. cap.* 40. ineunte, aliquoties repetit iis verbis, quibus simul ritum deductionis describit, quia a triumuiris, eius rei caussa creatis, cum vexillo deducebantur coloni, & locus coloniæ, aut ambitus, aratro designatus est; vide quæ notauimus ad illum Ciceronis locum. Numerum deductarum coloniarum & ordinem per Italiam recenset VELLEIVS PATERCVLVS *lib. I. cap.* 14. 15.

§. II.

Noua etiam diuisio notanda inter coloniam militarem, & eas, quas duplicis generis iam descripsimus. VELLEIVS *dicto capite XIV.* ita distinguit, vt aliæ iussu senatus sint deductæ, aliæ militares. De his ait: *militarium & caussæ & auctores ex ipso præfulgent nomine:* verbi gratia Augusta emerita, Cæsarauguſta & Halica in Hispaniis. Nam etiam extra Italiam postmodum coloniæ deductæ, non tantum militares, sed etiam aliæ. VELLEIVS *dicto loco cap. XV.: Carthago in Africa prima extra Italiam colonia condita est.* Sed hoc tantum de conatu Caii Gracchi; nec enim ante Augustum cæsarem vere deducta fuit; nisi aquarum sextiarum colonia vno anno prius fuerit deducta. Sub cæsaribus nimium multiplicatæ coloniæ.

CAP.

Cap. III.

DE IVRE PRÆFECTVRARVM.

§. I.

Præfectvræ oppida Italiæ erant deterioris conditionis: vide *notas* noſtras ad ciceronis *Catilinariam III. cap. 2. p. 207.* & adde festvm in hoc vocabulo, qui exempla præbet plurima.

§. II.

Ius tamen ciuitatis non omnibus idem fuit; ſed maius quibusdam cum iure ſuffragii, & minus ſine illo. velleivs *lib. I. cap.* 14. clare diſtinxit. *Campanis*, inquit, *data eſt ciuitas partique Samnitum ſine ſuffragio.* Et paucis interiectis: *Sabinis ſine ſuffragio data eſt ciuitas*; & mox: *ſuffragii ferendi ius Sabinis datum.*

Cap. IV.

DE IVRE TRIVM LIBERORVM.

§. I.

De iure ciuium quando egimus, non alienum erit, addere de iure trium liberorum, cuius crebra mentio in Plinianis *epiſtolis.*

§. II.

Origo eſt inde a bello ciuili Cæſaris repetenda, quo multæ claræ familiæ Romanorum ſunt exſtinctæ. Quam ob cauſſam Auguſtus legem tulit de maritandis ordinibus, cuius conſultationes apud dionem cassivm leguntur. Nam multi fugiebant matrimonium metu, ne aliquando tempora eius-

eiusmodi mala recurrerent. Recurrerunt autem omnino sub Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano, vt denuo Nerua & Traianus necesse habuerint, nouis legibus ac priuilegiis reipublicæ consulere. Tum institutum fuit ius trium liberorum, qui minimus numerus est, non exclusis, qui liberos habebant plures. Ampliora autem privilegia his, qui liberos reipublicæ educabant, concessa fuerunt, præsertim circa hereditates, quam iis, qui viuebant in cælibatu, aut sterili matrimonio. Principi tamen licuit, aliquando singulari clementia eos etiam, quibus morte erepti fuerant, aut sterilitate matrimonii laborabant, pares facere parentibus multorum liberorum. Hæc clare traduntur a PLINIO *lib. II. ep.* 13. *num.* 8. vbi *notas* nostras adde, & *lib. VII. ep.* 16. *num.* 2. itidem cum *notis* nostris, & *lib.* X. *ep.* 2. ineunte, & *ep.* 95. *num.* 2. Adde responsionem Traiani *ep.* 96. n)

SECT. IV.

DE COMMVNICATIONE CIVITATIS IN PROVINCIIS. o)

§. I.

SVCCESSV temporis migrauit etiam ciuitas in prouincias. Galliæ cisalpinæ, præsertim cispada-

n) Reliquæ ciuitates, quæ neque ad municipiorum, neque ad coloniarum, aut præfecturarum ordinem pertinebant, *fœderatæ* dictæ sunt.

o) De hoc argumento iam supra quædam obseruaui, ex quibus auctor noster commode suppleri potest.

Landesbibliothek Oldenburg

padanæ (nam Gallia italica in prouinciis censebatur usque ad Augusti tempora) data ciuitas post Italiam, teste STRABONE *lib. V. ineunte.* Transpadanæ primo datum ius Latii; Iulius autem Cæsar addidit ciuitatem: DIO CASSIVS *lib. XLI. p.* 170. & ASCONIVS *in Pisonianam.* Hinc Gallia illa cisalpina a vestitu romano dicta fuit *togata.*

§. II.

A Iulii Cæsaris temporibus ius ciuitatis romanæ etiam prouincialibus extra Italiam dari, cœptum est: Gallis præsertim, Hispanis & aliis; nec vero integris prouinciis, sed singulis hominibus, aut oppidis de Cæsare bene merentibus: SVETONIVS *in Cæsare cap. XXIV. & XLII.* Plura ex inscriptionibus de Hispanorum municipiis adferri possunt. Sic vsque ad Antoninorum tempora ciuitas pluribus in diuersis prouinciis fuit concessa, quibusdam tantum ius Italiæ, vt adparet ex *leg. L. digest. tit.* 15. *de censibus.*

§. III.

Tandem *leg. XVII. digest. de statu hominum* VLPIANVS: *in orbe*, inquit, *romano qui sunt, ex constitutione Antonini ciues romani effecti sunt.* Disputari solet: quis ille Antoninus fuerit. Quidam *Pium* intelligunt: alii *Marcum.* Sed verior sententia, esse Antoninum Caracallam, quia haec constitutio non vt beneficium lata est, sed vt fiscus augeretur, & pater ipsius Seuerus dicitur apud *Spartianum cap. I. natus ante ciuitatem omnibus datam.*

§. IV.

Nihilominus post Caracallam etiam memorantur nonnunquam in prouinciis mansisse iuris italici,

lici, quod arguit, vel mutatam fuisse Caracallæ constitutionem, vel a quibusdam non acceptum illud Antonini priuilegium, contentis veteri, quo vtebantur, iure Italiæ, quod immunitatem dabat, suffragia negabat & honores in vrbe capiendos.

SECT. V.

DE IVRE PROVINCIARVM.

CAP. I.

DE ADPELLATIONE PROVINCIARVM.

§. I.

A *vincendo* dicuntur prouinciæ, quia bello adquisitæ erant, siue, vt FESTVS loquitur, e populo romano prouictæ, id est, ante victæ. p)

§. II.

p) ISIDORVS *orig. lib. XIV. cap.* 5: *prouinciæ ex caussa*, inquit, *vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quæ ad alios reges pertinebant, quum in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones prouincias adpellarunt.* Conditio eorum ex iure prouinciali, quod alias *forma* & *formula prouinciæ* dicitur, æstimanda est. Quum vero leges prouinciarum, a senatu, postquam imperator eas subegerat, promulgatæ, iniquiores ac duriores fuerunt, quam quæ Latio atque Italiæ datæ erant; facile ex eo patet, earum quoque statum deteriorem ac miseriorem fuisse, quam Latinorum atque Italorum. Prouinciarum omnium ratio in eo conueniebat, vt non suis, sed Romanis legibus ac magistratibus vterentur, & vectigalia pendere deberent: conf. CAROL. SIGONIVS *de. ant. iur. prouinc. lib. I. cap.* 1. GVID. PANCIROLLVS *notit. dignit. imper.*

§. II.

Erant autem prouinciæ omnes extra Italiam; niſi quod Gallia cisalpina, ſiue circumpadana, ante Au-

per. orient. cap. XCIX. IO. GOTTL. HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. iurisprud. illuſtrant.* p. 365. ſeq. Ad leges quod attinet, quæ victo populo præſcribebantur, illæ triplicis generis erant. Primum enim ipſe imperator a ſenatu Romano, poſtquam litteras de ſuperatis hoſtibus ad eum dederat, decem ſenatores legatos accipiebat, quibus in conſilium adhibitis, certas victæ genti leges publice propoſuit, vti LIVIVS *lib. XXXIII. cap.* 18. & APPIANVS *Libyc.* p. 84. teſtes ſunt. Deinde ſæpe nouas leges Romani ſanciebant, easque & a prouinciis ſeruari volebant, quemadmodum de lege Iulia & Titia conſtat. His denique accedebant edicta proconſulum, quippe qui, quum in prouincias proficiſcerentur, noua edicta promulgare atque ita componere ſolebant, vt partem illorum ex anteceſſoris edictis ſumerent, partem nouam ipſi adderent, & quædam vrbanorum in ſua transferrent prouincialia edicta. Videatur CICERO *lib. V. ad Attic. ep.* 21. *lib. VI. ep.* 1. *lib. III. ad famil. ep.* 8. & ex recentioribus CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. prouinc. lib. II. cap.* 5. & EZECH. SPANHEMIVS *orb. Rom. exercit. II. cap.* 8. p. 182. Ad magiſtratus prouinciarum quod ſpectat, ſupra iam obſeruaui, aliam ſub libera & aliam ſub exſtincta republica eorum faciem exſtitiſſe: temporibus liberæ reipublicæ præſides & quæſtores miſſos eſſe, illosque vel prætores, vel conſules exſtitiſſe; æuo autem cæſarum a ſenatu proconſules, ab imperatoribus autem præſides, procuratores, legatos, correctores cet. prouinciis præfectos fuiſſe. Denique prouinciæ etiam tributa ſoluere Romanis debebant; vbi tamen obſervandum eſt, hos victis populis annuum ſtipendium ac tributum impoſuiſſe, aut agros omnes ademiſſe, qui in

Augusti tempora etiam in prouinciis fuit censa, vt clarissime patet ex CÆSARIS *ciuili bello* & ex CICERONIS *Philippicis* & *epistolis lib. X. & XI.*

CAP. II.

DE ADMINISTRATIONE PROVINCIARVM.

§. I.

ADMINISTRATIO prouinciarum primum *prætoribus* committebatur, quos *proprætores* etiam dicebant; deinde *proconsulibus* quoque, quorum dignitas & prouincia maior erat, quam prætorum: LIVIVS *lib. XXII. cap.* 27. & CICERO *Philipp. XI. cap.* 12.

§. II.

Quoniam autem inæquales erant prouinciæ, & vna opimior, quam altera, sorte distribuebantur ad

in publicum reipublicæ patrimonium redigi, a nouis colonis occupari, aut victis ea conditione reddi solebant, vt ex eorum prouentu partem respublica acciperet. Atque hi *vectigales*, illi vero *tributarii* adpellati sunt. Vectigales ex agris suis *decumas*, ex pascuis *scripturas*, ex portubus, per quos merces vehebantur, *portoria* soluebant; quæ fusius illustrarunt FLAVIVS BLONDVS *Rom. triumphant.* p. 106. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de vectigal. cap. IX.* CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 16. PETR. BVRMANNVS *de vectigal. pop. Rom.* p. 2. seq. Apud quem Romæ, post eiectos reges, potestas fuerit, vectigalia instituendi, non facile definiri potest, quoniam veterum testimonia hac de re diuersa sunt; probabile tamen est, ad senatum hoc ius pertinuisse. Sub imperatoribus fere omnia, quæ de prouinciis dixi, inuersa sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

ad contentionem excludendam: CICERO *lib. I. ep.* 9. *num.* 74. & *lib. VIII. ep.* 8. *num.* 21. Interdum sine sortitione de illis conueniebat inter præsides, quod *parare* prouincias, vel *comparare* dicebant: CICERO *lib. I. epist.* 9. *num.* 74. & LIVIVS *lib. XXXII. cap.* 8. & *lib. XXXVIII. cap.* 33.

§. III.

In prouincia præsides omnia agebant more romano, forum instituentes in præcipuis vrbibus: CICERO *lib. III. ep.* 6. *num.* 8. & *lib. V. ad Attic. ep. vltima.* Vocabant etiam *conuentus iuridicos*, quorum plures erant in vna prouincia: PLINIVS *lib. III. cap.* 1. 2. 3. Habebant secum etiam caussidicos romanos, qualis erat Trebatius apud Cæsarem in Gallia, ad quem exstant CICERONIS *epistolæ libr. VII.*

CAP. III.

DE DIVISIONE PROVINCIARVM.

§. I.

PROVINCIÆ aliæ erant *prætoriæ*, aliæ *consulares*, q) quas *proconsulares* etiam dicebant, & rursus

q) Non tamen existimandum est, quod aliæ prouinciæ semper prætoriæ, aliæ vero semper consulares fuerint. Nomina enim pro eorum, qui eas regebant, statu mutabantur, ita, vt, si missus prætor erat, *prætoriæ*, si consul, *consulares* adpellatæ sint. Exemplo Macedonia esse potest, quæ tamdiu consularis prouincia erat, quamdiu Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus & C. Antonius, viri consulares, eam administrarunt; quum vero Cn. Octauius, prætorius,

rursus aliæ *præsidales*, quæ accedebant sub cæsaribus, pro discrimine magistratuum, qui ad eas regendas a senatu vel principe mittebantur: CICERO *lib. VIII. ep.* 8. *num.* 21. *Phil. I. cap.* 8. & SEXTVS RVFVS *cap. IV. & V.*

§. II.

Sed & alia prouinciarum diuisio ac diuersa pro diuersis temporibus obseruanda est. Alia enim ratio fuit liberæ reipublicæ ante Augustum cæsarem; alia sub Augusto & deinceps, quum Claudius præcipue ac Traianus aliquid adiecissent: alia etiam sub Diocletiano, Constantino ac sequentibus, vtpote qui nouis subdiuisionibus multiplicarunt prouincias. Et Iustinianus aliquid mutauit, circa quæ tempora iliæ diuisiones ortæ videntur, quæ in ecclesiasticis occurrunt. Quod vt eo fiat clarius, exemplis quibusdam demonstrandum est.

§. III.

Inde a Punicis bellis Hispania diuisa erat in *citeriorem & vlteriorem*, quod LIVIVS docet *lib. XXXII. cap.* 28. & CICERO *pro leg. Man. cap.* 12. Augustus autem cæsar tres fecit Hispanias: *Tarraconensem*, quæ fere citerior fuerat, *Bæticam & Lusitaniam:* STRABO *lib. XVII. p.* 840. & DIO *lib. LIII. p.* 503.

§. IV.

Gallia olim in transalpinam & cisalpinam diuisa fuit. CICERO *cap. XLI. pro Mur. & cap. XII. pro*

succederet, tum ea ex prouincia consulari prætoria facta est.

pro leg. Man. *Cisalpina* autem pars erat Italiæ. r) *Transalpina* etiam *comata* s) dicebatur, & pars Alpibus atque Italiæ propior *braccata*; cisalpina autem *togata* post sociale bellum: DIO *lib. XLVI. p.* 326. & PLINIVS *lib. III. cap.* 4. Transalpina Ciceroni quoque *vlterior* Gallia vocatur, siue *vltima*, & cisalpina *citerior* in *Phil. VII. cap.* 1. & de *prou. conſ. cap. XV.*

§. V.

Iulius Cæsar transalpinam in tres partes diuisit, *celticam*, *aquitanicam* & *belgicam*, pars autem, a Romanis iam olim obtenta, κατ' ἐξοχὴν dicebatur *prouincia.* Vide eius *de bell. gall. lib. I. cap.* 1. *num.* 1.

§. VI.

Augustus cæsar quatuor constituit partes, prolatis etiam terminis Iulii: *Narbonenſem*, *lugdunenſem*, *aquitanicam* & *belgicam.* STRABO *lib. IV.* p. 177. In belgica autem postmodum duas ad Rhenum fecit prouincias, adpellauitque *Germaniam ſuperiorem* &

r) Galliam cisalpinam antiquissimis temporibus Vmbri & Hetrusci tenuerunt; qui postea autem a Gallis transalpinis sede sua sunt expulsi. Circa annum DXXX. hanc Italiæ partem prouinciam factam esse, ex eo colligendum est, quod post hunc annum coloniæ plures in illam deductæ sint: vid. PAVLL. MANVTIVM *de legibus cap. X.* & auctorem nostrum *notit. orb. antiqu. tom. I.* p. 631.

s) Vocabatur *comata*, quoniam, vt DIO CASSIVS *lib. XLVI.* p. 326. refert, Galli isti comam gesserunt oblongam, eoque habitu sese a reliquis distinxerunt. Mentionem huius Galliæ comatæ CATVLLVS *carm. XXIX. v. 3.* & LVCANVS *lib. I. v. 442.* faciunt.

Landesbibliothek Oldenburg

inferiorem, quia germanicæ gentes in illas regiones traductæ fuerant. Vtramque dixerunt vno nomine *Germaniam cisrhenanam*, respectu Romanorum, vt tamen vtraque sic prouincia manserit pars *Galliæ belgicæ*. DIO *lib. LIII. p.* 503. & TACITVS *lib. IV. annal. cap.* 73. *num.* 1.

§. VII.

Tandem Diocletiani & Constantini tempore, quum nouæ vbique subdiuisiones fierent, vel sola Gallia XIV. prouincias accepit. Vid. SEXTVS RVFVS *cap. VI.*

§. VIII.

In Græcia etiam prouinciæ pro temporibus aliter atque aliter sunt distributæ. Olim erat *Græcia libera* distincta ab regnis *Macedoniæ & Epiri*. Post bella Romanorum Macedonica & Achaicum Romani duas ex vniuersa Græcia prouincias fecerunt: *Macedoniam*, quæ per proconsules regebatur, & *Achaicam*, qua omnis Græcia libera continebatur, id est, Achaia propria, Peloponnesus, Attica, Bœotia, Locris, Phocis, Ætolia, Acarnania, & pars Epiri. t) Et hæc Græciæ diuisio valet etiam in nouo testamento, vt *Act. XIX. v.* 21. *Rom. XV. v.* 26. 1 *Thess. I. v.* 7. & de Achaia sola, 2 *Cor. I, v.* 1.

§. IX.

In Asia citeriore, u) quanta Romanis paruit, pro-

t) Conferas CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian. tom. I.* p. 568. & GEORG. RAPHELIVM *adnotat. in nou. testam. ex Polybio* p. 480.

u) Lege ONVPHR. PANVINIVM *de imper. Rom. tom. I. thes.*

prouinciæ erant *Asia propria*, siue κατ' ἐξοχὴν *Asia* dicta, hoc est, regnum Attalorum, quemadmodum id nomen ita acceptum habemus *Act. II. v.* 9. & *Apoc. I. v.* 4. & 11. item *Bithynia*, quæ aliquando proconsules habuit: etiam prætores siue proprætores, qualis Plinius minor erat consulari potestate, vti ex eius *lib.* 10. *ep.* 77. nostrisque ad eam *notis* constat: & *Cilicia*, prouincia proconsularis, cuius proconsul ipse Cicero fuit, & cui adiectæ tum erant tres ex Asia diœceses, in veteri Phrygia maiori sitæ, quemadmodum ex *lib. III. ep.* 8. *num.* 15. *lib. XIII. ep.* 67. *num.* 1. & aliis vtriusque huius *libri epistolis* discimus.

§. X.

Syria etiam prouincia Romanorum fuit, cuius multa mentio est in CICERONIS *epistolis*, & quam *Lucas* quoque memorat *cap. II. v.* 1.

§. XI.

De Iudæa prouincia operæ quoque pretium est, hic ex historia antiqua aliquid repetere. Nimirum illa regnum Archelai fuit, quem *Matthæus* nominat *cap. II. v.* 22. nec vero amplior; quam Iudæa propria & regio Samaritana, quoniam Galilæa & Peræa a tetrarchis regebantur. Eius autem præsides Pilatus, Festus, Felix, neque proconsules fuerunt, neque prætores, sed, vt, a TACITO *lib. XII.*

 annal.

thes. ant. Rom. Græuii p. 398. & *notit. dign. imper. orient. cap. CII.* præ ceteris autem CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. prouinc. lib. I. cap.* 10. p. 72.

annal. cap. 54. *num.* 6. & *lib. XV. cap.* 44. *num.* 4. denominantur, *procuratores cæsaris.*

§. XII.

Ad illustrandum præsens argumentum faciunt etiam illæ prouinciæ, quas imperatores quidam addiderunt. Augustus adiecit Pannonias, Ægyptum, Noricum, Rhætiam, Vindeliciam, Germanias, id est, Germaniam cisrhenanam in solo gallico sitam, & alias. DIO *lib. XLIX. p.* 413. & 414. *lib. LIV. p.* 534. *&* 536. *lib. LIII. p.* 503. SEXTVS RVFVS *cap. VII.* SVETONIVS *in Augusto cap. XVIII. & XXI.* Claudius Britanniam & Mauritanias: EVTROPIVS *lib VII. cap.* 8. *num.* 3. & DIO *lib. LX, p.* 670. 671. Traianus Daciam, Assyriam, Arabiam & plures: EVTROPIVS *lib. VIII. cap.* 2. Quasdam ex his remisit Adrianus: Daciam Aurelianus. EVTROPIVS *lib. VIII. cap.* 3. *num.* 3. & *lib. IX. cap.* 9. *num.* 10. Et sic fere mansit vsque ad Diocletianum & Constantinum, & tum numerus prouinciarum per novas subdiuisiones mire auctus fuit. Vide SEXTVM RVFVM *cap. IV. seq.* LACTANTIVM *de mort. persecut. cap. VII. num.* 4. & ZOSIMVM *lib. II. cap.* 33. x)

§. XIII.

x) Possem hic non solum ea, quæ de prouinciis Romanorum auctor noster commentatus est, fusius explicare, sed etiam ab ipso omissas vel solum nominatas prouincias, ipsam videlicet Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Illyricum, Cyprum, Africam, Numidiam, Mauritaniam, & quæ sub imperatoribus accesserunt, Rhætiam, Noricum, Pannoniam, Moesiam, Daciam, Bri-

§. XIII.

Tandem & illa prouinciarum diuiſio commemoranda eſt, quam Auguſtus nouo modo inſtituit, vt & odium regni euitaret, & tamen ſummam potentiam teneret cum exercitibus. Pacatas enim, nec indigas præſidii reliquit ſenatui & populo, quæ veteri more per proconſules & proprætores cum quæſtoribus adminiſtrabantur; limitaneas autem & alias, quibus opus erat militari præſidio, ſibi reſeruauit. Et hæ dicebantur *prouinciæ cæſaris*, vel *principis*, quemadmodum is, qui pro cæſare regebat eas, non proconſul, nec proprætor; ſed legatus principis, vel cæſaris appellatus fuit. Pro quæſtoribus autem erant ibi *procuratores cæſaris*, qui reditus curabant, niſi quod in minoribus prouinciis, vt Iudæa erat, etiam iurisdictionem habebant.

Britanniam, Aegyptum, Galatiam, Rhodum, Lyciam, Arabiam, Meſopotamiam, Armeniam, cet. illuſtrare, ac monſtrare, quo ſtatu ante Romanos fuerint: quas ſocietates cum iis iſti inierint: quæ bella geſſerint: quomodo in poteſtatem Romanam venerint, & quibus legibus ac conditionibus pacis vſi fuerint; niſi hoc nimis ab inſtituto meo remotum eſſe arbitrarer.

LIB. V.
DE IVDICIIS, LEGIBVS ET COMITIIS ROMANORVM. y)

SECT. I.
DE IVDICIIS.

CAP. I.
DE IVDICIBVS.

§. I.

IVDICIA z) antiquitus penes reges

y) De iudiciis veterum Romanorum scripserunt: CAROL. SIGONIVS *lib. III. de iudiciis Roman. tom. II. thes. ant. Rom. Grœuii* p. 1684. SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA *lib. II. de iudicio centumuiral.* in memorato *thesauri Grœuiani tomo II.* p. 1824. FRANC. POLLETVS *historia for. Rom.* quæ cum *auctario* PHIL. BROIDÆI *Arienſis* Francofurti MDCLXXVI. prodiit: PETR. ÆVODIVS *libr. de public. iudiciorum ordine*: CAROL. BRETVS *de ordine antiquor. iudicior. ciuil. apud Rom.* qui *tom. II. thes. antiquitatum Rom. Sallengriani* exstat: H. F. SALOMON, cuius *de iudiciis & pœnis ac de officiis vitæ ciuilis Romanorum commentar. tom. III. memorati thes.* legitur, & HENR. DODWELLVS *prælect. Cambden.* p. 717.

z) Varia fuerunt apud Romanos iudiciorum genera. Commode ea in priuata & publica possunt diuidi. In priuatis res priuatorum eorumque controuersiæ iudicabantur; hæcque erant vel *priuata* per eminentiam sic dicta, vel *centumuiralia.* Publica vel ordinaria, vel extraordinaria fuerunt, quibus *iudicia populi* adiungenda sunt,

ges a) erant, & his expulsis, primi quoque consules b) exercebant. Post, crescente republi-

sunt, eaque plerumque publica, raro priuata. Priuatorum enim vnicum habemus exemplum apud LIVIVM *lib. III. cap.* 71. Vniuerse in publicis iudiciis de criminibus, ad rem publicam pertinentibus, sententia ferebatur coram quæstoribus, a populo constitutis, &, quoniam cuiuis e populo actio in iis permittebatur, inde & *publica* dicta sunt. Discrimen inter iudicia publica ordinaria & extraordinaria adcurate ita docet GRÆVIVS *præf. ad tom. II. thes. ant. Rom. Publica iudicia erant de criminibus, de quibus lex certa lata erat, & finita illa lege pœna, secundum quam legem postulabatur a quocunque ciue, qui publici criminis aliquem volebat accusare, nisi essent, quibus iure id non licebat. Publica dicebantur, & quia pertinebant ad statum publicum, siue reipublicæ, non ad priuatorum statum, vt iudicia priuata, & quia ex legibus publicis oriebantur. Extraordinaria erant, quæ ex legibus publicis non oriebantur; sed in quibus quærebatur de criminibus, de quibus aut nullæ leges erant; aut si leges essent, quum crimen atrocius duceretur; quam vt secundum leges iudicaretur, puniendum esse. In iudiciis publicis sortiebantur inter se prætores, quam quisque deberet exercere quæstionem, de vi, de adulterio: in extraordinariis cognoscebant aut consules, aut totus senatus, aut princeps, aut præfectus vrbi intra centesimum lapidem, aut præf. præt. vltra centesimum lapidem, aut in prouinciis imperatoris legati aug. pro præt. in populi vero proconsules.*

a) Reges iudiciis præfuisse, DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. X.* p. 627. his testatur verbis: *olim quamdiu regnatum est in vrbe, regum arbitrio dirimebantur lites, & quod iustum illi iudicassent, id erat pro lege.*

b) Consulibus prouinciam hanc post excussum regium iugum delatam esse, ex his memorati scriptoris verbis, quæ eodem loco leguntur, comprobari potest: *trans-*

lato

ca, quum consules omnibus negotiis non sufficerent, duo praetores sunt creati, qui priuatarum rerum iudiciis praeessent; consules autem curarent publica. Prætorum alius erat *vrbanus*, seu vrbis, alter *peregrinus*, ille inter ciues & ciues ius dicebat: c) hic inter peregrinos & ciues, aut peregri-

lato deinde a regibus ad annuos consules imperio, inter cetera officia regia, iuris quoque dicundi munus ad eos deuenit, ita, vt, quacunque de re orta esset inter ciues controuersia, illi de iure responderent. Consules etiam iudicum nomen gessisse, ex LIVIO *lib. III. cap. 55.* patet, vbi de lege Horatia ita loquitur: *fuere, qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque & prætoribus, quia iisdem auspiciis, quibus consules crearentur, cautum esse: iudicem enim consulem adpellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum consulem iudicem, sed prætorem adpellari mos fuerit.* De tempore, quando hoc nomine consules vti inceperint, disputat IAC. PERIZONIVS *diss. de prætorio* §. IV. seq.

c) Ius dicebat prætor, ac per id iurisdictio ipsi pariter ac reliquis magistratibus adsignabatur. Vt vero pateat, quod discrimen inter iurisdictionem & imperium fuerit, obseruandum est, magistratuum quatuor iura apud Romanos exstitisse, quorum primum in *imperando*, secundum in *iure dicundo*, tertium in *referendo*, & quartum in *auspicando* versabatur. Per *imperium* magistratus ius *edicendi*, *vocandi* ac *prehendendi* nanciscebatur. De *edictis*, quæ promulgabantur ante edictum perpetuum, iam supra dixi. *Vocatio* ad absentes, quos vocare poterat; *prehensio* vero ad præsentes spectabat, quos in vincula abducendi facultatem habebat. Recte ex eo ostendit CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 20.* eos, qui iure vocandi præditi fuerint, lictores, viatores & seruos publicos secum habuisse;

grinos solos, romano tamen imperio subiectos. Plures postmodum prætores creati, sed prouinciarum, qui pro consulibus in prouinciis ius dicerent. Circa Sullana tempora auctæ sunt quæstiones, & ob id prætorum etiam numerus auctus, qui in vrbe manerent; vt tamen vnus præcipue *prætor vrbis*, seu *vrbanus* vocaretur.

§. II.

Prætor erat præses iudicii: adsessores eius dicebantur *iudices*, d) quorum magnus erat numerus, præ-

buisse; qui vero prehendere tantum poterant, viatores solum & seruos publicos comites duxisse; &, qui neutro vsi sint iure, solis seruis publicis stipatos fuisse. *Iurisdictio* pertinebat ad quemuis iure magistratus; imperium vero non, nisi lege curiata, additis auspiciis, concedi potuit. Ipsa iurisdictio duabus tantum absolvebatur partibus, *decreto* scilicet & *iudicis datione*, qua de re infra plura dicturus sum: conf. CAROL. SIGONIVS *loco memorato*: NICOL. GRVCHIVS *refutat. ad posterior. Carol. Sigonii de binis magistratuum comitiis & de leg. curiat. disputationem cap. I. tom. I. thes. ant. Rom. Græuii* p. 755. GERH. NOODTIVS *de iurisdict. & imperio lib. I. cap.* 2. ANTON. SCHVLTINGIVS *enarrat. part. prior. digestor. tit. de iurisdict.* p. 195. & IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurispr. illustr.* p. 210.

d) Prætores aut ipsi iudicabant, aut iudices dabant. Vbi enim de iure disceptabatur, prætor iudicium ferebat; quando autem de facto fuit controuersia, iudices litigantibus a prætore exhibebantur; conf. IO. GOTTL. HEINECCIVS *loco memorato*. Quoties prætor ius dixit, in consilium acciuit *adsessores*, qui in iure dicendo ipsi adsisterent ac consiliis sapientibus eum instruerent: conf. *leg. I. digest.* & *leg. vlt. de offic. adsess.* Hinc & ipso-

præsertim in *centumuirali iudicio*, quod ita a numero rotundo vocabatur; quamuis centum quinque

ipsorum officium *leg. penult. de proxenet.* vocatur *adsessura.* Eiusmodi adsessor fuit Cornelius Laco apud SVETONIVM *vit. Galb. cap. XIV.* & Tiberius, vt idem memorat scriptor *vit.* eius *cap. XXXIII.* Eorum & mentionem faciunt LAMPRIDIVS *vit. Alex. Seueri cap. XXI. & XLVI.* & SPARTIANVS *vit. Pescenn. Nigr. cap. VII.* Inde sæpe iudicum acceperunt nomen, vt constat ex leg. XVI. *digest. de manumiss. vind.* & *leg. II. C. de vindicta & apud consil. man.* conf. GVID. PANCIROLLVS *notit. dignit. imper. orient. cap. VIII.* IVL. POLLETVS *for. Rom. lib. V. cap.* 6. IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. Aug. lib. II. cap.* 4. IVST. LIPSIVS *not. ad Tacit. lib. VI. annal. cap.* 29. IO. GEORG. GRÆVIVS *not. ad Ciceron. lib. XV. epist.* 2. *ad famil.* PETR. BVRMANNVS *not. ad Quintil. inst. orat.* p. 454. GER. NOODTIVS *de iurisdict. & imperio* p. 137. SAM. PITISCVS *not. ad Suetonium* p. 866. & IO. GOTTL. HEINECCIVS *loco indicato* p. 216. Prætor diebus *fastis & intercisis* post peracta demum sacra, siue post meridiem, ius dicebat; *nefastis* vero omnia quiescebant. Ex illis diebus, quibus ius dicere, licitum erat, alii postulationibus, alii cognitionibus, alii decretis, alii aliis negotiis iudicialibus destinati erant. Post solis occasum omnis per ordinem cessabat forensis strepitus. Quare de Augusto observat SVETONIVS, vt rem insolitam, quod *in noctem nonnunquam ius dixerit*, *vit.* eius *cap. XXXIII.* ad quem locum ISAAC. CASAVBONVS alia hac de re effata adfert. Vt ex eodem scriptore *vit. Claudii cap. XXIII.* patet, ante hunc imperatorem, alia negotia ciuilia æstiuis, alia hibernis mensibus, vt videtur, peracta sunt. Refertur enim memorato loco, *Claudium rerum actum, diuisum antea in hibernos æstiuosque menses,*

que ordinario modo, &, FESTO auctore, sæpe plures essent, de qua re ad PLINII *lib. I. ep. 5. num. 4.* plura diximus.

§. III.

Non autem erant iudices perpetui, sed sorte legebantur ad certam aliquam caussam, ne pars litigantium posset suspectos habere. CICERO *pro Milone cap. XVI.* Iidem etiam iureiurando e) adstricti erant ad sincere iudicandum. Meminit iurisiurandi eius CICERO *pro Roscio Amer. cap. III.* & ASCONIVS *in Verr. II.* vbi etiam de sortitione iudicum & subsortitione agit, si quidam fuissent a reo aut accusatore reiecti.

§. IV.

Iudices pro temporum diuersitate ex diuersis ordinibus lecti. Caius Gracchus iudicia, senatui ademta, equitibus dederat; Sulla post quadraginta

ses, coniunxisse. Ipsi iudices sedebant; nonnunquam tamen in leuioribus causlis, quæ facile & sine mora expediri potuerunt, etiam stabant. Lege ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Sueton. vit. Aug. cap. LIII.* IAC. OISELIVM *not. ad Gellium lib. XIV. noct. Attic. cap. 2.* GEVER. ELMENHORSTIVM *not. ad Minuc. Felic.* p. 35. ARNOLD. DRAKENBORCHIVM *not. ad Sil. Ital.* p. 372. IO. LVD. BVNEMANNVM *not. ad Lactant.* p. 801. & IO. FRID. IVGLERVM *comm. de iudice sedente, ex antiquit. deriuato.*

e) Præter multa alia de hoc iureiurando effata, spectant & huc sequentia IVSTINIANI imperatoris verba *leg. vlt. cod. de iudic.* quando dicit: *cui non est cognitum, antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepisse, nisi prius iuramentum præstitissent, omni modo se cum veritate & legum obseruatione iudicium esse deposituros?*

ta annos solis senatoribus: post decem autem annos Aurelius Cotta legem tulit, vt senatores equites romani ac tribuni ærarii (hi plebem repræsentabant) simul iudicarent atque iudicium conflarent ex omnibus tribus ordinibus: PLVTARCHVS *in Graccho p.* 837. APPIANVS *lib. I. de bello ciu. p.* 363. & ASCONIVS *in cap.* 3. *diu. Verr.* Atque ita mansit per Ciceronis tempora, quod ex *Miloniana* eius *cap. II.* & ex *lib. II. ad Quintum fratrem ep.* 8. *sub finem* constat; *senatorum*, inquit, *vrna copiose absoluit: equitum adæquauit: tribuni ærarii condemnarunt.* Ex quibus simul videmus, non promiscuos, sed singulos ordines separatim in iudicio sedisse. Tandem Iulius Cæsar solis senatoribus iudicia mandauit: DIO *lib. XLIII. p.* 226.

§. V.

Sententiæ iudicum a quolibet in tabella f) scribe-

f) Erant tres tabellæ: prima *absolutionis*, secunda *condemnationis*, tertia *ampliationis*, quarum singulæ cera obductæ fuerunt, vt satis CICERO *orat. Verrin. II. cap.* 32. & de *diuinat. cap. VII.* testatur. Dabantur ab eo, qui quæstioni præerat, per ordinem post actiones, ab vtroque oratore peroratas; nonnunquam tamen & ante illas. Quamuis hæc sententias ferendi ratio ita esset comparata, vt quilibet, sine omni metu ac periculo, quid sentiret, pronuntiare posset, idque tam occulte fieret, vt nemo scire potuerit, absolueritne is, qui tabellam in vrnam coniecit, reum; an damnaverit? nonnunquam tamen dolose quidam egerunt, & de remedio cogitarunt, per quod cognoscere possent, qui reo fauerent & qui ipsi obstarent, vt ex his ASCONII *in Ciceron.* p. 56. verbis patet: *Terentius Varro*

bebantur paucis litteris, in quibus A absolutionis nota erat, C condemnationis; si autem causa nondum esset liquida, scribebant N. L. id est, *non liquet*, quæ nota ampliationis dicebatur. ASCONIVS *in Verr. I. cap.* 7. De vrna paullo ante ex CICERONE diximus. Et hæc de iudicibus.

CAP. II.

DE LOCO IVDICIORVM.

§. I.

LOCVS iudiciorum erat forum, g) vt omnes pos-

ro absolutus est a Q. Hortensio, qui corruptis iudicibus hunc metum adiunxit ad gratiam, vt discoloribus ceris insignitas iudices tabellas acciperent, vt timeret vnusquisque eorum, ne fidem pactionis non seruasse videretur, si non in tabula, quam vnicuique datam meminisset Hortensius, ex nota ceræ scilicet discoloris, absolutum Varronem reperiret. Videas CAROL. SIGONIVM *de iudic. lib. II. cap.* 22. & FRANCISC. POLLETVM *for. Rom. lib. V. cap.* 8. In codice hæc tabella *periculum* dicitur; quamuis GVIL. BVDÆVS *in pandect.* p. 61. *breuiculum* legat: conf. IO. GEORG. GRÆVIVM & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. vit. Claud. cap. XV.*

g) In foro, vbi iudicia agebantur, nec tribunalia, nec subsellia firma & perpetua erant; sed ad tempus tantum exstruebantur, quoties ea necessaria videbantur. Probari hoc potest ex SVETONIO *vit. Claud. cap. XVII.* ad quem locum ita commentatur IS. CASAVBONVS: *videntur, vt aliarum rerum publico præstandarum, ita tribunalium & subselliorum fuisse mancipes, qui ad mandatum ius dicturi, pecunia sua illa exstruerent, eamque postea pecuniam a litigatoribus repeterent. Simillimum est, quod olim Athenis & Romæ etiam fieri solitum circa ther-*

possent audire, quæ iudicarentur. *Centumuiralia* autem *iudicia*, h) quæ causas minoris momenti, vt

theatra, priusquam perpetuæ voluptatum sedes fuissent ædificatæ.

h) Centumuirale iudicium centum & quippe viris constabat, qui ex tribubus legi & a decemuiris litibus iudicandis cogi ac conuocari solebant, vt, prætore præside, certis sessionum diebus de controuersiis priuatis iudicarent. Habebatur id, vt PLINIVS *lib. V. epist.* 21. & QVINTILIANVS *lib. XII. instit. cap.* 5. testes sunt, in basilica Iulia. Quænam caussæ in iis peractæ sint, aperte CICERO docet, quando *lib. I. de orat. cap.* 38. refert, in iis *vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, adluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum iura versari.* Posteriori tamen tempore de solis hereditatum controuersiis iudicasse illi videntur: conf. *interpretes* SVETONII p. 681. ed. GRÆVII. Prætor vrbanus illorum præses erat, atque in sella prætoria considebat; centumuiri vero se in quatuor tribunalia diuidebant. Singulis tribunalibus decemuiri præerant, vt, hasta, iudicii centumuiralis signo, adposita, tanquam quæstionis iudices, suffragia colligerent. Instituti sunt hi decemuiri anno vrbis conditæ DXIII. Q. Lutatio Cercone & A. Manlio Torquato consulibus, quemadmodum SIBRANDVS TETARDVS SICCAMA *de iudicio centumviral. lib. I. cap.* 9. suspicatur, quamuis PIGHIVS aliique eorum primam originem ad annum DXX. referant. Quanquam vbi caussas, de quibus cognouerunt, reputamus, priuatorum iudiciorum classi ista centumuiralia iudicia adnumeranda sunt; valde tamen a priuatis iudicibus hi centumuiri differebant, id quod memoratus SICCAMA *excitati libri cap. VI.* abunde monstrauit; qui vero in eo errat, quod centumuiros in tribunalibus

vt testamentorum, hereditatum & similes habebant, quemadmodum ex CICERONE *lib. I. de orat. cap.* 38. constat, & quadrupliciter diuisa erant; exercebantur in basilica iulia, vt *notis* ad PLINIVM *lib. I. ep.* 18. *num.* 3. probauimus, quibus adde ea, quæ dicta sunt ad *lib. I. ep.* 5. *num.* 4. Vix autem dubium, quin basilica illa in foro fuerit. i) Hinc actiones & causſæ forenses adpellantur.

§. II.

bus consediſſe scribit, quippe cui sententiæ PLINIVS *lib. VI. epist.* 33. aperte contradicit, eosque perinde ac iudices priuatos subselliis vlos esse testatur: adde CICERONEM *de oratore lib. I. cap.* 62. Creatos a populo centumuiros esse, itidem SICCAMA magis credit, quam comprobat. FESTI enim, ad quem prouocat, locus id non ostendit. Centumuiri magistratus quidem erant, sed ad minorum ordinem referebantur; nec sententias suas latas exsequi poterant, quod prætori soli commissum fuit. Augusti & sequentium imperatorum æuo numerus horum iudicum auctus est. PLINIVS enim *lib. VI. ep.* 33. centum & octoginta centumuiros memorat, quæ omnia SICCAMA *loco indicato* fusius probat, cuique CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap.* 22. ONVPHR. PANVINIVS *de ciuit. Rom. cap. LXII.* & FRANC. POLLETVS *for. Rom. lib. III. cap.* 14. adiungendi sunt.

i) Basilicam Iuliam in foro fuisse, ex PLVTARCHO *vit. Galbæ* p. 1065. patet, vbi refert, quod, Galba in forum veniente, primum equites & deinde pedites a basilica aduolauerint. Quoniam præter basilicam Iuliam alia, a Paullo nomen habens, Romæ exstitit; vtraque vero, vt ex STATIO *lib. I. silu. I.* v. 29. colligitur, a lateribus equi Domitiani, in media fori parte positi, collocata fuit. ALEX. DONATVS *de vrb. Rom.* p. 618. eam a dextra parte non longe a templo Iulii Cæsaris

§. II.

Erant præterea iudicia, quæ in senatu agebantur, grauiora scilicet & publica prouinciarum, quando proconsules aut proprætores a prouinciis, quas male rexerant, adcusabantur: & in his posteriore tempore sæpe cæsares præsidebant. PLINIVS *lib. II. ep.* 11. *num.* 9. 10. & *lib. III. ep.* 9. *num.* 21. & 23. Etiam alia interdum iudicia cæsares ad se in aulam traxerunt. PLINIVS *lib. VI. ep.* 31. *num.* 1.

CAP. III.

DE ACCVSATORE ET REO.

§. I.

ACCVSATOR k) in vna caussa non semper vnus erat, sed poterant plures esse; contra reo etiam

fuisse, suspicatur ex SVETONIO, qui *vit. Caligul. cap. XXXVII.* refert, eum nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies sparsisse in plebem: *ex his verbis*, inquit DONATVS, *credibile est, basilicam colli Palatino propinquam fuisse, vt Caius e palatio; siue e ponte, quo Palatium & Capitolium iunxit, eius fastigium adire percommode seseque in ædes illas superiores recipere posset.*

k) Anteaquam ad prætorem adcusator se cum reo conferebat, prius amici litem inter priuatos parietes componere tentabant, quorum opera vbi sine laboris erat fructu, tum in ius reus ab adcusatore vocabatur: conf. BARNAB. BRISSONIVS *de form. lib. V.* p. 366. GER. NOODTIVS *de pact. & transact.* p. 648. & 10. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr.* p. 221. Quodsi & vocatio in ius, quæ priuata au-

etiam permissum, plures adhibere defensores. l)

auctoritate ab actore fiebat, frustra suscipiebatur, & reus in ius sequi recusabat, adstantibus actor adclamabat: LICET ANTESTARI, aduenientesque, tactis auriculis, testes inuocabat, quod reus in ius sequi noluerit, quo facto ipsi licitum erat, tergiuersantem reum in ius rapere. Permissum etiam fuit, fures, lenones & raptores sine antestatione ad tribunal trahere; contra ea vetitum erat, honestiores, item parentes, patronos, impuberes & puellas, nisi impetrata erat a prætore venia, in ius vocare; & nefas quoque habebatur, matronas in ius vocatas tangere, & reum de domo sua vi abstrahere, morboque & senio confectos ad prætorem vi abducere. Omnes hos duriores cum reo agendi modos, succedente tempore & Roma cultiore reddita, lenitos esse, ex Romana historia satis constat. Quando autem plane hæc in ius vocatio desierit, non satis liquet. Nonnulli putant, id Vlpiani & Paulli ætate factum esse. Ipsa antestatio legibus decemuiralibus inducta & confirmata erat; disputant tamen interpretes de vera verborum, quibus lex concinetur, lectione, vt ex GOTHOFREDI, ROSINI, RÆVARDI, SALMASII aliorumque sententiis, a IO. NIC. FVNCCIO *leg. XII. tab. illustrat.* p. 63. seq. memoratis, constat. De hoc antestationis ritu conferantur ANT. AVGVSTINVS *de leg. cap. LII. tom. II. thes. ant. Roman. Grævii* p. 1322. CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap.* 18. p. 1706. IAC. RÆVARDVS *ad leg. XII. tab. cap. V. tom. I. operum*, p. 344. FRANC. POLLETVS *de for. Rom. lib. V. cap.* I. PHIL. PAREVS *elect. Plautin.* p. 344. IAC. CVIACIVS *lib. VII. obs.* 16. p. 283. GVIL. BVDÆVS *not. in Pandect.* p. 214. FRID. RAPPOLTVS *not. ad Horatium* p. 211. IO. GOTTL. HEINECCIVS *loco memorato* p. 222. & IO. NIC. FVNCCIVS *leg. XII. tab. illustrat.* p. 60. Quodsi vindices dabat reus, aut in via litem cum actore componebat, dimittebatur; sin vero

Vt vero singuli singulas haberent orationes, quod maxime in grauioribus caussis fiebat, praesertim iis, vero minus id factum fuerat, & coram praetore vterque, & actor & adcusatus, comparuerat, actor indicabat, qua actione vti & qua ex caussa agere vellet, quod *actionem edere* dicebatur. Saepe enim plures actiones in vnam caussam incidebant, ex quibus vna eligenda atque edenda erat: vid. PLAVTVM *Perſ. act. IV. ſcen. I. v. 8.*

1) Quando actor a praetore actionem postulabat, reus simul aduocatos petebat, qui caussam eius coram praetore optime defenderent. His peractis, vbi reus opes, quas *immobilia bona* vocant, non possidebat, actor rogabat, sibi dari vades, siue eos, qui pro reo sese obstringerent, sponsionem praestarent, ac promitterent, se velle in se culpam ac poenam, vbi reum statо iudicii die non sisterent, suscipere. Hi vades actori, si lis erat priuata, populo vero in iudiciis publicis, certam pecuniae summam spondebant; quod ex LIVIO *lib. III. cap.* 13. p. 184. luculenter comprobari potest. Saepe, vt actor eo tutior esset, rei, vbi opes possidebant, non solum pecuniam pollicebantur, sed etiam praedes dabant: conf. CLAVD. SALMASIVS *de mod. vſur. cap. XVI.* p. 684. Quando vades, vbi praediis destituti erant, haud idonei habebantur, necesse erat, vt adcusatus vsque ad definitium iudicii diem, qui per ordinem perendinus erat, vel in carcerem commigraret, vel, vbi dignitate praeditus fuit, in domo iudicis, qui a PLAVTO *mercat. act. IV. ſcen.* 3. v. 36. *ſequeſter* appellatur, maneret, vt ibi leuiori modo detineretur. Quando igitur reus actori fideiussores dabat, *vadimonium promittere*; si vero non se sistebat, *vadimonium deſerere* dicebatur, quam in rem legas GELLIVM *lib. VII. noct. Attic. cap. I.* & CICERONEM *pro Quint. cap. XIV. ſeq.* eisque addas CLAVD. SALMASIVM *de mod. vſurar. cap. XVI.* p. 695. ADR. IVRNEBVM

iis, quæ in senatu agebantur, vt ex PLINII *lib. II. ep.* 11. adparet, præscriptum tempus erat, quot horis vteretur quisque ad dicendum, ideoque *clepsydra* adhibita in iudicio, quæ tempus definiret: ll) PLINIVS *lib. I. ep.* 23. *num.* 2. & *lib. VI. ep.* 5. *num.* 5. 7. m)

BVM *lib. XII. aduersar. cap.* 8. p. 365. IAC. OISELIVM *not. in Gellium lib. XVI. cap.* 10. BARN. BRISSONIVM *de formul. lib. V.* p. 369. & CAROL. SIGONIVM *de iudic. lib. I. cap.* 21. Ad differentiam inter voces, *fideiussor*, *vindex*, *vas* & *præs*, quod attinet, obseruandum est, *fideiussorem* generatim eum significare, qui pro altero se obstringit: *vindicem* fuisse eum, qui priuata auctoritate sese aduersario deuincit, vt reus a seuera antestatione liberetur: *prædem* sponsorem in litibus priuatis; *vadem* vero in publicis & capitalibus rebus exstitisse: conf. BARNAB. BRISSONIVM *de formul. lib. V.* p. 392. & ARNOLD. DRAKENBORCHIVM *notis ad Liuium lib. III. cap.* 13. Sequiori æuo voces hæ sæpe inter se permixtæ & ita confusæ sunt, vt nonnulli vix sibi persuadere possent, discrimen inter vades ac prædes re ipsa exstitisse.

ll) Adde MARTIALEM *lib. VI. epigr.* 35. v. 1. & *lib. VIII. epigr.* 7. v. 1. Instituta est hæc consuetudo post tertium Pompeii consulatum, ante quem liberum fuit oratoribus, quamdiu loqui & perorare vellent. Sæpe tamen & post hunc introductum morem, oratores liberum sibi expetebant tempus, ne spatium temporis definitum iis aut nimis breue, aut nimis longum esset: conf. LVD. CÆL. RHODIGINVM *lib. XVIII. lect. antiqu. cap.* 9. PETR. FABRVM *lib. II. semestr. cap.* 25. GVIL. BVDÆVM *ad pandect.* p. 266. IVL. POLLETVM *for. Rom. lib. I. cap.* 11. GOTTL. CORTIVM *ad Plinium lib. XI. epist.* 14. & IOACH. KVHNIVM *not. ad Iul. Pollucem lib. VIII. segm.* 113.

m) Reus, vbi se non sistebat, & vadimonium deserebat, bo-

§. II.

Hi accusatores & defensores dicebantur *causs-idici*, *patroni caussarum*, &, si illustriores essent, *ora-*

bona sua, quæ ex edicto postulanti actori adiudicabantur, amittebat: leg. CICERONEM *orat. pro P. Quinctio cap. VI.* Quodsi vero vterque, & reus & adcusator, stato iudicii die comparuerat, *actionem* suam intendebat actor, significabatque reo, quid contra eum proferre vellet, & quam ob caussam eum in ius vocauerit. Actiones hæ pro rerum diuersitate, de quibus controversia erat, maxime erant diuersæ; illas autem fusius hic persequi, nimis longum & ab instituto alienum foret. Plura dabunt CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap.* 21. BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. V.* p. 371. seq. & IO. GOTTL. HEINECCIVS *syst. ant. Rom. iurisprud. illustrant.* p. 233. Omnes actiones certis formulis, a quibus nunquam discedebant veteres, erant consignatæ. Quando ipsa actionis intentio concepta erat, a prætore vel *iudices*, vel *arbitri*, vel *recuperatores* postulabantur: *iudices* videlicet in omnibus actionibus, quæ stricti iuris erant; *arbitri* in caussis, quæ *bonæ fidei* & *arbitrariæ* dicuntur; *recuperatores* vero in rebus recipiendis & reddendis, ac in controversiis de facto. Videantur CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. I. cap.* 21. 22. BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. V.* p. 416. CLAVD. SALMASIVS *de modo vsurar. cap. XVII.* & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton. vit. Neron. cap. XVII.* p. 757. Iudices, arbitri ac recuperatores, postquam a reo probati fuerant, a prætore certa formula addicebantur, quo facto satisdationes postulabantur, non solum ab ipso rei, quæ in controversia erat, possessore, sed etiam a procuratoribus & possessorum & actorum. Reus enim satisdabat, *iudicatum solui*, id est, se nihil deterius in possessione facturum, reinque, vbi iudicium contra eum ferretur, resti-

tu-

oratores; non autem *aduocati*, qui amici erant reorum, rogati, vt reis in iudicio tantum præsen-

tiarum, &, si id non faceret, potestati petitoris plane se permissurum ac iudicio exhibiturum esse; id quod etiam procurator rei, vbi hic absens erat, spondebat. Procurator actoris *satisdare* debuit, se rem ratam esse habiturum. In iudiciis *personalibus* reo solum necessitas imponebatur, se de exitu litis exspectando obstringendi, quod pro diuersitate adcusati vel iureiurando, vel sola promissione, vel satisdatione fiebat. Pecunia, quæ deponebatur, *sacramentum* adpellata est; qua de re BARN. BRISSONIVM *de form. lib. V.* p. 394. adeas. His peractis, fiebat *litis contestatio*, siue totius rei, de qua controuersia orta erat, enarratio, ex vtraque parte facta. Tum ipsum iudicium, a iudice ferendum, initium suum habebat, id quod per ordinem die tertio post litis contestationem ita ferebatur, vt iudex, se ex lege iudicaturum esse, iuraret, vterque litigantium *iusiurandum calumniæ* præstaret, & defensores *causſam perorarent*, id est, vel breuiter, vel multis & artificiosis verbis litigantes defenderent. Orationes, contra adcusatum recitatæ, atque *adcusationes* adpellatæ, sæpe longissimæ & ita comparatæ fuerunt, vt in illis singula crimina recitarentur, eaque testibus locupletibus fideque dignis confirmarentur; qua de re CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. II. cap.* 17. *lib. III. cap.* 9. *seq.* & FRANC. FOLLETVS *for. Rom. lib. I. cap.* 12. videndi sunt.

Supra obseruaui differentiam inter iudicia publica ac priuata. Restat, vt de his quædam breuiter dicam. Iis præfuerunt initio reges; postea vero consules, per breue tamen tempus, vt ex LIVIO constat. Lege enim Valeria de prouocatione non multo post reges exactos lata, constitutum est, vt non consul, sed ii, quos populus quæstionibus publicis præfecerat, de capite ciuis

quæ-

tia sua adessent, quorum gratia iudices mouerentur. *Aduocationes* autem erant mora & tempus, quod

quærere debeant, quapropter quæstiones modo dictatori, modo consulibus, modo cuidam ex prætoribus committebantur, teste LIVIO *lib. IX. cap.* 26. & *lib. IV. cap.* 51. Anno DCIV. quæstiones perpetuæ introductæ sunt, & sex prætores per sortem inter se iurisdictionem vrbanam, peregrinam, & quæstiones perpetuas de maiestate, de repetundis, ambitu & peculatu, inter se ita dividebant, vt quatuor singuli singularibus quæstionibus, reliqui duo præturis, alter vrbanæ, alter peregrinæ præessent: conf. CICERO *Brut. cap. XXVII.* Quam ob rem & Sullæ tempore, aucto quæstionum perpetuarum numero, etiam prætorum augebatur numerus; ita tamen, vt senatus pro suo arbitrio hac in re agere potuerit, quemadmodum ex CICERONE *de finibus lib. II. cap.* 16. & *Brut. cap. XXII.* liquet. Habebantur hæc iudicia in foro & inter iudices principem sibi locum vindicabat *iudex quæstionis*, qui cum quæsitore non confundendus est, vt QVINCTILIANVS *lib. VIII. inst. orat. cap.* 3. docet. Hic vti datam actionem exercebat, iudices sortiebatur, quæstionesque habebat; ita ipse prætor iudices, quibus quæstionis iudex præerat, cogebat & dimittebat. Postquam rei in ius vocati erant, adcusator a quæsitore rogabat, vt ipsi *nomen deferre* & adcusandi partes suscipere permitteretur, quoniam mulieres, pupilli, infames & maioris flagitii suspecti, immo magistratus adcusari non poterant, & sæpe plures deprehendebantur, qui nomen deferre volebant, ita, vt antea iudicandum fuerit, cui munus hoc concedendum esset, quo facto reliqui adcusationi illius subscribere solebant: vid. CICERO *divinat. in Verrem cap. XV.* GELLIVS *lib. II. noct. Attic. cap.* 4. & SALOMON *de iudiciis Rom. cap. LVII.* His peractis constitutoque die, ipsa *nominis delatio* fiebat, præstito

ab

quod a iudice petebant, dum amicos aduocarent. Vide, quæ ad CICERONIS *lib. VIII. ep.* II. *num.* I.

 nota-

ab adcusatore iureiurando, se adcusationem non calumniandi caussa suscepisse. Delationominis libello subscripto, qui omnia & singula crimina recensebat, facta est, quæ vbi confiteretur reus, *æstimatio litis* fiebat; sin vero negaret, nomen eius inter reos recipiebatur. Nominis delationem igitur recipiebat prætor, & certum diem, qui pro lege Licinia & Iulia per ordinem perendinus erat, constituebat, nisi adcusator ad inquirenda crimina, si inprimis in repetundarum crimine reus versabatur, longius poscceret tempus: vid. ASCONIVM *ad Ciceron.* p. 1815. Reus interim & sæpe cum tota sua familia, teste LIVIO *lib. IV. cap.* 42. vestes obsoletas & sordidas induebat, ac patronos quærebat, quorum numerus diuersus erat. Quum vterque, & reus, & adcusator, per præconis citationem se sisteret, coram iudicibus, qui partim per *electionem*, partim per *sortitionem* dari; tum vero a litigantibus adprobari & iureiurando obstringi debebant, ipsa caussa cognoscebatur, & quidem per duas actiones, quarum altera ab adcusatore, altera vero a patronis rei susceipiebatur. Adcusator rei crimina singulatim percensebat, & quidem in grauioribus potissimum caussis artificiosa & copiosiore oratione. Crimina testimoniis confirmabantur, quæ triplicis generis erant. Alia erant *seruorum*, ex quibus veritatis testimonium exprimebatur vi tormentorum, nimirum *aculei*, corpora misere distrahentis & extendentis, *laminarum candentium*, aliorumque huiusmodi instrumentorum; hæcque testimonia *quæstiones* adpellabantur. Alia testimonia *liberorum hominum* fuerunt, qui sine tormentis rei alicuius testes, præstito iureiurando, esse potuerunt, vbi ita comparati erant, vt fide digni haberi possent. His accedebat testimoniorum genus, *tabellarum* nomine adpellatum, quo omnis generis scripturas, adcusati scripti litteras, tabulas accepti & expensi, aliaque,

com-

notauimus. Postea, quum ex aduocatis talibus quidam etiam defenderent reum, factum est, vt *aduocatorum* nomen etiam causſidicis tribueretur, quod VLPIANVS tradit *leg. I. §. 10. digest. de extraordinariis cognitionibus.* Aduocati autem non erant ipsi causſidici; sed cognati reorum & amici, qui cum reo in iudicium ibant, vt illorum nume-

10

complecti veteres solebant. Ad alteram actionem, quæ adcusatis permittebatur, quod spectat, obseruandum est, patronos pariter ac laudatores multum laboris & operæ consumsisse in reo, ab imminente periculo liberando. Patroni in eo elaborabant, vt factum, cuius causſa reus adcusatus erat, defenderent; aut id reum feciſſe negarent, quapropter testes vel suspectos reddere, vel testimonia eorum ad adcusati emolumentum atque vsum conuertere studebant: conf. CICERO *pro Cluent. cap. XVIII. & XL. in Verr. orat. V. cap.* 23. Laudatores virtutes reorum recitare, eorumque merita artificiosis verbis amplificare solebant; hique in defensione rei vel incipiebant, vel finem faciebant; conf. CICERO *pro Cluent. cap. XL.* Quodsi per leges *comperendinatio* non concedebatur, iudices iussu prætoris secundum supra memoratum modum suffragia ferebant, quibus collectis sententia pronuntiabatur, qua reus vel condemnari vel absolui, vel tota res ad adcuratiorem cognitionem reseruari solebat; quod vbi decernebatur, tota rei actio denuo initium suum habebat. Reus condemnatus tribunorum auxilio pœna indicta se liberare studebat. Sæpe etiam ea mitigabatur, quod varia in veteribus scriptoribus confirmant exempla. Omnia, quæ hic breuiter dixi, illustrant, quos in hac iudiciorum publicorum enarratione sequutus sum, CAROL. SIGONIVS *de iudiciis lib. II. cap.* 1. seq. & 10. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant.* p. 310.

ro & auctoritate iudices haberet faciliores, ex quibus, qui sanguine erant proximi, miserabili habitu & lacrimis mouebant iudices. Vide de his & *aduocandi* verbo, quæ ad PLINIVM *lib. IV. ep.* 17. §. 2. ex SENECA *lib. I. de clementia cap.* 9. & GRONOVII *in locum illum commentario* adnotauimus.

§. III.

Rei sunt accusati, qui non modo de caussidicis & defensoribus solliciti erant, & amicos aduocabant, verum etiam laudatores quærebant. De laudatione reorum vide, quæ ad CICERONIS *lib. I. ep.* 9. *num.* 8. & 13. notauimus, & adde ASCONIVM *pro Scauro sub finem: laudauerunt*, inquit, *Scaurum consulares nouem; horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant.* n)

§. IV.

n) Præter hæc quædam de pœnis & variis custodiarum generibus, apud Romanos vsitatis, addenda sunt. Apud ISIDORVM *lib. V. orig. cap.* 27. octo pœnarum genera recensentur:

I) *Damnum*, siue mulcta; quæ antiquissimis temporibus, si grauissima erat, duabus ouibus & triginta bobus constitit. Docet hoc FESTVS voce *multa*. *Non licebat*, inquit, *quondam pluribus triginta bobus & duabus ouibus quemquam multari.* Post exactos reges, anno videlicet vrbis conditæ CCXLVIII, per legem Ateriam Tarpeiam loco pecoris æs adhibitum est, ita, vt in singulis ouibus æris deni & in boues centeni constituerentur: conf. BARN. BRISSONIVS *ant. select. lib. I. cap.* 3.

II) *Vincula*, quæ quidem proprie ad custodiam reorum pertinebant, sæpe tamen & loco pœnæ adhibita sunt, præsertim si duriora essent, & iis iniicerentur, quorum dignitati carceris & vinculorum ignominia repugna-

§. IV.

Rei, siue adcusati erant squalidi, id est, sine ornamento & munditie, vt misero illo habitu facilius

pugnabat. Huc pertinet & *sempiterna custodia* in carcere, quæ apud Romanos quidem vetita, nonnunquam tamen ab illis vsurpata fuit, donec a Theodosio magno penitus ea abrogaretur: conf. IAC. GOTHOFREDVM *comm. ad cod. Theodos. tom. III.* p. 31. ed. *Ritteri*; IAC. LECTIVM *ad Aemil. Marcum de publ. iudiciis tom. I. thes. iur. Rom. Euerh. Ottonis* p. 165. & ANT. BOMBARDINVM *de carcere & antiquo eius vsu, cap. VIII.* p. 87. vbi adcurate disputat, quomodo vincula & carceres ad pœnarum genera a veteribus sint relata. In duriora vincula & squalidos carceres ciuis Romanus per ordinem haud coniici potuit.

III) *Verbera*, quæ in vrbe virgis; in castris vero fustibus infligebantur. Liberi homines virgis; serui vero loris cædi solebant, qua de re RAMIRESIVS DE PRADO *pentecontarch.* p. 218. & IOANN. DOVGTÆVS *analect. nou. test.* p. 92. legendi sunt. Sed virgæ quoque per leges varias a tergo ciuis Romani amotæ sunt: vide CICERONEM *orat. Verrin. V. cap.* 54. & 62. & supra dicta adiunge.

IV) *Talionis* pœna, quæ in legibus decemviralibus quidem constituta erat; quoniam vero is, qui alterum læserat, eam per reconciliationem cum læso a se amouere poterat, non est dubium, quin & antiquissimis temporibus pœnæ huius admodum rara extiterint exempla. In legibus memoratis sancitum est: SEI MEMBROM RVPSIT, NEI CVM EO PACIT, TALIO ESTOD; vt ANTON. AVGVSTINVS *ad leg. XII. tabul.* §. *XXXII.* IVSTVS LIPSIVS *legib. reg. tom. IV. oper.* p. 331. IOANN. NIC. FVNCCIVS *leg. XII. tabul. illustr.* p. 321. obseruant. Mentionem quoque faciunt huius edicti FESTVS *in Gothofredi auctor. lat. ling.*

us mouerent misericordiam iudicum. CICERO sæpe hoc significat. *Post reditum ad Quirites cap. III.*

ling. p. 115. & A. GELLIVS *lib. XX. noct. Attic. cap. I.* qui præter alia refert: *atrociores iniurias, vt de osse fracto, non liberis modo, verum etiam seruis factas, impensiore damno vindicatas esse; quibusdam autem iniuriis talionem quoque adposuisse*, ac rationem seueræ huius legis ita addit: *sed decemuiri minuere atque extinguere volentes huiuscemodi violentiam pulsandi atque lædendi talione eo quoque metu coercendos esse homines, putauerunt.* Ex quibus satis patet, ob metum potissimum, violentorum hominum animis inferendum, hanc legem esse promulgatam. Nemo igitur tam stultus facile esse potuit, quin cum læso pacisceretur, & quamuis & *transactionem* is, qui alterum læserat, repudiaret, ea talionis pœna contra reum non statim adhibita est; quod idem GELLIVS aperte his significat verbis: *nam si reus, qui depacisci noluerat, iudici, talionem imperanti, non parebat, æstimata lite iudex hominem pecuniæ damnabat.* Conferantur, præter ANTON. AVGVSTINVM, FVNCCIVM, ac reliquos legum decemuiralium interpretes: THOM. DEMSTERVS *paralip. ad Rosin. antiqu.* p. 703. FRANC. POLLETVS *hist. fori Rom. lib. IV. cap. 3.* & IO. ANDR. DANZIVS *diss. de origine talionis ad mentem gentilium*, ceter. Ienæ, MDCC. habita.

V) *Ignominia*, qua per censoris notam quis adficiebatur. CICERO *lib. IV. de republ.* apud NONIVM MARCELLVM *lib. I. cap. 93.* ita loquitur: *censoris iudicium nihil fere damnato adfert, nisi ruborem. Itaque, quod omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animaduersio ista ignominia dicta est.*

VI) *Exsilium*, quod a relegatione multum differt. Qui enim exsilio puniebantur, non vrbe eiici solebant, sed *aqua & igni interdicebantur*; quibus vitæ vero subsidiis

III. Quinti Ciceronis fratris ſordes lugubres & ſqualorem in ſuo Marci periculo deſcripſit. Et *pro*

ſidiis quum deſtitutos ſeſe viderent, per ſe neceſſarium erat, vt de vrbe diſcederent. Multi iam ante latam a iudicibus ſententiam abierunt, quando præuidebant, iudices eos eſſe damnaturos; horumque conditio lenior fuit, quam eorum, qui latam contra ſe ſententiam in vrbe exſpectabant. Iis enim, qui ſponte ante pronuntiatam iudicum ſententiam abibant, hoſpitium non denegari potuit, quum aqua & igni ſolemniter interdictos recipere vetitum eſſet. Pœna hæc in aliis gravior, in aliis mitior fuit, pro conſtitutis videlicet vrbis finibus, extra quos ſecedere debebant. Amittebant togæ ius, & quamuis ipſis priuilegium ciuitatis per hanc pœnam non adimeretur; deſtituebantur tamen iſto, ſimul ac in aliam exteram ciuitatem, ad quam ſeſe contulerant, ſe recipiendos curabant. Euoluantur PAVLLVS MANVTIVS *de leg. cap. XIX.* & alii, quos SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 136. recitat. De relegatione & deportatione, pœnis imperatorum æuo vſitatis, iam ſupra dixi.

VII) *Seruitus.* Quum nemo, qui ciuis erat, ſeruus fieri, nec ſeruilibus ſuppliciis adfici poſſet, ob ſumma flagitia populi conſenſu ad mortem damnati ciuitatis iura amittere ſolebant, hacque ratione capite puniendus non tanquam ciuis, ſed vt ſeruus, vitam amittebat; quam in rem IAC. CVIACIVS *lib. XV. obſ. cap.* 22. & GERH. NOODTIVS *probab.* p. 86. legendi ſunt.

VIII) *Mors*; cuius varia genera apud Romanos exſtiterunt. Ad ſupplicia enim capitalia pertinent: 1) *ſuſpendium* in arbore infelici, ſiue ea, quæ fructus non fert: conf. LIVIVS *lib. I. cap.* 26. 2) *Præcipitatio de ſaxo Tarpeio*, ſiue de rupe Tarpeia, quæ in auſtrali vertice montis capitolini ſita, maximæ altitudinis fuit; vt obſeruat FAM. NARDINVS *Rom. vet. lib. V. cap.*

II.

pro Ligario cap. II. mutatæ veſtis meminit, id eſt, *non candida, ſed ſordida ſqualidaque veſte reos vſos:* vide

II. & OLAVS BORRICHIVS *ant. vrb. Rom. fac. cap. X.* §. 9. Erat in illa antiquiſſimum Romanorum ſupplicium, a Romulo ipſo contra L. Tarpeium adhibitum, cui, teſte GELLIO *lib. X. cap.* 18. tam ſerui, quam liberi ab initio obnoxii fuerunt, præſertim perduellionis & maieſtatis rei. Optime pœnæ huius locum deſcribit SENECA *lib. I. controu.* 3. ipſius vero ſupplicii PLAVTVS *trin. act. II. ſcen.* 1. v. 30. & LVCRETIVS *lib. III.* v. 1028. GELLIVS *lib. XX. noct. Attic. cap. I.* LIVIVS *lib. XXV. cap.* 7. & TACITVS *lib. VI. annal. cap.* 19. mentionem fecerunt. Poſt leges Porciam & Valeriam ſupplicium hoc paullatim obſoleuit. CÆSAR BARONIVS deiectionem de ſaxo cum præcipitatione & robore confudit; quod recte obſeruarunt ANT. BOMBARDINVS *de carcere cap. IV.* p. 32. & IVST. RYCKIVS *de Capitol. cap. XLV.* p. 170. 3) *Crux*, ſeruorum ſupplicium; de quo præter alios IVST. LIPSIVS *lib. III. de cruce, tom. III. operum* p. 1141. HENR. KIPPINGIVS *de cruce & cruciariis:* CLAVD. SALMASIVS *tribus ad Thom. Bartholinum epiſtolis de cruce*, atque alii plures apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 598. & IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar.* p. 515. commentati ſunt. 4) *Securis*; qua lictores capita ſontium, virgis antea cæſorum, amputare ſolebant: vide LIVIVM *lib. II. cap.* 5. *lib. XXVI. cap.* 15. 5) *Strangulatio*; quæ plurimam partem, vt ex SALLVSTIO *bell. Catil. cap. LV.* patet, in robore, carceris Tulliani parte, non autem, quemadmodum nonnulli volunt, in Tulliano, fiebat. Huius ſupplicii exempla apud SVETONIVM *vit. Tiber. cap. LXI.* TACITVM *lib. III. annal. cap.* 50. *lib. V. cap.* 9. *lib. VI. cap.* 39. LIVIVM *lib. XXXIV. cap.* 43. FLORVM *lib. IV. cap.* 1. habemus: adde PETR. FABRVM *lib. II.*

ſe-

vide noſtras ibi *notas*, & adde GELLIVM *lib. III. cap.* 4. vbi ſolitus cultus reorum deſcribitur, fuiſſe ſordi-

ſemeſtr. cap. 7. THOM. DEMSTERVM *not. ad Roſin.* p. 789. & SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium* p. 489. 6) *Præcipitatio de robore*; qua, vti FESTVS *de verb. ſign.* p. 451. ed. *Dacerii* refert, damnati arcis anguſtis, ex robore factis & *roborum* nomen habentibus, includebantur, & poſtea extracti in profundum illum carceris locum, itidem *robur* adpellatum, deiiciebantur. Dubium inde eſt, num loquendi formula, *de robore præcipitari*, ipſum carceris locum, in quem detruſi fontes ſunt; an arcam, in quam antea compingi ſolebant, ſignificet? conf. VALERIVM MAXIMVM *lib. VI. cap.* 3. p. 543. 7) *Merſio in flumen*; quod ſupplicii genus parum in vſu apud Romanos fuit; vnde & a LIVIO *lib. I. cap.* 5. *nouum genus leti* vocatur. Eius & mentio fit apud SVETONIVM *vit. Aug. cap. LXVII.* Vſitatior hæc pœna fuit apud Græcos, qui eam καταποντισμὸν vocabant: apud Syros, Macedonas, Aegyptios, aliosque populos. Legimus & de hoc ſupplicio ſeruatoris effatum *Matth. XVIII*, 6.; apud Iudæos autem vix illius veſtigium deprehendi poteſt. Videantur CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII, CHRIST. GRÆFII, CHRIST. STOCKII & GREG. LAVR. WELLII ſingulares de hoc ſupplicii genere diſſertationes: DAN. FESSELIVS *adverſar. ſacr. tom. II.* p. 68. IAC. ELSNERVS *obſ. ſacr. in noui fœderis libros tom. I.* p. 85. SAM. PITISCVS *not. ad Curtium lib. X. cap.* 4. & *ad Suetonii indicatum locum.* 8) *Culleus*; cui is, qui patrem aut cognatos occiderat, inſui & in mare profundum iactari ſolebat; quam in rem CICERO *pro Sext. Roſc. cap. XXV.* legendus eſt. De reliquis ſuppliciis, vt crematione, tunica moleſta, crurifragio, damnatione ad furcam, metalli coercitione, atque aliis multis, taceo; quæ IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiqu.* p. 513. ſeq. recenſet.

An-

sordidam vestem, barbam & capillos intonsos. De capillis etiam PLINIVS *lib. VII. ep.* 27. §. 14. consulatur.

SECT.

Anteaquam sontes ac rei supplicio adficiebantur, ii in custodiam dari solebant; cuius quatuor apud veteres Romanos fuerunt genera:

I) *Custodia in carcere.* Per ordinem carceres veterum Romanorum tres habuerunt partes: locum *communiorem*, quem LIVIVS *lib. VI. cap.* 16. & CONSTANTINVS imperator *leg. I. cod. de custod. reor. vestibulum carceris* adpellant; *locum interiorem*, qui in interiori ædificii parte constitui & firmissimis seris, obicibus & claustris firmari solebat, vt patet ex *Act. XVI*, 24. & CHRYSOSTOMO *homil. XIV. in Matth. tom. VII. operum* p. 184. Huic sæpe accedebat carcer *subterraneus*, locus per ordinem teter ac fœdus, in quem grauioris flagitii rei coniici solebant: vide DIODORVM *Sicul. lib. XXXI.* p. 893. LVCANVM *Phars. lib. II.* v. 73. TERTVLLIANVM *ad martyr. cap. II.* p. 156. PRVDENTIVM *peristeph. hymn. XIII.* v. 53. & *leg. I. cod. de custod. reor.* Romæ Ancus Martius teste LIVIO *lib. I. cap.* 33. primus carcerem instruxit, cui partem subterraneam Tullius rex adiecit. Vocatur a regis nomine *Tullianum* apud VARRONEM *de lat. lingu. lib. IV.* p. 25. *latomiæ* apud LIVIVM *lib. XXVI. cap.* 27. *lib. XXXII. cap.* 26. *lib. XXXVI. cap.* 3. adde SALLVSTIVM *de bell. Catil. cap. LVIII.* DION. CASSIVM *hist. Rom. lib. XLVI.* & CALPVRNIVM FLACCVM *declam. IV.* p. 797. *declam. Quintiliani ed.* BVRMANNI. Habuit Tullianum duas partes, quarum altera per eminentiam *Tullianum* adpellata est: altera *roboris* nomen accepit, quia ea tabulis firmissimis, ex robore factis, munita & obducta erat; quamuis voces, *Tullianum*, *robur*, *latomiæ*, diuerso modo a priscis auctoribus adhibitæ & mox huic, mox illi carceris subterranei

SECT. II.

DE LEGIBVS ROMANORVM.

CAP. I.

DE LEGIBVS GENERATIM.

§. I.

MAGNA amplitudo vocabuli *legis* est, & latinis auctoribus varia significat. Proprie dicta lex,

parti adsignatæ sint. Fuit id in capite fori, sub Capitolio, vt ex CICERONE *lib. V. in Verr. cap.* 30. & LIVIO *lib. I. cap.* 33. & vestigiis latomiarum, quæ adhuc Romæ exstant, liquet. Ab eo carcere alius, in nona regione prope Marcelli theatrum situs, distingui debet, auctore PLINIO *lib. VII. cap.* 36. & 59. Præter hæc, Romæ ergastula, tam publica, quam priuata fuerunt, quæ omnia vberius monstraui *diss. de vinculis Paulli ex antiquitatum profanarum monimentis illustratis.*

II) *Custodia militaris;* qua rei non in carcere servabantur, sed militibus custodiendi tradebantur. Fuit hæc custodia pro delicti ratione mox lenior, quando sine catenis miles reum seruabat; mox durior, quum dextra illius cum sinistra militis per catenam coniuncta esset. Sæpe tutioris custodiæ caussa noxio duo milites additi sunt, quæ omnia fuse probarunt BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. V.* p. 473. IVST. LIPSIVS *excurs. in Tacit.* p. 187. ed. Paris. IAC. LECTIVS *ad Modestin. de pœn. tom. I. thes. iur. Rom. Euer. Otronis* p. 151. CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK *obs. iur.* p. 17. LAVR. RAMIRESIVS DE PRADO *pentecontarch. cap. V.* p. 35. aliique plures, quos memorata *de vinculis Paulli dissertatione* p. 39. excitaui.

III) *Custodia apud magistratus*, qua adcusati, nobiliores potissimum, vbi crimen nondum confessi erant, con-

lex, vt Ateius Capito apud GELLIVM *lib. X. cap.* 20. definit, est *generale iussum populi, aut plebis, rogante magistratu.* Dum dicit *generale*, vult omnes lege obligari debere. Atque ita lex Manilia, quam Cicero oratione defendit, proprie lex non erat, sed potius priuilegium, quia de vno

consulibus, prætoribus aliisque magistratibus custodiendi tradebantur, de quo adseruandi reos modo ANT. BOMBARDINVM *de carcere cap. XI.* p. 85. IOS. WASSE *not. ad Sallust.* p. 141. IAC. LECTIVM *loco excitato* & GOTTL. CORTIVM *not. ad Sallust.* p. 278. adeas.

IV) *Custodia apud fideiussores.* Supra iam obseruaui, pro iis, qui in ius vocati erant, sæpe ab aliis sponsionem præstitam fuisse. Quum vero eiusmodi fideiussores spopondissent, se velle culpam in se suscipere; nisi adcusatum stato iudicii die sisterent, sæpe fiebat, vt isti, ne fraudarentur, reos in domum suam reciperent ibique custodirent: conf. IVST. LIPSIVS *not. in Tacitum* p. 8. LAVR. RAMIRESIVS DE PRADO *pentecontarch. cap. V.* p. 37. BARNAB. BRISSONIVS *de form. lib. V.* p. 472. & SAM. PITISCVS *lex. antiqu. Rom. tom. III.* p. 618. Hæc omnia *indicata dissertatione cap.* I. fusius exposui, vbi de variis custodiarum generibus apud veteres Romanos commentatus sum. In custodiendis in carcere reis Romani & militibus & vinculis vtebantur. Hæc varii fuerunt generis. Alia manus vinciebant & ex catenis constabant, ad quarum duas extremitates annuli lati & crassi, qui claudi & aperiri potuerunt, adnecti solebant: alia pedes coarctabant, quo *compedes* ac *neruus* potissimum, a LVCA *Act. XVI*, 24. ξύλον, ab aliis *lignum*, *numellæ*, ποδακάκη, ποδοσφαβή vocatus, pertinent: alia collo iniiciebantur, cuiusmodi *boiæ & collaria* fuerunt.

Pompeio agebat. o) Dum addit, *rogante magistratu*, consensum ordinum requirit; quia nec consul, neque alius magistratus poterat legem ferre insciente ac inuito populo. Magistratus ergo, consules, tribuni, quod legis habere vim volebant, retulerunt ad populum, interrogantes: *an velint, iubeant, hoc ita fieri.* Hinc leges dictæ *rogationes*, p) id est, interrogationes populi; de quibus GELLIVS *dicto loco* consulatur. §. II.

o) Hæc GELLII & MARII *Victorini* verbis illustrari possunt. Ille *lib. X. cap. 20. priuilegia*, inquit, *non sunt generalia iussa; neque de vniuersis ciuibus, sed de singulis concepta: quocirca priuilegia potius vocari debent, quia veteres priua dixerunt, quæ nos singula dicimus;* hic vero *de art. gram.* p. 2466. *ed. Putschii* ita scribit: *credo, quod ignoretis nomen, priuilegium quod dicitur. Lex enim priuilegii in vnum hominem data est.* Eadem tradit & CICERO *lib. III. de leg. cap. 19: in priuos homines leges ferri noluerunt, id est enim priuilegium.*

p) *Rogationem* nonnulli ex veteribus a lege distinxerunt. Perspicue istud ex his FESTI verbis discimus: *rogatio est, quum populus consulitur de vno pluribusue hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de vna pluribusue rebus, de quibus, non omnibus, sanciatur. Nam quod in omnes homines resue populus sciuit, lex appellatur. Itaque Gallus Aelius ait: inter legem & rogationem hoc interest: rogatio est genus legis, quæ lex non continuo, ea rogatio non potest non esse lex, si modo iustis comitiis rogata est.* His adiungi possunt, quæ ex Aelii Capitonis sententia A. GELLIVS *lib. X. noct. Attic. cap. 20.* ita refert: *plebiscitum est lex, quam plebs, non populus, accipit; sed totius huius rei iurisque, siue quum populus, siue quum plebs rogatur, siue quod ad vniuersos pertinet, caput ipsum & origo, & quasi fons ro-*

§. II.

Nata exinde est distinctio inter *legem propriam*, quæ ad ius ciuile referenda est, & inter *impropriam*, de singulorem honore, vel iuribus; item inter *legem*, *senatus consultum* & *plebiscitum*, etiam *populiscitum*, quod nomen apud NEPOTEM *in Alcibiade cap. V. num.* 4. & *Epaminonda cap. VII. num.* 4. occurrit. q).

rogatio est; paucisvero interiectis sic pergit: *sed quanquam hæc ita sint; in veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum istorum differentiam esse, animaduertimus. Nam & plebiscita, & priuilegia, translato nomine, leges adpellauerunt, eademque omnia confuso & indistincto vocabulo*, rogationes *dixere.*

q) Haud abs re erit, distincte hoc loco tradere, qua ratione & quibus ritibus Romani leges suas fecerint & confirmauerint. Leges fere potuerunt magistratus maiores, vt prætores, consules, censores, tribuni militum consulari potestate, dictatores, interreges & ex minoribus magistratibus tribuni plebis. Inde non incognitæ sunt leges Aemilia de censoribus & Cornelia de agris proscriptorum, a dictatore; leges Aelia Sentia, Antonia, Ateria, Pinaria de ambitu a consulibus; leges Acilia de repetundis, Aebutia, Aelia, Apuleia, Aquilia, Canuleia cet. a tribunis plebis latæ. Lex Cæcilia de fullonibus a censoribus, Aebutia vero a prætore sancita est, cuius rei & multa, si necessarium foret, adferri possent exempla. Ipsa lex primum domi scribebatur ab iis, qui eam promulgare volebant, accitis amicis sapientibus, cum quibus omnia studiose expendebant & inprimis ad id animum suum adhibebant: num ferenda lex ad vtilitatem reipublicæ spectaret, nec ne? Lex, litteris mandata, senatui tradebatur, quum sine huius consensu cum populo agere, licitum

Cap. II.

DE SENATVSCONSVLTO.

§. I.

SENATVSCONSVLTVM decretum erat a senatu factum, plerumque in publica causſa, quum lecitum haud eſſet, vt PAVLL. MANVTIVS *de leg. cap. XXXIV.* ANT. AVGVSTINVS *d leg. cap. IV.* BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. II.* p. 138. IO. GOTTL. HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. iurisprud. illuſtrant.* p. 37. pluribus docent. His peractis, ea publice tamdiu ad legendum proponebatur, v inter eum diem, quo iſta promulgari, & eum, quo deinde ferri ſolebat, *trinæ nundinæ* intercederent, hæque ratione & a ruſticis omnibus, qui ad nundinas n vrbem veniebant, legi poſſet: conf. CICERO *orat Philipp. V. cap.* II. *pro domo cap. XVI.* & MACROBVS *lib. I. ſaturnal. cap.* 16. Locus, quo lex ferebatur erant prata Flaminia, lucum Petilinum, nonnunquam capitolium; plurimam vero partem forum, aut campus Martius. De foro locupletem teſtem habemus CICERONEM *pro Rab. cap. VII.* vbi, *ſi lex ferretur*, inquit, *conuolaretis ad roſtra*, quippe quæ in foro extierunt. Sanciebantur leges ante ſolis occaſum, diebu faſtis, & quidem iis comitialibus, quibus non de cælo triſtia ab auguribus obſeruata erant ſigna. Fiebat legis conſtitutio in comitiis tam curiatis, quam centuriatis & tributis, in quibus præco publice eam prælegebat, huncque ſtatim ſequebantur, qui legem ferendam partim ſuadebant, partim diſſuadebant; vti hoc ex QVINTILIANO *lib. II. inſtit. orat. cap.* 4. LIVIO *lib. XXXIV. cap.* 1. & 5. *lib. XLV. cap.* 21. CICERONE *lib. I. epiſt.* 14. *ad Atticum*, *pro leg. Manil. cap. XVII.* & *de amicit. cap. XXV.* liquet, quibus teſtimoniis BARN. BRISSONIVS *de form. lib. II.* p. 131.

leges propriæ agant de cauſſis priuatorum. Duplex modus erat faciendi ſenatusconſultum. Præ-

131. & PAVLL. MANVTIVS *de leg. cap. XXXV.* adiungi poſſunt. His peractis, in vrnam nomina centuriarum coniiciebantur, vt ſors ſignificaret, quæ centuria prima, ſecunda, quæ tertia cet. eſſe debeat in ferendis ſuffragiis. Prima inter has ſecundum LIVIVM *lib. IX. cap.* 38. *principium* vocata fuit. Niſi tribuni plebis, conſules & augures intercedebant, tum *rogatio* fiebat, & quisque ciuis ad centuriam ſuam, vt ſuffragium fieret, diſcedebat. Suffragia olim voce; poſtea vero duabus tabellis ferebantur, quarum alteri inſcriptæ erant litteræ V. R., id eſt, *vti rogas*, in altera vero vocalis A, ſcilicet *antiqua probo* exſtabat. In eo loco, vbi populi ſuffragia colligebantur, exſtructi erant pro numero centuriarum *pontes*, ex tabulis atque aſſeribus facti, hosque ſinguli ciues tranſibant, & ciſtulæ, quæ ponti adſtabat, alterutram tabularum immittebant, & quidem, ſi legem probabant, illam, cui litteræ V. R. inſcriptæ erant; alteram vero, vbi ipſis, legem improbandi ac reiiciendi, aderant rationes. Quando populus, collectis & numeratis tabellis, legem ferendam comprobauerat, ea, iureiurando confirmata, æri incidebatur, quo OVIDIVS reſpicit, quando *lib. I. metam.* v. 88. canit:

Nec verba minantia fixo
Aere ligabantur,

& CICERO, qui *orat. Philipp. I. cap.* 13: *quod erit*, inquit, *ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi iubebitur*, hocque & LIVIVS confirmat *lib. III. cap.* 57. vbi ſcribit: *priusquam vrbem conſules egrederentur, leges decemuirales, quibus tabulis XII. eſt nomen, in æs inciſas, in publico propoſuerint*: conf. IO. BRODÆVM *lib. IV. miſcell. cap.* 12. IVST. RYCKIVM *de capitol. cap. XXXII.* ANTON. AVGVSTINVM *de legib. cap. XVI.* & SAM.

PI-

cipuus fiebat per discessionem, qua in diuersas sententias ibant senatores. HIRTIVS *de bello Gallico lib. VIII. cap.* 52. Alter modus, sed minus frequens, consistebat in exquirendis sententiis, vbi consul ab illustrioribus sententiam, quid fieri vellent, exigebat. GELLIVS *lib. XIV. cap.* 7.

§. II.

Quum *senatusconsultum* scriberetur, quod plerumque vnius hominis honorem respiciebat, amici & fautores illius, si senatores essent, aut, quicumque volebant ex senatu, scribendo aderant, eorumque nomina ipsi senatusconsulto inserebantur. Exempla habes apud CICERONEM *lib. VIII. epist.* 8. *num.* 12. 15. & *lib. XV. ep.* 6. *num.* 7. 8. Quod autem de iis plebs non rogabatur, proprie loquendo leges non erant; certo modo autem vim legis habuerunt.

§. III.

PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 416. & *not. ad Sueton.* p. 56. Tabulæ hæ æneæ in ærarium deferebantur, in quo opes reipublicæ, libri elephantini, signa militaria, aliaque ad rem publicam pertinentia, recondebantur. Leges ibi repositas fuisse, perspicue docet SVETONIVS *vit. Cæsar. cap. XXVIII;* cum quo ea comparanda sunt, quæ CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVS *de ærario pop. Rom. cap. IV.* & PAVLLVS MANVTIVS *de legib. cap. XXXVIII.* hac de re obseruarunt. Quemadmodum nouæ leges ferebantur; ita antiquæ sæpe correctæ, auctæ, & nonnumquam quoque penitus abolitæ sunt. Si prorsus lex tollebatur, ea *abrogari;* si sola pars eius delebatur, *derogari* ista dicebatur. Quo stilo leges suas Romani consignauerint, ex egregiis fragmentis legum Seruiliæ & Thoriæ apud CAROL. SIGONIVM *de iudiciis* p. 610. & *de antiquo iure Italiæ* p. 638. intelligitur.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Ceterum distinguntur in *iure* secundum auctorum nomina, qui primi de re vel argumento ad senatum retulerunt. Hinc in *digestis* memorantur senatusconsulta Tertullianum, Trebellianum, Macedonianum, Silanianum, Claudianum, Turpillianum, Velleianum, cetera.

Cap. III.

DE PLEBISCITO ET POPVLISCITO.

§. I.

Plebiscitvm sequitur. Est autem *scitum* aliquod statutum; & inde plebiscita, vt Pompeivs festvs definit, adpellantur ea, *quæ plebs suo suffragio sine patribus iussit, plebeio magistratu rogante.* Gellivs *lib. XV. cap.* 27. ex Lælio Felice hæc adlegat: *ne leges quidem proprie, sed plebiscita adpellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt, quibus rogationibus patricii ante non tenebantur, donec Quintus Hortensius dictator eam legem tulit, vt eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Vide plura *leg. II.* §. 8. *digest.* de O. I. *& legis*, vbi occasio plebiscitorum explicatur, & legis Hortensiæ simul fit mentio, & caussa, cur tradita sit, adiicitur hisce verbis: *quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea obseruari lege Hortensia; & ita factum est, vt inter plebiscita & legem species constituendi interessent, potestas autem eadem esset.* Hinc vis, obligandi vniuersum populum, etiam plebiscitis data.

§. II.

Quod vero ante legem Hortensiam plebiscita patricios non obligarent, nec pro lege haberentur; hoc exinde fuit, quia insciente aut inuito senatu fuerant facta. Ad legem autem propriam requirebatur, vt, quamlibet a tribuno, plebeio magistratu, rogata esset; senatui tamen etiam, antequam confirmaretur, ad consentiendum proponi & exhiberi deberet.

§. III.

Populiscitum in se plus est, quam plebiscitum, & vix differt a lege propria: quia *populus* omnes tres ordines comprehendit; *plebs* autem ordo vnus est, saltem senatorium excludit. GELLIVS *lib. XX. cap.* 10.

CAP. IV.

DE ROGATIONIBVS.

§. I.

ROGATIONES sæpe pro legibus ponuntur ap. CICERONEM & GELLIVM *lib. X. cap.* 20. Ratio hæc est, quia olim leges, magistratu rogante, ferebantur: an plebs, aut populus velit, iubeat, hoc vel illud ita fieri. Causa erat, quia in libera republica summa potestas magis apud populum, quam apud senatum fuit.

§. II.

Postea autem sub cæsaribus mutata legum consuetudo, principibus summam potestatem a populo ad se reuocantibus. Hinc pleræque leges in digestis & in codice ab imperatoribus dicuntur latæ

sine

sine mentione populi, cuius iam potestas exspiraverat.

Cap. V.

DE HISTORIA LEGVM.

§. I.

QVONIAM de legibus agere cœpimus, non alienum a re erit, historiam etiam atque rationem legum in libera republica aut non longe post mutatam eamdem latarum, paucis explicare. Regum enim leges r) erant imperfectæ, ideoque senatus

r) Reges pro sua, qua præditi erant, potestate leges ferebant; quorum tamen numerus non adeo magnus exstitit. Leges has C. Papirius primum congessit, cuius collectio *ius ciuile Papirianum* dicta & a MACROBIO *lib. III. saturnal. cap. II.* laudata est; ea vero, præter pauciſſima fragmenta, dudum periit. Post renatas litteras multi in eo operam suam collocarunt, vt seruatas, quasi ex naufragio, exiguas tabulas colligerent ac restituerent. Inter hos locum habent IO. GVIL. FORSTERVS *in historia iuris Rom. lib. I. cap. 6.* FVLVIVS VRSINVS, qui eas Romæ MDLXXXIII. edidit: ANT. AVGVSTINVS, cuius *de legibus* liber cum FVLVII VRSINI ad leges has *notis tom. II. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1139. seq. exstat: IVST. LIPSIVS *in legibus regiis & decemuiralibus, tom. IV. operum* p. 328. RANDVLPHVS PRATEIVS *iurisprud. vet. Draconis & Solonis cum Roman. iure legum regiarum & decemuiralium collata*, Lugd. Bat. MDLIX. ANTON. CLAR. SYLVIVS libro singulari *ad leges regias & duodecim tabular.* Paris. MDCIII. Easdem leges a LIPSIO, ANTON. AVGVSTINO & FVLV. VRSINO collectas, vna cum aliis legibus & senatus consultis FRIDERICVS SYL-

natus Solonis leges petiit ab Athenienſibus, quæ, ad ſtatum romanum reformatæ, a decemuiris decem tabulis conſcribebantur pro numero decemvirorum. Sequenti anno, quæ deeſſe videbantur, ſuppleta ſunt tabulis duabus, vt duodecim fierent, qui fons eſt iuris Romani, quo hodieque vtimur, quamquam earum ſola fragmenta ſuperſunt: s) vide LIVIVM *lib. III. cap.* 34. §. II.

SYLBVRGIVS *antiquitatibus Romanis* DIONYSII *Halicarnaſſei* ſubiecit. His addendi ſunt FRANC. BALDVINI *lib. II. in leges Romuli ac leges XII. tabularum*, & STEPH. VINAND. PIGHIVS *tom. I. annal. Rom.* FRANC. MODII, IO. ROSINI, THOM. DEMPSTERI, THEOD. MARCILII aliorumque non mentionem facio.

s) De legibus decemuiralibus earumque origine ſupra iam expoſitum fuit. Ipſæ æneæ tabulæ, quibus inſcriptæ fuerunt, anno vrbis conditæ CCCLXVIII. in Gallico incendio perierunt, & quamuis eas denuo colligerent, nec ſolum æri inciderent, ſed etiam curarent, vt puerorum memoriæ omni ſtudio imprimerentur, ne vnquam, ſuborto incendio, ex memoria hominum effluerent; ſeculo tamen poſt ſeruatorem natum ſexto eæ amiſſæ nobisque ſola earum fragmenta relicta ſunt. Multi eruditorum ad id elaborarunt, vt iſtas reſtituerent, ex quibus præcipue ANT. AVGVSTINVS, FRANC. HOTTOMANNVS, IAC. RÆVARDVS, THEOD. MARCILIVS, DIONYSIVS & IACOBVS GOTHOFREDI, IVST. LIPSIVS, CONR. RITTERSHVSIVS aliique plures memorandi ſunt. His cel. IO. NIC. FVNCCIVS adiungi debet, cuius *leges XII. tabularum e ſuis fragmentis reſtitutæ & obſeruationibus critico-antiquariis illuſtratæ* Rintelii MDCCXLIV. prodierunt. Plura de legibus his earumque origine ac fatis exhibet EVERH. OTTO *diſſ. de legibus duodecim tabularum.* Le-

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Crescente republica crescebant etiam delicta & quæstiones. Inde nouæ leges latæ, quia ex duodecim tabulis non omnes casus poterant diiudicari. Ex his potissimum eas, saltem præcipuas earum, memoramus, quæ apud CICERONEM occurrunt: quasdam etiam ex *digestis*, siue *pandectis* adiicimus. Pleræque autem ab *auctoribus* denominantur, nonnullæ etiam a *materia*.

§. III.

Ab auctore nomen habent apud Ciceronem LEX *acilia*, repetundarum: *æbutia*, de curatione & potestate mandanda: *ælia & fusia*, de iure comitiorum: *æmilia*, sumtuariæ: *appuleia*, de coloniis, de maiestate, & alia eiusdem frumentaria; *aurelia*, iudiciaria: *cæcilia didia*, de legibus ferendis: *calpurnia*, de ambitu, & alia repetundarum: *cassiæ*, agraria, de damnatis, & alia tabellaria de iudiciis: *cincia*, de donis & muneribus: *clodia*, frumentaria: *cælia*, de suffragiis: *corneliæ* plures, testamentaria, numma-

Legum tribunitiarum, senatusconsultorum aliorumque edictorum fragmenta collecta & illustrata sunt ab ANT. AVGVSTINO, qui supra *memorato de legibus libro* alium *de senatusconsultis* addidit: PAVLLO MANVTIO *libr. de legibus Romanis*: BARNAB. BRISSONIO *lib. II. de formul.* STEPH. VINANDO PIGHIO *annal. vrb. Rom.* GEORG. SCHVBARTO *de fatis iurisprudent. Roman.* p. 578. seq. POMPONII LÆTI, FRANC. HOTTOMANNI, PAVLLI MERVLÆ, IO. VLR. ZASII aliorumque haud mentionem facio: conf. IO. ALB. FABRICIVM *bibliothec. latin. vol. I.* p. 808. & IO. GOTTL. HEINECCIVM *fynt. ant. Rom. iurisprud. illustr.* p. 3. seq.

maria, de infamia, de legatis prouincialium magistratuum, de magistratibus, de maiestate, de municipiis, de proscriptione, de prouinciarum rectoribus: *curia*, de auctoritate patrum: *domitia*, de sacerdotiis: *fabia*, de numero sectatorum: *flaminia*, agraria: *flauia*, agraria: *furia*, de testamentis: *gabinia*, de legatis: *gellia cornelia*, de ciuibus: *hirtia*, de Pompeianis: *iuliæ*, de legationibus liberis, de prouinciis, de repetundis pecuniis, de sacerdotiis: *iunia*, de peregrinis vrbe eiiciendis: *lætoria*, de tutelis: *liciniæ*, de curatione & potestate mandanda, de sacerdotum electione, de sodalitiis: *licinia mucia*, de ciuibus regundis: *mænia*, de magistratibus: *manilia*, de libertinorum suffragiis: *mariæ*, de nummis, de suffragiis: *octauia*, frumentaria: *papiæ*, de ciuitate, de peregrinis: *papiriæ*, de consecratione, & alia tabellaria de legibus: *plotia*, de vi: *pompeiæ*, de ambitu, de iudicibus: *porcia*, pro tergo & vita ciuium: *pupia*, de senatu comitialibus diebus non habendo: *remmia*, de calumniatoribus: *roscia*, theatralis: *rupilia*, de iudicibus, sortito dandis: *scantinia*, contra impudicos: *sempronia*, agraria, frumentaria, de capite ciuium romanorum, de prouinciis: *seruiliæ*, de ciuitate, de iudicibus, de repetundis: *terentia cassia*, frumentaria: *thoria*, de vectigalibus: *tullia*, de ambitu: *valeria*, de tyrannide Sullæ: *varia*, de maiestate: *vatiniæ*, de alternis consiliis, de prouinciis: *voconia*, de hereditatibus feminarum: & aliæ plures. t) §. IV.

t) Aliæ eiusmodi leges enarrari possent, nisi id ab instituto

§. IV.

In pandectis memorantur *aquilia*, de damno iniuriæ: *atinia*, de vſucapione: *corneliæ*, de falſo, de iniuriis, de luſu, de ſicariis & veneficis: *fabia*, de plagiariis: *falcidia*, teſtamentaria: *glicia*, de inofficioſo teſtamento: *hortenſia*, de plebiſcitis: *iuliæ*, de ambitu, de annona, de maritandis ordinibus, de peculatu, de repetundis, de reſiduis, de vi priuata, de vi publica: *iunia vellea*, de teſtamentis: *papia poppæa*, de connubiis: *petronia*, de ſervis: *pompeia*, de parricidis: *plautia*, de vi: *ſcribonia*, de luſitanis, & aliæ.

§. V.

Quædam leges, quamuis auctores non ignoti eſſent, a materia denominabantur. Tales ſunt *leges agrariæ* multæ, u) de agris populi diuidundis, quæ ſæpe cauſſæ tumultus exſtiterunt: *annales*, ſiue annariæ, x) quæ magiſtratui certam ætatem

tuto paullo alienum eſſe videretur. Qui plura deſiderat, præter PIGHIVM, HOTTOMANNVM, MANVTIVM & AVGVSTINVM adire poteſt SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 419. ſeq.

u) Quo leges caſſia, licinia, flaminia, ſempronia, apuleia, tullia aliæque pertinent.

x) Legem annalem L. Villius, tribunus plebis, anno vrbis DLXXIV. ſanxit, L. Manlio Acidino Fuluiano & Q. Fuluio Flacco conſulibus. Mentionem legis huius faciunt LIVIVS *lib. XL. cap.* 43. CICERO *orat. philipp. V. cap.* 17. OVIDIVS *lib. V. faſtor.* v. 65. & ARNOBIVS *adu. gent. lib. II.* p. 95. Conf. ANT. AVGVSTINVM *de legib. tom. II. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1267. PAVLL. MANVTIVM *de legib. cap. VI.*

p.

tem præscribebant: *frumentariæ* variorum: *sumtuariæ*, y) quibus luxuria conuiuiorum prohibebatur: *tabellariæ*, z) de dicendis sententiis & suffragiis ferendis per tabellas: *vicesimarum*, de vectigali vicesimæ: & similes.

Cap. VI.

DE EDICTO PRÆTORIS.

§. I.

Posteriorvm cæsarum leges ex digestis, codice & nouellis notæ sunt. De *edicto prætoris* tantum pauca hic adiungimus. Qui enim iudiciis ordinariis, in foro habitis, præerat prætor vrbanus, sub initium muneris sui in albo scripta edicta proponebat, supplendi iuris ciuilis caussa, secundum quæ ius per annum suum dicturus esset.

§. II.

Addebat etiam certas formulas, quibus diebus & qua ratione ac modo, a partibus etiam obseruando, id esset facturus. Hinc, quicquid iussit prætor, *edictum* postea vocabatur, & frequens in iure vox est, *prætor edicit*. Si prætor edictum anteceſſoris retinebat, vocabatur *edictum tralaticium*.

§. III.

p. 1043. ivst. lipsivm *de magistrat. pop. Rom. tom. III. operum* p. 1431. & sam. pitiscvm *not. ad Sueton.* p. 514.

y) Huc leges sumtuariæ: æmilia, antia, cornelia, fannia, iulia, licinia & orchia referendæ sunt.

z) Vide leges cassiam, cœliam, gabiniam, papiriam aliasque apud sam. pitiscvm *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 421. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Tandem Hadriani tempore Salúius Iulianus iureconsultus composuit *edictum perpetuum*, quod prætores obseruarent; nec mutarent edicta annis singulis. Huius fragmenta satis copiosa supersunt, a diuersis edita, ex quibus intelligimus, qualia fuerint edicta prætorum. a) De auctore huius edicti vide EVTROPIVM *lib. VIII. cap.* 9.

SECT. III.

DE COMITIIS.

CAP. I.

DE DISTRIBVTIONE POPVLI, COMITIA HABENTIS.

§. I.

ROMANVS populus varie distributus fuit, præcipue a Seruio Tullio, sexto rege, quamuis Romulus etiam, etsi ruditer, in hac parte egisset. Huic enim tribuunt tribus & curias, in populo institutas; classes autem & centurias Seruio. LIVIVS *lib. I. cap.* 43. videtur, vtrumque dare Seruio, Romulo nihil, aut parum. Sed forsan ordinatius Seruius fecit, quod ruditer Romulus instituerat. Nam ipse LIVIVS *lib. IV. cap.* 4. Seruio tantum tribuit descriptionem centuriarum classiumque. b)

§. II.

a) De edictis prætorum iam supra expositum fuit.

b) A LIVIO DIONYSIVS *Halicarnassæus*, ab vtroque vero PLVTARCHVS dissentit, vt fuse monstrat CAROL. *Cellar. Antiquit.*

§. II.

Hæc distributio licet ob alias etiam causſas facta esſet; præcipuus tamen illius vſus fuit in ſuffragiis

SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 3. p. 29. De Romulo tradi ſolet, eum diuiſiſſe populum Romanum in tres tribus; hæcque diſtribuendi ratio de ipſis gentibus, quæ Romæ erant, non vero de locis, vbi domicilia ſua habebat populus, deſumta erat. Tarquinius Priſcus diuiſionem hanc mutauit, & quamcunque tribum duplicauit, ita ut, quum ante tres eſſent, quarum prima *Ramnenſium*, ſecunda *Tatienſium*; tertia vero *Lucerum* habuit nomen, nunc primi & ſecundi Ramnenſes, primi & ſecundi Tatienſes, primi & ſecundi Luceres numerarentur. Seruius Tullius deinde, abrogato hoc populum numerandi modo, nouam diſtributionem inuenit, qua populum non per gentes, ſed per loca vrbis, in quibus ille habitabat, ita diſtinxit, vt ciuitatis quatuor conſtitueret partes. Ita hanc rem refert LIVIVS *lib. I. cap.* 43: *Seruius pedeſtri exercitu ornato diſtributoque, equitum ex primoribus ciuitatis XII. ſcripſit centurias. Sex item alias centurias, tribus a Romulo inſtitutis, ſub iisdem, quibus inauguratæ erant nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Hæc omnia in dites a pauperibus inclinata onera. Deinde eſt honos additus; non enim (vt a Romulo traditum ceteri ſeruauerant reges) viritim ſuffragium eadem vi, eodemque iure promiſcue omnibus datum eſt; ſed gradus facti, vt neque excluſus quisquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes primores ciuitatis eſſet. Equites enim vocabantur primi LXXX. inde primæ claſſis centuriæ; ibi ſi variaret, quod raro incidebat, vt ſecundæ claſſis vocarentur; nec fere vnquam infra ita deſcenderent, vt ad infimos peruenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem,*

qui

giis ferendis. Non enim viritim & promiscue omnibus datum est suffragium; neque enim hoc

qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam a Seruio Tullio summam non conuenire. Quadrifariam enim vrbe diuisa regionibus collibusqu quæ habitabantur partes, tribus eas adpellauit, vt ego arbitror, a tributo: nam eius quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Cui & DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV.* p. 219. adiungendus est. Causſam, quare hoc ita fecerit, tradit CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 3. p. 35: *hunc autem*, inquit, *ut a Romuli ratione, atque instituto discederet, hæc, vt opinor, causſa adduxit. Vidit Ramnenses, qui Palatium, & Tatienses, qui Capitolium tenebant, a Luceribus nouo atque aduentitio populo longe numero superari. Etenim quicunque in vrbem quotidie confluebant, sese Luceribus adiungebant. Igitur vt omnes inter se tribus æquaret, ac parem in omnibus multitudinem redderet, qui Palatium & Capitolium, & quidquid inter eos colles spatii erat, habitarent, in vnam omnes tribum coniecit, quam a nobiliori Palatii nomine, quod in eo primum vrbs sita fuerit, adpellauit: qui sub vrbem veterem, quæ regio Subura dicebatur, in Suburanam: qui Esquilias, in Esquilinam: qui Quirinalem Viminalemque collem, in Collinam, quam, ne alteri horum collium, qui dignitate pari erant, iniuria fieret, non Quirinalem, aut Viminalem, sed Collinam nuncupauit.* Idem Seruius & totum agrum Romanorum in certas descripsit tribus; de numero vero earum inter se ne veteres quidem consentiunt, quemadmodum ex FABII, VERRONII & CATONIS sententiis, a DIONYSIO *Halicarnasseo lib. IV.* p. 220. recitatis, constat; quibus CAROL. SIGONIVM *loco indicato* p. 36. addas, vbi VARRONIS, LIVII & reliquorum scriptorum effata inter

se

per multitudinem fieri potuit; sed gradus facti; ita tamen, vt nemo excluſus videretur, qui in certa

se comparat. Tribus *vrbanæ* a collibus & regionibus vrbis; rusticæ vero a ruris, siue agri, partibus nomen acceperunt; multæ tamen postea, relicta priori adpellatione, illustrium familiarum nomina adsumserunt, id quod tribus Claudia, Papiria aliæque satis & abunde confirmant. Postea plures additæ sunt, ita, vt XXXV. essent, qui numerus usque ad extrema reipublicæ tempora permansit. Qui ergo in vrbe sedem ac domicilium habebant ciues, in tribubus vrbanis; qui vero rura colebant, in tribubus rusticis fuerunt. Sæpe tamen postea factum est, vt præstantissimi vrbis incolæ rusticis tribubus se adnumerari vellent. Hoc ea de caussa fiebat, quoniam rustica vita apud Romanos maxime æstimabatur, censores vero potestatem acceperant, de tribubus pro arbitrio suo disponendi, ac ciues ex vetere in alteram tribum transferendi. Inter hos censores Q. Fabius anno vrbis CCCCXLIX. tenuissimos ex quibuscunque tribubus ciues in quatuor vrbanas adlegit tribus, quemadmodum LIVIVS *lib. IX. cap.* 46. confirmat. Quum vero inde vrbanis multum de dignitate atque amplitudine per id detraheretur, factum est, vt præstantiores ciues rusticas, quæ ex eo tempore honoratiores habebantur, præferrent, iisque se adscribendos curarent. Nec omnes rusticæ habuerunt parem dignitatem; & quoniam altera altera hac in re esset superior, inde contigit, vt & ciues ex vna rustica in aliam rusticam tribum transirent, id quod fuse PAVLL. MANVTIVS *de comitiis cap. II.* probat; qui tamen, vt recte monet IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. I. thes. ant. Rom.* in eo errauit, quod omnes rura possidentes in tribum rusticam adscriptos fuisse existimauerit. *Nemo*, inquit, *veterum hoc tradidit. Hoc vero est credibile, omnes, qui in rusticis tribubus*

cen-

ta tribu, curia, vel centuria erat. Hinc comitia, qui conuentus populi suffragiorum ferendorum caussa erant instituti, diuisa erant in *curiata*, *tributa & centuriata*. Prius ergo vocabula explicabimus, quam de ipsis agamus comitiis.

§. III.

Romulus apud DIONYSIVM *Halicarnasseum lib. II. p.* 82. in tribus tres & curias triginta diuisisse populum dicitur; Seruius autem Tullius non tantum tribus auxit, sed classes quoque addidit,

censebantur, habuisse rura, vt ait PLINIVS *lib. XVIII. cap.* 3. *sed nemo dixerit, omnes, qui rura habebant, fuisse in tribum rusticam translatos.*

Ad curias quod spectat, earum itidem auctor fuit Romulus, qui tres constituit tribus; singulas vero in decem curias ita distinxit, vt numero triginta essent. Ipsa vox *curiæ* etiam illis locis, in quibus singulæ curiæ sacra fecerunt, adtributa est; de quibus ita loquitur FAM. NARDINVS *Rom. vet. lib. II. cap.* 1: *hæ forsan*, videlicet ædes, *vnum fuere ædificium, in triginta sacella siue aulas distinctum. Triginta namque distincta inter se, eaque ampla, & adcurrentis ad sacra faciunda populi capacia, nimisquam grande in eo monte spatium occupassent.* Et eandem in rem ad hæc DIONYSII *Halicarnassei* verba prouocat: *sacra sua Romulus cuique curiæ partitus est, adsignatis in singulas diis & dæmonibus, quos perpetuo colerent, sumtusque in hæc adtribuit ex ærario publico, quæ quoties celebrarentur, aderant curiæ suis vicibus epulumque diebus festis præbebatur curialibus, id est, iis, qui erant eiusdem curiæ, in aula cuique curiæ propria.* De his curiis præterea sciendum est, eas, auctis tribubus, non amplificatas fuisse, easque ad solas tribus vrbanas, non autem & ad rusticas spectasse, quæ in curias nunquam diuisæ sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

census agendi causſa, & centurias. Primo enim vrbem in quatuor tribus seu partes diuisit, easque non ab auctore, vel gentis origine, vt Romulus, sed a locis, vbi habitabant, adpellauit *suburanam*, *esquilinam*, *collinam* atque *palatinam*: DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. III. p.* 203. *lib. IV. p.* 219. LIVIVS *lib. I. cap.* 36. & 43. Atque hæ quatuor *vrbanæ* dictæ sunt. Deinde sex populi classes constituit, censu & possessionibus distinctas. In prima classe erant ditissimi, absolute *classici* dicti, a quo ritu etiam scriptores *classicos* nominarunt præstantissimos, vt GELLIVS *lib. VII. cap.* 13. & *lib. XIX. cap.* 8. docet: in sexta tenuissimi. Porro classes singulas distribuit in suas centurias, ita quidem, vt primæ classi, adnumeratis equitibus, darentur centuriæ XCVIII, secundæ XXII, tertiæ XX, quartæ XXII, quintæ XXX; sexta autem, quamquam numero superiores vinceret, pro vna centuria censeretur; atque sic omnium classium essent centuriæ CXCIII. LIVIVS *lib. I. cap.* 43. & DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV. p.* 221. *seq.* & *lib. VII. p.* 464. c)

§. IV.

Curiæ, vt dictum, erant XXX, earumque numerus numquam auctus est, licet tribus deinde multiplicarentur. DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. V. p.* 281. & CICERO *pro domo cap.* 29. Dividebantur rursus in *decurias*: vnde etiam præfecti curiarum *curiones*, & decuriarum *decuriones* adpellati sunt: DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II. p.* 82.

§. V.

c) De classibus populi Romani supra exposui.

§. V.

Tribuum ratio certior erat & constantior, earumque numerus pro tempore auctus, vt tandem fierent triginta quinque. Diuisæ erant in *vrbanas* & *rusticas*, quarum dignitas mutata fuit successu temporis, vt nobilissimus quisque in rustica maluerit quam vrbana scribi, quia quatuor illæ vrbanæ libertinis & nouis ciuibus tandem relinquebantur: DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. IV. p.* 220. LIVIVS *lib. XXXIII. cap.* 10. CICERO *Verr. III. cap.* 5. PLINIVS *lib. XVIII. cap.* 3.

§. VI.

Nomina tribuum hinc inde ex scriptoribus, aut inscriptionibus collegit CAROLVS SIGONIVS *de iure ciuium Romanorum lib. I. cap.* 3. Vnum addimus, potuisse aliquem in duplici tribu esse, pro vtroque parentum naturæ & adoptionis genere. Sic SVETONIVS *de Augusto cap. XL.* scripsit: *Fabianis & Scaptiensibus, tribulibus suis, die comitiorum singula millia nummum a se diuidebat.* In duabus ergo tribubus Augustus fuit, Fabia & Scaptia, vt TORRENTIVS interpretatur & commentatur: Scaptia Iuliorum, per adoptionem: Fabia Octaviorum, per naturam. Quo pertinet inscriptio Brixiensis lapidis apud GRVTERVM *p.* 226. *num.* 3.

C. IVLIO C. F. FAB. SCAPT. CÆSARI AVGVSTO.

Cap. II.

DE VARIIS COMITIORVM GENERIBVS.

§. I.

Comitia, d) vti diximus, erant vel *curiata*, vel *tributa*, vel *centuriata*, prout populus vel per curias, vel tribus, vel centurias suffragia ferebat. e)

§. II.

d) De comitiis Romanorum edisseruerunt PAVLL. MANVTIVS *de comitiis Romanorum* & NIC. GRVCHIVS *lib. III. de comitiis Romanorum;* contra quos SIGONIVS varia obseruauit, quæ vna cum GRVCHII libris Hanov. MDCIV. edita sunt. His addi debent LATINI LATINII *obseru. in libros de comitiis Rom. Nic. Gruchii*, quas IO. GEORG. GRÆVIVS *in præf. tom. I. thes. ant. Rom.* transferendas curauit. In eodem *tomo* & memoratus MANVTII *de comitiis* liber: GRVCHII *libri illi tres* de eodem argumento, cum *responsione ad binas Caroli Sigonii reprehensiones:* CAROL. SIGONII *posterior cum Nic. Gruchio disputatio de binis comitiis & lege curiata:* & NIC. GRVCHII *ad posteriorem C. Sigonii disputationem refutatio*, aliaque huc spectantia, leguntur. OTTO AICHERIVS itidem *libros tres de comitiis Romanorum* Salisburg. MDCLXXVIII. edidit, cui PAVLLVS MERVLA & BARTHOLOMÆVS BEVERINVS adiungendi sunt.

e) De modo suffragia ferendi iam commentatus sum. Quodsi quæritur: quisnam comitia habuerit? obseruandum est, magistratibus, &, si nulli erant, interregi, potestatem comitia edicendi datam fuisse. Deceperunt se hac in re IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. I. cap.* 8. & NIC. GRVCHIVS *de comit. lib. I. cap.* II. quum adfirmant, a collegio pontificum & pon-

§. II.

Curiata comitia, a Romulo instituta, sensim interierunt; saltem negligentius habita sunt, sicut

 ipsæ

pontifice maximo comitia itidem haberi potuisse. Contrarium ex his verbis CICERONIS *epist. V. ad Brut.* intelligitur: *omnino Pansa viuo, celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam sibi subrogasset. Deinde ante prætoria sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim vnus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt.* Ex quo effato hæc recte colligit IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. V. thes. ant. Rom. Si pontifici maximo fuisset hoc ius, non exspectandum fuisset, dum noui consules crearentur, qui haberent comitia sacerdotum. Quin etiam legimus sæpe apud Liuium, comitia a consulibus habita pontificis maximi creandi caussa.* His duo addit loca LIVII, quæ sententiam hanc de summo pontifice, comitia habendi potestate prædito, probabilem reddere quidem videntur; re ipsa vero, vbi iusta iis accedit interpretatio, nihil probant. Etenim in horum altero quidem *lib. III. cap.* 54. legitur: *ibi extemplo, pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creauerunt;* sed id plane extra ordinem factum est, quoniam, postquam decemuiri munere suo se abdicauerant, nulli tum exstiterunt magistratus: & in altero quoque loco, qui *lib. XXV. cap.* 5. habetur, hæc exstant verba: *comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit;* de horum autem vera sententia sic pronuntiat memoratus IO. GEORG. GRÆVIVS: *horum verborum hanc sententiam esse puto, Cethegum collegii pontificum nomine petiisse, vt comitia haberentur, quem locum sic intelligendum esse inde patet, quod nusquam aliter quam hic legatur, a pontifice habita fuisse comitia pontifici maximo creando; sed in tot aliis locis commemoretur, comitia*

illa

ipsæ curiæ, quemadmodum ex DIONYSIO *Halicarnassæo lib. IV. p.* 224. *lib. V. p.* 281. *lib. IX. p.* 598.

illa habuisse consules, quod nemo, credo, infitiabitur. Errant inde, qui pontificem maximum comitia habere potuisse credunt. Per ordinem consules comitia habuerunt, &, quum duo essent, vnus vero solum illa haberet, sæpe inter se sortiebantur; id quod LIVIVS *lib. III. cap.* 64. *lib. XXXV. cap.* 6. confirmat. Quanta hominum multitudo comitiis, præcipue centuriatis ac tributis, confluxerit, vel ex eo liquet, quod iis non solum ciues, in vrbe & agro Romano habitantes, sed omnes ex vniuersa Italia, quibuscunque ciuitatis ius datum erat, ad suffragia ferenda aduolauerint. Habebantur comitia ad magistratus creandos: leges sanciendas: bella indicenda: prouincias mandandas: imperium abrogandum: reum ciuem iudicandum: & ob alias caussas, de quibus populi suffragia colligenda erant. Comitia curiata & centuriata non sine auspiciis acta sunt, quoniam senatus auctoritate habebantur; tributa vero, quæ sine senatusconsulto a tribunis plebis edici solebant, sine auspiciis instituebantur. Tempestate suborta, illa plane dirimebantur, quod CICERO *lib. II. diuin. cap.* 18. perspicue docet. Sic etiam consules, vel supplicationes decernendo, vel ferias latinas indicendo, comitia impedire potuerunt; vt ex CICERONE *lib. II. ad Quint. fratr. ep.* 7. liquet. Augures itidem disturbarunt comitia, vbi quidquam aduersi visum auditumque esse nuntiabant; conf. CICERONEM *de leg. lib. II. cap.* 12. & ex recentioribus PAVLL. MANVTIVM *de leg. cap. IX.* p. 848. & PAVL. MERVLAM *de comit.* p. 17. Plura de iis, quæ hic breuiter tradidi, dabunt, præter supra memoratos, MANVTIVM & GRVCHIVM, CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 17. GVID. PANCIROLLVS *de ciuit. Rom. cap. LIII.* aliique apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 524.

Landesbibliothek Oldenburg

598. & 603. & CICERONE *contra Rullum cap. II.* cognoscimus. f)

§. III.

Tributa comitia verius erant plebis concilia, quia submotis patribus, seu senatu, agebantur: LIVIVS *lib. II. cap.* 60. & DIONYSIVS *Halicarnassseus lib. XI. p.* 726. Deinde ad iudicia translata, & de multis caussisque aliis leuioribus ibidem actum, etiam de exsilio absentium: DIONYSIVS *Halicarnassseus lib. VII. p.* 463. *seq. & lib. IX. p.* 585. Adde SIGONIVM *de iudiciis lib. III. cap.* 5. & 14.

§. IV.

Centuriata comitia erant Romæ nobilissima & præcipua, quibus per classium centurias suffragia ferebantur. Atque in his patricii superabant plebeios: DIONYSIVS *Halicarnassseus lib. VIII. p.* 549. & *lib. XI. p.* 726. In his etiam magistratus maiores

f) In comitiis curiatis, quæ omnium antiquissima erant populus, per curias diuisus, suffragia ferebat. Omnes res maioris momenti in iis peragebantur, donec Servius Tullius centuriata introduceret, & grauiores caussas ad ea a curiatis transferret; per quod obtinebat, vt ditiorum sententiæ prænalerent, quum antea sæpe in curiatis hominum ex infima sorte suffragia ob multitudinem eorum maximam haberent vim: conf. DIONYSIVS *Halicarnassseus lib. IV.* p. 224. Habebantur ea igitur, postquam centuriata comitia in vsum adducta fuerant, eo potissimum fine, vt imperium militare magistratui deferretur, leges nouæ constituerentur, & sacerdotes crearentur; vt obseruant CAROL. SIGONIVS *de antiqu. iur. prouinc. lib. III. cap.* 8. & NIC. GRVCHIVS *de comit. lib. III. cap.* 3. Non omnes ciues in iis suffragia ferebant; sed solum tribus vrbanæ, quippe quæ solum in curias descriptæ erant.

Landesbibliothek Oldenburg

iores creati sunt, consules, g) prætores, h) censores, & interdum quoque proconsules: i) vnde

g) LIVIVS *lib. I. cap.* 60. hoc testatur, quando, *duo consules*, inquit, *inde comitiis centuriatis a præfecto vrbis ex commentariis Seruii Tullii creati sunt.* LIVIO hæc CICERONIS verba adiungenda sunt: *illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis, L. Murenam consulem renuntiaui.*

h) Huius rei itidem LIVIVS auctor est *lib. VII. cap.* 1. scribens: *prætorem iura reddentem & collegam consulibus atque iisdem auspiciis creatum.* GELLIVS *lib. XIII. noct. Attic. cap.* 15. idem confirmat, ex quo etiam apparet, censores comitiis his creatos esse.

i) LIVIVS, *eo decursum est*, ait, *vt populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet: diemque comitiis consules edixerunt. Primo exspectauerant, vt, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur; quæ vt destituta exspectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis desideriumque imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas, prope inops consilii, comitiorum die tamen in campum descendit, atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremuntque, adeoque perditas res, desperatumque de republica esse, vt nemo audeat, in Hispaniam imperium accipere. Quum subito P. Cornelius, Publii qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti ferme annos natus, professus se, petere, in superiore, vnde conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, clamore & fauore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium; iussi deinde, inire confusum suffragium, ad vnum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt. lib. XXVI. cap.* 18. Omnes fere leges, a dictatoribus, consulibus & prætoribus auctoritate senatus factæ, comitiis centuriatis quidem ferri debebant; id tamen non semper tam strenue

de etiam comitia *consularia*, *prætoria*, & simili modo a magistratu, qui tum creabatur, adpellata sunt: LIVIVS *lib. V. cap.* 52. *lib. X. cap.* 22. & CICERO *ad Atticum lib. IV. ep.* 2.

§. V.

Memorantur etiam *calata* comitia, quæ vero, vt GELLIVS *lib. XV. cap.* 27. interpretatur, ipsa erant curiata & centuriata; neque adeo diuersum comitiorum genus faciebant. Calata enim sunt conuocata, a καλῶ, id est, *voco*, *conuoco*: vnde & *calendæ* dictæ sunt. Rarum nomen in antiquitate, vt mireris, qui factum sit, vt IVSTINIANVS *institutionum leg. II. titulo* 10. *de testamentis* id nomen reduxerit.

CAP. III.

DE LOCO COMITIORVM.

§. I.

LOCVS comitiorum priscis temporibus erat *comitium*, k) pars fori romani, a *coeundo* dictum,

nue obseruatum est. Iisdem comitiis, teste LIVIO *lib. XXXI. cap.* 16. non solum bella hostibus indicenda decernebantur, sed etiam iudicia capitalia exercebantur: conf. VALERIVM MAXIMVM *lib. VI. cap.* 5. Ex magistratibus maioribus consules, dictatores & prætores potissimum comitia hæc habere potuerunt. Vt toti populo dies comitiorum innotesceret, is antea publice per tabulas publicas significabatur. Per ordinem in campo Martio ista comitia acta sunt. Vide supra memoratum NIC. GRVCHIVM *loco indicato.*

k) Comitium pars fori Romani fuit, vbi rostra posita erant.

ctum, vt PLVTARCHVS *in Romulo p.* 30. tradit. Atque ibi comitia curiata olim habita sunt: VARRO *lib. IV. de ling. lat.* Idem locus postea suppliciis destinatus fuit, ibique virgis cæsi, vti apud LIVIVM *lib. XXII. cap.* 57. & PLINIVM *lib. IV. ep.* II. *num.* 10. legimus, & damnatorum liberi exusti, cuius exemplum habet TACITVS *in Agricola cap. II. num.* 1.

§. II.

Crescente populo, amplior locus quæsitus comitiis, præsertim centuriatis, fuit: *campus martius*, inter vrbem & Tiberim situs, qui sæpe etiam absolute *campus* dicitur: DIONYSIVS *Halicarnassæus lib. IV. p.* 276. GELLIVS *lib. XV. cap.* 27. CICERO *catilinaria I. cap.* 5. *catilinaria II. cap.* 1. & *lib. VII. ep.* 30. *num.* 3. Pars campi, qua digniores constituti erant, *septa* dicta, quæ distinguebant a promiscua turba, & quorum sæpe fit mentio apud scriptores. Vid. CICERO *pro Milone cap. XV.*

SE-

erant. Quum ex VARRONE *lib. IV. de lat. lingu. cap.* 32. patet, comitium hoc prope curiam exstitisse, inde colligitur, id ad radices palatii, versus capitolium, situm fuisse. Erat id a sinistra curiæ parte, habebatque, vti nonnulli suspicantur, murum humilem, quo a reliquo fori spatio disiunctum erat. Immo ipsum comitium foro paullo editius fuisse, ex eo quidam autumant, quod id cum curia Hostilia, quæ itidem foro altior fuit, coniunctum exstitit. Alii ad dextram curiæ partem id collocant. Plura habebis apud FAM. NARDINVM *Rom. vet. lib. V. cap.* 2. NIC. GRVCHIVM *de comit. Rom. lib. II. cap.* 7. ALEX. DONATVM *de vrb. Rom. lib. II. cap.* 18. & SAM. RITISCVM *not. ad Sueton.* p. 20.

SENECA *de ira lib. II. cap.* 7. & AVSONIVS *in gratiarum actione ad Gratianum cap. V. num.* 2.

§. III.

Neque vero magistratus tantum creabantur in campo; verum alia etiam ibi acta sunt cum populo negotia, item iudicia certa & similia ad rem publicam pertinentia: LIVIVS *lib. XXXI. cap.* 6. *lib. IV. cap.* 23. *lib. VI. cap.* 20. & CICERO *pro domo cap. XXX. & XXXII.*

SECT. IV.

DE PETITIONE HONORVM.

§. I.

PETITORES honorum *candidati* 1) dicebantur a toga candida. Vnde Ciceronis oratio in toga candida contra competitores suos apud ASCONIVM *in fragmentis.* Plus autem est candida, quam alba, & splendorem superadditum significat. Petentium autem toga, vt noscerentur ab aliis, creta candidior fiebat. ISIDORVS *Hispalensis lib.*

1) Candidati, siue ii, qui comitiis honores petere volebant, ante omnia preces ad numina mittebant, quibus desiderium suum exponere ac supplices rogare solebant, vt votis dii satisfacerent, remque ex animi sententia succedere iuberent: vide PERSIVM *sat. II.* v. 39. & PLAVTVM *rud. act. I. scen.* 5. v. 11. Deducebant eos amici in campum Martium, vbi quibuscunque mediis fauorem populi sibi colligere studebant. Distribuebant pecuniam, obuios salutabant, ac quasuis blandas adhibebant adpellationes, vt inde pluriumorum gratiam inirent ac suffragia eorum sibi conciliarent; quemadmodum CICERO *lib. II. epist. I. ad Atticum*, PLVTARCHVS *quæst. Rom. XLVIII.* & MARTIALIS *epigr. I.* v. 113. testantur.

Landesbibliothek Oldenburg

lib. XIX. origin. cap. 24: *toga candida eademque cretata, in qua candidati, id est, magistratum petentes, ambiebant, addita creta, quo candidior insigniorque esset.* Et PERSIVS *sat. V. v.* 147:

- - - quem tollit hiantem
Cretata ambitio.

Prohibitum quidem aliquando fuit, ne cui album in vestimentum addere liceret, vt LIVIVS refert *lib. IV. cap.* 25. sed non fuit obseruatum. Difficilior autem aditus ad honores erat propter multitudinem suffragiorum. Quæ vero a potentioribus prius, quam a promiscua multitudine expetenda erant, quia hæc ab illis regebatur. Inde cursare, ambire, prensare soliti candidati; nec tantum per se, sed etiam per amicos, qui voce, litteris candidatos commendabant aliis. Exempla sunt apud CICERONEM *lib. II. ep.* 6. qua Milonem consulatus candidatum Curioni commendat, & apud PLINIVM *lib. II. ep.* 9. qua sollicitus est, vt Euricio tribunatum plebis impetret, & *lib. VIII. ep.* 23. *num.* 5. quo discursu, qua vigilantia hanc ipsam ædilitatem petiit.

§. II.

Quod vero ad ipsos candidatos attinet, illorum studia, cursitationes, prensationes, omnium copiosissime descripsit MAMERTINVS *in paneg. ad Iulianum cap. XVI.* Adde AVSONII *paneg. cap. V.* vbi illa non solum, quæ ante ibidem in vrbe, verum etiam quæ in campo Martio a candidatis agebantur, egregie describuntur.

§. III.

Etiam illo tempore, quo petebant, necesse erat, mo-

moribus honestis studere, ne vitæ genere aliquem offenderent. Vnde Cicero argumentum sumit pro Milone, eum non destinato animo interfeciſſe Clodium, quia candidatus fuerit, quorum esset, modestia & honestate se omnibus adprobare.

§. IV.

Hæc, quæ diximus, inepta etiam consuetudine tolerabantur. Si vero potentiores, aut integræ tribus ac centuriæ pecunia corrumperentur, *crimen ambitus* vocabatur, quo conuictus exsilio mulctari solebat. Exemplum habes in CICERONE *lib. III. ep.* 12. & *lib. VIII. ep.* 6.

LIB. VI.

DE ORDINIBVS ROMANORVM, AC DIVERSO EORVM STATV.

SECT. I.

DE ROMANORVM ORDINIBVS.

CAP. I.

DE ORDINE SENATORIO.

§. I.

POPVLVS romanus in tres ordines (*Stænde* nostrates vocant) fuit diuisus: *senatorium*, *equestrem* & *plebeium*. De singulis nunc breviter exponemus.

§. II.

Senatus dictus eſt a *ſenibus*, qui ſoli ob ſenilem prudentiam in eum legebantur: inde etiam *patres* adpellati, & in adlocutionibus *patres conſcripti*. SALLVSTIVS *de bello catilin. cap. VI.* & FLORVS *lib.* I. *cap.* I. *num.* 15.

§. III.

Origo ab Romulo eſt, qui centum ſenes, conſultationum adiutores, legit: m) LIVIVS *lib. I. cap.* 8. Tarquinius Priſcus addidit alios centum, quia ciuitas nunc auctior erat, & plures, qui dignitatem illam tueri poſſent. n) Nihilominus hi poſteriores *minorum gentium* ſunt adpellati. LIVI-

m) Atque hi centum a Romulo conſtituti ſenatores ex ſolis legebantur patriciis. Iſte enim eos, qui ceteros virtutibus, ætate, genere, ſapientia atque opibus ſuperabant, a reliquis ſeparauit, *patriciosque* dixit, a voce *patris*, vt videtur, ſic adpellatos, quemadmodum GER. IO. VOSSIVS *etymolog.* voc. *patricii* credit. Singulæ tum tribus ex his patriciis ternos legebant viros, id quod & curiis ſingulis mandatum fuit, ita vt nouem & nonaginta eſſent viri, quibus ipſe, vt centenarius impleretur numerus, vnum adiecit, qui reliquis dignitate & auctoritate præcellebat.

n) Hic primus fuit, qui ex plebeiis hominibus præſtantiſſimis centum ad patricios retulit, eisque ſenatoriam dedit dignitatem. Ipſe enim homo nouus erat & ex peregrinis originem ſuam ducebat. Ii, qui poſt Romulum a Tarquinio atque a conſulibus, poſt expulſos reges, patribus adnumerati ſunt, communi nomine *patres conſcripti* adpellabantur, hacque nominandi ratione omnes, qui in ſenatu verba faciebant, vti, ac vniuerſum ampliſſimum ordinem ordinem ita adloqui ſolebant, qua de re BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. II.* p. 161. conſulendus eſt.

Landesbibliothek Oldenburg

VIVS *lib. I. cap.* 35. Pulsis regibus, primi consules, vt interfectorum a Tarquinio Superbo numerum supplerent, simulque augerent ordinem, trecentorum senatum fecerunt, teste LIVIO *lib. II. cap.* 1. Sic Latini tradiderunt: DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II. p.* 85. *&* III. Romulum bis legisse centum senatores refert, quem clari quidem viri sequuntur; quod autem in tanto Latinorum silentio non est admittendum.

§. IV.

Trecentorum numerus mansit vsque ad Sullæ tempora. APPIANVS *Alexandrinus de bello ciuili lib. I. p.* 413. Et licet non constet, quantum numerum fecerit; probabile tamen est, supra quadringentos fuisse, quod ita ad Ciceronis tempora seruatum fuit, vt ex *lib. I. ad Atticum ep.* 14. colligitur. Iulius Cæsar nimium auxit numerum, & quidem ad nongentos vsque, vt DIO CASSIVS *lib. XLIII. p.* 237. refert; vel ad millenos, vt SVETONIVS habet in *Augusto cap. XXXV.* In quibus quod multi indignissimi essent (nam peregrinos etiam ex Gallia & aliunde in curiam introduxerat) Augustus ad pristinum numerum & splendorem, qui ante ciuile bellum fuerat, redegit; aut paullo maiorem esse permisit, vt tamen numerus intra sexcentesimum consisteret: DIO *lib. LIV. p.* 530. Posteriores cæsares auxerunt aliquando; vt tamen non facile plures, quam sexcenti senatores essent.

§. V.

Legebantur ſenatores o) ordinario modo a cenſoribus ex ordine equeſtri, vnde primi conſules ſupplementum fecerunt, apud LIVIVM *lib. II. cap.* 1. cui adde *lib. IX. cap.* 29. & *lib. XXIII. cap.* 23. Nec vero plebeiis ſenatus omnino clauſus erat, quod infra de conſulibus plebeiis & tribunis in plebeio ordine oſtendemus.

§. VI.

In prima republica non cenſu, ſed morum integritate fiebant ſenatores: vnde de Valerio Publicola, primi poſt eiectos reges anni conſule, annales tradunt, adeo pauperem mortuum eſſe, vt collatis a populo nummis ſumtum habuerit ſepulturæ. Vid. EVTROPIVM *lib. I. cap.* 10. *num.* 4. Poſtea digni-

o) Senatus primis temporibus a regibus, &, poſt eorum imperium abrogatum, a conſulibus lectus eſt, teſtibus DIONYSIO *Halicarnaſſeo lib. II.* p. 85. & LIVIO *lib. I. cap.* 8. hocque vsque ad annum vrbis conditæ CCCX. ſeruatum fuit, quo priuilegium iſtud ad cenſores transibat, vt CICERO *pro dom. cap. XXXI.* habet. Dictator præter ordinem nonnunquam ſenatores creare potuit, auctore LIVIO *lib. XXIII. cap.* 22. CICERO *pro Sext. cap. XLV.* ſcribit quidem: *maiores noſtri, quum regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creauerunt, vt conſilium reipublicæ proponerent ſempiternum; deligerentur autem in id conſilium ab vniverſo populo, aditusque in illum ſummum ordinem omnium induſtria pateret*, verbisque his ſignificare videtur, ſenatores a populo cooptatos fuiſſe: recte vero IO. GEORG. GRÆVIVS *not. ad hunc locum* aliique obſeruant, pro *ab vniuerſo populo* legendum eſſe *ex vniuerſo populo.* IO. SAR. ZAMOSCIVS *de ſenat. Rom. lib. I. cap.* 4. p. 959. verba hæc ita explicari poſſe credit, vt conſules ius, ſenatores nomi-

dignitatis seruandæ causſa senatoribus etiam census fuit definitus, vt, qui infra illum possideret, non posset senator fieri. Census erat duplo maior; quam equestris ordinis, quem Augustus cæsar auxerat. SVETONIVS *in Augusto cap. XLI.* hoc docet: *senatorum*, inquit, *censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertium taxauit suppleuitque non habentibus.* Supputandi hanc rationem infra de re nummaria Romanorum explicabimus. Vide interim, quæ ad PLINII *lib. I. ep.* 19. *num.* 2. notauimus. p) Bb 3 §. VII.

minandi, habuerint quidem; ii vero tantum in senatum adlecti essent, quos populus suffragiis suis adprobasset; prior vero interpretatio maiorem probabilitatem sibi vindicat.

p) Ratio in senatoribus legendis habebatur: I) *famæ* ac morum integritatis. Omnes enim, qui criminis nomine vel suspecti, vel eius insimulati erant, ab ordine hoc nobilissimo excluſi erant: conf. IO. SAR. ZAMOSCIVS *loco indicato*, p. 961. II) *Generis*. Primum solis patriciis, deinde autem plebeiis, & quidem ingenuis tantum, aditus ad senatum patebat. Is enim a Sullæ imperio libertinis atque proscriptorum filiis plane præcluſus erat. III) *Ordinis*, qui equester fuit, quum ex isto senatores legerentur. Vnde & Seuerus imperator apud LAMPRIDIVM *vit.* eius *cap. XIX. equestrem locum seminarium senatorum esse* pronuntiauit. IV) *Ætatis*. Primis temporibus ii solum, qui ætate alios præcurrebant, & ex ea grauitatem atque auctoritatem nacti erant, senatorum ordini adnumerati sunt, &, quamuis succedente tempore id mutaretur, hæcque dignitas adolescentibus, magno animo & virtute claris, præter ordinem deferretur; certus tamen annorum numerus candidatis his definitus ac præscriptus fuisse, ex multis videtur exemplis; qualis vero ille fuerit, certe in tanto auctorum silentio dici haud potest. Hoc extra omnem dubitationem positum est, legitimo modo neminem ante quæ-

§. VII.

Senatores ab equitibus atque plebeiis etiam veſtitu diſtincti erant. Ille tunica erat laticlauia, ſeu latus clauus. Vnde *latum clauum accipere* eſt ſenatorem fieri. Sic Tiberius ſenatori latum clauum ademiſſe dicitur apud SVETONIVM *cap. XXXV.* hoc eſt, ex ſenatu mouiſſe. PLINIVS *lib. XXXV. cap.* 1. ſic ordines diſtinguit: *annuli*, inquit, *diſtinxerunt alterum ordinem a plebe; ſicut tunica ab annulis ſenatum tantum.*

§. VIII.

Senatorum erat *ſententias dicere*, quæ barbare *vota* adpellant: ſicut populi in comitiis *ferre ſuffragia.* Nec vero omnes rogabantur, ſed tantum principes: hoc eſt, ſi ſub finem anni erat, conſules deſignati; deinde aut his nondum deſignatis, princeps ſenatus a cenſoribus lectus; porro qui in ma-

quæſturam ad hanc ſenatoriam dignitatem adſpirare potuiſſe. Adeas IO. SAR. ZAMOSCIVM *laudato libro* p. 964. V) *Magiſtratus.* Nemo ſenator fieri potuit; niſi antea aliis iam magiſtratibus atque honoribus fuerat perfunctus, id quod expreſſe docet DIO CASSIVS *lib. LIV.* p. 540. VI) *Cenſus.* Ne ſplendor ordinis huius per inopiam domeſticam & rei familiaris anguſtiam obſcuraretur, cenſus ſenatorius equeſtri ordine duplo maior fuit. Cenſus ſenatorius octingentorum millium HS. fuit ante Auguſtum, qui, ob opes ciuium in ciuilibus bellis exhauſtas, ad quadringenta millia eum reduxit; poſtea vero eumdem, auctis ciuium facultatibus, ampliauit, & ſenatorum cenſum ad decies millia, poſtea vero ad duodecies millia extendit; quæ vbi rite obſeruantur, facili negotio effata DIONIS *lib. LIV.* p. 532. & 540. ac SVETONII *vit. Aug. cap. XLI.* inter ſe conciliari poſſunt.

Landesbibliothek Oldenburg

magistratu erant, quemadmodum in catilinaria caussa Cicero consul post Silanum designatum consulem rogauit Iulium Cæsarem, tum prætorem; LIVIVS *lib. XXXVI. cap.* 3. & SALLVSTIVS *de bell. catilin. cap. L. seq.* Tribuni poterant etiam non rogati interloqui, suamque dicere sententiam; CÆSAR *de bello ciuil. lib. I. cap.* 2. *num.* 8. q)

§. IX.

Arbitrii ergo erat consulis, præter primos rogare, quos vellet; nec in primis semper ordinem,

q) *Rogationem* antecedebat relatio. Si enim frequens aderat senatus, consul ille, apud quem fasces erant, aut, eo absente, prætor, dictator, interrex, nec non præfectus vrbi, rem, de qua sententia ferenda erat, toti senatui exponebat. Tribunis plebis licitum fuit, enarrationi ea, quæ necessaria ipsis videbantur, addere, aut nouam plane relationem ad senatum referre. De formulis, hanc in rem adhibitis, exponit BARN. BRISSONIVS *de form. lib. II.* p. 165. vbi & obseruat, finita relatione, rogationem non verbis *precatiuis*, vti in comitiis, sed *imperatiuis* factam esse. De ipso ordine, in rogationibus adhibito, cuius auctor noster meminit, obseruandum est, plerumque ante comitia principem senatus, post comitia vero consules designatos primo loco sententias dixisse. Hos sequebantur viri consulares, prætorii, ædilitii, quæstorii, ac tribunitii. Inter istos liberum erat consuli, quem primus rogare vellet, modo id ita fieret, vt magistratuum ordo haud disturbaretur. Augustus, vt SVETONIVS eius *vit. cap. XXXV.* refert, nullius ordinis rationem habuit, eo consilio, vt omnes, qui sententias ferre deberent, eo attentiores redderentur: vide IO. GOTTL. HEINECCIVM *synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant. lib. I. tit.* 2. §. 49. p. 76.

nisi in designato consule, seruasse strictim videtur. Vnde SVETONIVS *in Cæsare cap. XXI.* refert, quem ordinem calendis ianuariis tenuisset, eum per totum annum seruasse. Rogabat autem sententias consul, tamquam director senatus; nec vero multos rogabat; sed postquam duæ vel tres dictæ fuerant, reliqui senatores, discessione facta, ad hunc vel illum, qui dixerat sententiam, se conferebant, accessu suo illam confirmantes. Hinc est nota formula: *ire in sententiam alicuius*, apud LIVIVM *lib. I. cap. 32. lib. V. cap. 29.* r) CICE-

r) Sic idem scriptor *lib. XXVII. cap. 34*: *L. Veturius & Licinius censores*, inquit, *eum tonderi, & squalorem deponere & in senatum venire fungique aliis publicis muneribus coegerunt; sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat.* Quodsi quis non plane cum reliquis consentiebat, formula vtebatur: *huic, vel illi adsentior; & hoc amplius censeo.* Latis sententiis, consul eas vel supprimebat, vel pronuntiabat; ac primum quidem significabat, quid ipsi hac in re optimum videretur. Quisque eorum, qui aderant, vnam earum amplectebatur, & ad eos, qui eiusdem sententiæ erant, se conferebat, vt inde cognosceretur, quot senatores hanc vel illam adprobassent sententiam. Formula, qua vtebantur, hæc fuit: *qui hoc sentitis, illuc transite; qui alia omnia, in illam ite, qua sentitis;* siue, si ex duabus tantum prolatis sententiis alterutra eligenda erat: *qui hoc sentitis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.* Hæcque consuetudo ea de caussa introducta est, vt illi, qui ante discessionem hanc sententiam dixerant, & aliam meliorem post suam prolatam esse animaduerterant, occasionem haberent, suam derelinquendi, atque alterius consilio sese addicendi. Loquen-

CERONEM *lib. I. ep.* 2. *num.* 4. atque alios. Vnde minoris ordinis senatores, qui numquam dicebant sententiam, sed sententiæ alterius accedebant, dicti fuere *pedarii*, vt est apud GELLIVM *lib. III. cap.* 18. Quod vocabulum aliquid ignominiæ videtur habere; res ipsa vero, *ire in sententiam alterius*, per se non erat ignominiosa, sed recepta in plerisque faciendis senatusconsultis, quæ per discessionem fiebant, de quibus supra dictum.

§. X.

A senatusconsulto autem differebat *senatus auctoritas*. Quum enim infrequentior iusto senatus esset, aut tribuni plebis intercessissent, senatusconsultum non poterat fieri; sed senatus auctoritas tantum præscribi solebat, & de ea ad senatum populumque referri: s) CICERO *lib. I. ep.* 2.

quendi formula: *qui alia omnia sentiris*, idem est ac: *qui contrarium sentiris*. Illa eam ob caussam Romani vtebantur, quoniam omnia, quæ *mali ominis* esse videbantur, refugiebant; vox autem *contrarium* pro mali ominis signo putabatur. Quando consul verba hæc dixerat, ipse discessionis faciebat initium, eumque alii tum sequebantur, & in eam, quam probabant, sententiam *pedibus ibant*. Deinde ii numerabantur, &, quod plurimi statuerant, id ratum habebatur. De modo, sententiam in senatu dicendi, plura suppeditant IO. FRID. GRONOVIVS *lib. I. obs. cap.* 22. & OCTAVIVS FERRARIVS *lib. I. elect. cap.* IO.

s) Senatusconsulta legum vim non habuerunt. Senatus enim non leges sanciebat; sed solum per senatusconsulta certa negotia disponebat, quæ populus illius curæ soli commiserat. In hoc censu erant pecuniæ publicæ, ærarium, controuersiæ in Italia subortæ, quæ grauio-

re

num. 11. *epiſt.* 7. *num.* 8. & *lib. VIII. epiſt.* 8. *num.* 12. 17. 20. 23.

§. XI.

re reprehenſione dignæ videbantur; legationes, prorogationes imperii & prouinciarum, indictiones feriarum & ſupplicationum, aliaque his ſimilia; quæ omnia per ſenatusconſulta expediri ſolebant, niſi ea per tribunorum plebis interceſſionem ad populum deuoluerentur. Sæpe & ipſi ſenatores ſenatusconſulta impedire potuerunt, quando videlicet vel a conſule poſtulabant, vt ſenatus numeraretur; vel ſententiam ſuam fuſe ac multis verbis exponebant, & *diem dicendo eximebant*, apud GELLIVM *lib. XIV. cap.* 7. Senatusconſultum enim nec a iuſto paucioribus ſenatoribus fieri, nec poſt occaſum ſolis concipi debuit. Sic etiam conſuli permiſſum fuit, non omnes latas ſententias publice pronuntiare; ſed eas, quæ ipſi diſplicebant, reticere ac ſupprimere; ſenatores autem cogere, vt vnam ex pronuntiatis amplecterentur. A ſenatusconſulto decretum ita differt, vt hoc de cauſſis priuatorum per ſenatores diſcuſſis, illud vero de iis rebus, quæ vel ad plures, vel ad totam rempublicam ſpectarent, diceretur; quemadmodum obſeruat PAVLLVS MANVTIVS *de ſenat. Rom. cap. X.* Senatusconſulta ſollemniter ſcribebantur, &, vbi tribuni ea comprobauerant ac confirmauerant, vel in ædem Cereris, vel in ærarium deferebantur. Ea, quæ locis his non illata erant, etiam pro ratis ac rite factis non putata ſunt: vnde intelligi poſſunt hæc verba SVETONII *vit. Aug. cap. XCIV. ſenatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui grauidas vxores haberent, curaſſe, ne ſenatusconſultum ad ærarium deferretur.* Conf. IO. SAR. ZAMOSCIVS *de ſenat. Rom. lib. I. cap.* 13. PAVLL. MANVTIVS *de ſenat. Rom. cap. X.* CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVS *de ærar. pop. Rom. cap. IV.* & SAM. PITISCVS *not. ad Suetonium* p. 356.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XI.

Qui consultabant & sententiam dicebant senatores, proprio verbo *censere* dicebantur. PLINIVS *lib. II. epist.* 11. *num.* 21. *lib. V. epist.* 14. *num.* 6. SVETONIVS *in Caligula cap. LIX.* & *Claudio cap. VI.* In decretis faciendis dicebant: *placet*, aut *non placet*, scilicet senatui. LIVIVS *lib. XXIII. cap.* 25. & SVETONIVS *de claris rhetoribus cap. I.*

§. XII.

Curia vocabatur vulgo locus t) senatus habendi, & memorabilis est curia *hostilia* sub regibus: CICERO *de finibus lib. V. cap.* 1. Qua incendio deleta,

t) Omnia loca, in quibus senatus conuenire voluit, sacra auspiciisque dedicata esse debuerunt, auctore GELLIO *lib. XIV. cap.* 7. Dicebantur illa *senacula*, vt obseruat MINVTOLI *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 168. Nec ipsa senatusconsulta, nisi captis rite auguriis, fieri potuerunt, quæ, vbi siniſtra erant, totum negotium ad alium diem differebatur. Hæc impedimenta quodammodo remouit Augustus, vt ex SVETONIO *vit.* eius, *cap. XXXIV.* liquet. *Legitimus senatus* is dictus est, qui statis sollemnibus diebus fiebat, id est, singulis calendis, nonis & idibus, exceptis diebus comitialibus. Diebus atris senatus non conuenire potuit, nisi in rebus periculosis ac trepidis. Senatui legitimo opponebatur *senatus indictus*, quando nimirum per edictum senatores extra ordinem conuocabantur. Augustus imperator senatui legitimo singulis mensibus binos dies destinauit, ac speciosam hanc addidit rationem: *vt senatores minore molestia senatoria munera fungerentur*, teste SVETONIO *vit.* eius *cap. XXXV.* sed vera causa fuit, vt senatusconsulta diminuerentur, quippe quæ eius imperio obesse & contradicere existimauit.

Dies

leta, Sulla eodem loco inſtaurare illam & poſt eum etiam Cæſar voluit; ſed fato præuenti id opus

Dies fixi, quibus ſenatus legitimus haberi potuit, in veteri calendario Romano ita exhibentur:

IANVARIVS
Kal. Ianuar. SENATVS LEGITIMVS
V. Id. SENATVS LEGITIMVS
X. Kal. Febr. SENATVS LEGITIMVS
FEBRVARIVS
III. Non. SENATVS LEGITIMVS
Idibus SENATVS LEGITIMVS
IVLIVS
Kal. Iul. SENATVS LEGITIMVS
XVI. Kal. Aug. LVDI SENAT. LEGIT.
AVGVSTVS
III. Non. SENATVS LEGITIMVS
XVIII. Kal. Sept. SENATVS LEGITIMVS
SEPTEMBER
Kal. Sept. SENATVS LEGITIMVS
Idib. LVDI SENAT. LEGIT.
OCTOBER
V. Non. SEN. LEGIT. DIES ÆGYP.
NOVEMBER
Prid. Id. SENATVS LEGITIMVS
DECEMBER
III. Non. SENATVS LEGITIMVS
Idib. SENATVS LEGITIMVS

vid. PETR. LAMBECIVM *not. in calendar. vet. tom. VIII. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 104. SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. III.* p. 387. & *not. ad Suetonium* p. 239. aliosque ibi memoratos.

De ſenatu, ſenatorio ordine, eius poteſtate atque officiis, ſcripſerunt: PAVLL. MANVTIVS, IO. SAR. ZAMOSCIVS, FR. HOTTOMANNVS & M. ANT. MAIORAGIVS ſingularibus *de ſenatu Romano* commen-

opus reliquerunt Augusto, qui *iuliam* nominauit: DIO *lib. XL. p.* 143. 144. *lib. XLIV. p.* 242. *lib. XLVII. p.* 388. & SVETONIVS *in Caligula c. LIX.* Laudatur etiam *Pompeii curia*, in qua Iulius Cæsar fuit interfectus: SVETONIVS *in Cæsare cap. LXXX. & LXXXVIII.* & CICERO *de diuinatione lib. II. cap.* 9. Quod vero hostilia angustior esset, quam vt caperet omnem senatum, in sacris ædibus seu templis senatus sæpissime congregatus fuit. Sic Cicero in *templo Iouis statoris* senatum habuit, quum in Catilinam inueheretur, & in *æde Concordiæ*, quum coniurati examinarentur. Vide *orat. catilinariam I. cap.* 13. *orat. II. cap.* 6. & *orat. III. cap.* 9. Hæc templa curiæ etiam nonnunquam dicta. Vide LAMPRIDIVM in *Alexandro cap. VI.* vbi ædem Concordiæ vocat curiam.

CAP. II.

DE ORDINE EQVESTRI.

§. I.

EQVITES medius ordo erant populi romani, u) inter senatum & plebem; nec tantum mi-

mentationibus. His GEORG. VAVCHOPIVS adiungendus est, cuius liber, gallice sub hac inscriptione editus: *le senat Romain*, laudatur in *journal des sçavans, ann. MDCCII. part. II.* p. 218. Alia dissertatio de eodem argumento exstat in *memoires de Trevoux, ann. MDCCIII. mens. iun.* p. 425.

u) Originem equites debent Romulo, qui ex tribubus singulis centum iuuenes, ingenio, opibus ac genere præ-

militiæ id nomen eſt, verum etiam dignitatis, & altera ſignificatio ex priori manat, quia olim non niſi digniores illi & ſplendidiores, e quibus ſenatus legebatur, equo militabant. Supra enim diximus de militia romana, paucos in legione fuiſſe equites; quod non tantum propter nobilitatem illorum factum, verum etiam propter paucitatem equorum in Italia, vbi ager bobus exercebatur, vt hodieque: onera aſinis & mulis portabantur: muli etiam iungebantur carpentis: lecticæ ferebantur a ſeruis, atque ita rarior vſus equorum erat.

§. II.

Signa equitum erant annulus & anguſtus clavus. x) Vtroque diſtinguebantur a plebeiis: altero

præſtanti præditos, legit, vt equo merérent, nec ſolum regem tuerentur, ſed & in bello ciues contra hoſtium impetum defenderent. Diſtributi erant in tres centurias, priſcis tribuum nominibus, *ramnenſium*, *tatienſium* ac *celerum*, adpellatas, qui centuriarum numerus & ſub Tarquinio Priſco manſit, quamuis is equites valde augeret ac centum & octingentos conſtitueret. Seruius Tullius octodecim centurias equitum legit, hæcque adpellatio poſtea omnibus data eſt, qui a cenſoribus equo publico donabantur & in equeſtrem ordinem referebantur.

x) Inſignia equitum fuerunt:

1) *Equus publicus*, quo cenſor eos ornare ſolebat, apud LIVIVM *lib. V. cap. 7.* PAVLL. MANVTIVS *de ciuit. Rom. tom. I. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 3. errat, quando ſibi perſuadet, equites, ſenatui adſcriptos, publicum equum retinuiſſe. Quamuis enim non negandum ſit, ſenatores nonnunquam equum ſuum retinuiſſe; ex eo vero non probari poteſt, id in vniuerſum

ab

tero etiam a senatoribus: PLINIVS *lib.* XXXIII. *cap.* 1. Non licebat enim plebeiis, gestare annulum;

ab omnibus equitibus, in censum senatorium adscitis, factum esse. Praeterea id ab iis tantum obseruatum fuisse videtur, qui *iure magistratus*, non vero *lectione senatoria* in senatum venerunt: conf. IO. GEORG. GRÆVIVM *praef. ad tom. I. thes. ant. Rom.* & CAROL. SIGONIVM *de ant. iur. ciu. Rom. lib. II. cap.* 3. Sic & SIGONIVS errat, *eodem loco*, vbi Manutium refellit, quando existimat, duplex equitum genus in Romana republica exstitisse: alios fuisse equites, qui ordinem equestrem, siue secundum ciuium Romanorum ordinem constituerint; alios vero non in equestrem ordinem adlectos, sed, equo priuato accepto, in bello adhibitos ibique peditibus oppositos fuisse; ac vtrumque hoc equitum genus a Romulo originem suam accepisse. Sed se fefellit SIGONIVS, & cum eo omnes, qui eius sententiam amplectuntur. Veteres scriptores solius equestris ordinis mentionem faciunt, qui in tres centurias descriptus fuit; nec Romana respublica vsque ad Marium vnquam alios in bello habuit equites, quam qui in vrbe senatui opponebantur, & equestri, siue secundo inter senatorium & popularem, ordine praediti erant. Fuse hoc docet laudatus IO. GEORG. GRÆVIVS *praef. ad tom. I. thes. ant. Rom.* ibique ad ea argumenta, quæ SIGONIVS ad defendendam suam attulit sententiam, erudite respondet.

II) *Annulus aureus*, qui ordini senatorio & equestri communis fuit. Plebs enim ferreis annulis vsa est. Illud aperte confirmat DIO CASSIVS, quando ita scribit *lib. XLVIII.* p. 385: *apud antiquos Romanos non modo liberto, sed nec ingenuo quidem vlli, aureo annulo licebat vti, nisi senator esset, aut eques.* Nonnunquam tamen & plebs a magistratu annulis aureis donabatur, quod CICERO *orat. Verrin. III. cap.* 80. docet, dum

saepe

lum; ſed equitibus tantum & ſenatoribus, a quibus equites tunica tantum diſtinguebantur, quæ ſe-

ſæpe noſtri, inquit, *imperatores, ſuperatis hoſtibus, optime republica geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donarunt.* Hoc etiam ex ſequenti intelligitur inſcriptione apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 101.

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRGO. IVN.
HAST. LEG. II. AVG. TORQ.
AVR. ET AN. DVPL. OB VIRT.
DONATO. IVN. VERECVN
DA. FLAM. PERP. MVN. EBOR
MATER P. C.

adde MACROBIVM *ſaturnal. lib. II. cap.* 10. SVETONIVM *vit. Cæſ. cap.* XXXIX. & DIONEM CASSIVM *lib.* XLVIII. p. 385. & quamuis ſub Tiberio anno vrbis conditæ DCCLXXV. annulorum aureorum ius plebi aufferretur, haud tamen id ſequenti tempore obſervatum eſt; id quod exempla apud SVETONIVM *vit. Galb. cap.* XIV. TACITVM *lib. I. hiſtor. cap.* XIII. & *lib. IV. cap.* 3. abunde confirmant. Legas 10. KIRCHMANNVM *de annulis cap.* XVI. p. 156. & PETR. BVRMANNVM iuniorem *diſſ. de iure annulorum aureorum*, Traiect. ad Rhen. MDCCXXXIV.

III) *Tunica anguſticlauia.* Ante Auguſtum per ordinem ſoli ſenatores *tunica laticlauia*, maximæ dignitatis ſigno, vtebantur. Hic imperator ſecundum SVETONIVM *vit.* eius *cap.* XXXVII. primus *liberis ſenatorum, quo celerius reipublicæ adſueſcerent, protinus viriles togam, latum clauum induere permiſit.* Adſunt quidem exempla, quæ confirmant, iam ante Auguſtum tunicarum harum vſum, præter ſenatores, liberis ſenatorum, patriciis conceſſum fuiſſe, vt de Cæſare, de

senatoribus erat lati claui : equitibus angusti. De vtraque tunica autem plura dicemus infra, quum de re vestiaria agendum erit.

§. III.

Præterea aliud ornamentum erat equitum lege roscia concessum, quæ etiam *lex theatralis* dicitur a PLINIO *lib. VII. cap.* 30. qua cautum fuit, ne

de Augusto, deque aliis ex STATIO, OVIDIO, & SVETONIO constat; hoc tamen singulare præmium virtutis ac honoris priuilegium fuit, quod paucis contingebat & extra ordinem dari solebat. Nec facile exempla deprehendi poterunt, ius hoc iis, qui patricii non erant, sub consulibus datum fuisse. Innuit hoc ISIDORVS, quando *lib. IX. cap.* 4. ita scribit : *quamuis autem senatoria quisquam origine esset, vsque ad legitimos annos eques Romanus erat : deinde accipiebat honorem senatoriæ dignitatis.* Augustus igitur primus dici potest, qui ius, latum clauum gerendi, senatorum liberis dedit. Postea & equites senatoriam hanc vestem gestare cœperunt, vt ex DIONE aliisque comprobari potest, atque inde distinctio inter senatores iuuenes & honoribus perfunctos originem suam habuit. Conf. TACITVM *lib. VI. annal. cap.* 2. & *lib. XIII. cap.* 25. & ex recentioribus ALB. RVBENIVM *de re vestiar. lib. I. cap.* 14. ISAAC. CASAVBONVM & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. vit. Aug. cap. XXXVIII.* IO. GEORG. GRÆVIVM *præf. ad tom. VI. thes. ant. Rom.* & IO. MASSONIVM *vit. Ouid.* p. 39.

IV) *Locus separatus in spectaculis*, de quo vide NIC. CALLIACHIVM *de ludis scen. mimor. & pantomim. tom. II. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 720. seq. IVL. CÆS. BVLENGERVM *de circ. cap. XXXV.* PAVLL. MANVTIVM *de leg. cap. III.* p. 821. ANT. AVGVSTINVM *de leg.* voc. *iulia theatralis* p. 1220. & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 247.

ne quis in theatris aut amphitheatro in quatuordecim primis gradibus ſederet, niſi cenſum poſſidens equeſtrem. Hinc *in XIV. ſedere* eſt idem, quod equitem romanum eſſe: SVETONIVS *in Cæſare cap. XXXIX. Auguſto cap. XL.* & SENECA *epiſt. XLIV.* Cenſus autem equeſter erant quadringenta ſeſtertia, vt clare definitum eſt a PLINIO *lib. I. ep.* 19. *num.* 2. & HORATIO *lib. I. ep.* 1. *v.* 57. y)

§. IV.

Equites romani non tantum equitibus naſcebantur; verum etiam ſenatorum filii, antequam in ſenatum legerentur, equites fuerunt vocati. Clarum exemplum præbet Pompeius apud CICERONEM *pro lege manilia cap.* XXI. cuius ætas quum longe abeſſet a gradu ſenatorio; res tamen maximas geſſit, & triumphum meruit, de quo CICERO: *quid tam inauditum, quam equitem romanum triumphare?* Et paullo poſt: *quid tam incredibile, quam vt iterum eques romanus ex ſenatusconſulto triumpharet?* Pompeius autem natus erat patre patricio & conſulari.

§. V.

Diuiſi equites erant in *vrbanos* & *ruſticanos*. *Illi* domicilium Romæ habebant, & ex iis præcipue legebantur ſenatores. *Ruſticani* non tantum rure de-

y) In equitibus legendis ratio habebatur *ætatis*, pro qua octodecim circiter anni requirebantur: *generis*, quum ſub libera republica per ordinem ingenui ſolum dignitatis huius participes fieri poſſent: ac denique *cenſus*, qui, vt noſter auctor probat, florente republica CCCC. ſeſtert. fuit.

degebant, verum etiam in municipiis rusticanis. CICERO *pro Roscio Amerino cap.* XV. *quid hoc?* inquit, *patres familias, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis* (equestris) *ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire & in prædiis colendis operæ plurimum studiique consumere?*

§. VI.

Inter studia equestris ordinis, tam illorum, qui in vrbe viuebant, quam qui in agris & municipiis, erat præcipue etiam conductio vectigalium populi romani, id est, redituum ex prouinciis. Inde ordo publicanorum in equestri ordine fere continebatur. CICERO *pro Planco cap. IX: flos equitum romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur.* Idem *pro lege Manilia cap. II: equitibus romanis, honestissimis viris, adferuntur ex Asia quotidie litteræ, quorum magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatæ.* Vide plura in illa *oratione.* z)

z) Nec prætereunda hic est *annua equitum transuectio*, qua isti equis suis insidentes & ornamentis militaribus ornati ab æde Honoris ac Virtutis, extra vrbem posita, ad Capitolium transuehebantur. Singulis lustris census equitum ita peragebatur, vt illi ad censorem, in sella curuli ante Capitolium sedentem, cum equis suis accederent, eosque ante illum traducerent. Censor tum de equitum agendi ratione ac moribus iudicabat, eosque, qui vitam splendido suo ordine indignam gesserant, equos negligentius habuerant, nec in bello fortes se præstiterant, equum suum vendere; reliquos autem, qui bonos mores omnibus comprobauerant, equum tra-

Cap. III.

DE ORDINE PLEBEIO.

§. I.

Plebs tertia pars populi romani proprie loquendo, quamquam abuſiue *populus* ipſi *plebeii* dicuntur. a) Sic apud SVETONIVM *cap. CI.* de Auguſti teſtamento: *legauit populo romano*, cetera. Et apud MARTIALEM *lib. VIII. epigr.* 15. *v.* 3;

Dat populus, dat gratus eques, dat tura ſenatus.

§. II.

traducere iubebat. Transuectionis huius inſigne monimentum in nummo habemus, quem FRANC. MEDIOBARBVS *in numiſm. imper.* p. 83. LAVR. BEGERVS *comm. in Florum* p. 66. & EZECH. SPANHEMIVS *de vſu & præſt. numiſm. tom. II.* p. 101. exhibent. Cenſor ſimul nomina equitum publice recitabat, & qui recitando in iſtis primum occupabat locum, *iuuentutis princeps* dicebatur. De annua hac equitum transuectione erudite commentatus eſt cel. IO. ERHARD. KAPPIVS *diſſ. de annua equitum Romanorum transuectione & de eorumdem recognitione & cenſura*, Lipſ. MDCCXXXIV. cui addendi ſunt IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. I. dial. V. tom. III. operum*, p. 36. & HERM. HVGO *de milit. equeſtri lib. II. cap.* 1. §. 5.

a) Voces *plebis* & *populi* in antiquis ingeniorum monimentis diuerſa ratione vſurpantur, eæque ſæpe inter ſe confunduntur: vid. SVETONIVM *vit. Tiber. cap. LXXII. vit. Aug. cap. CII. vit. Neron. cap. LVII. vit. Claud. cap. XXV. & Domit. cap. IV.* MARTIALEM *lib. VIII. epigr.* 15. & PLINIVM *panegyr. cap. XXV.* Nonnunquam *plebs* opponitur *populo*, & per illam viliſſima incolarum vrbis pars, per hunc autem tota ciuitas, quatenus ex patriciis & plebeiis conſtat, intelligitur: alibi *plebs* pro *populo* vſurpatur, eique tribus oppo-

§. II.

Plebeii initio durius habiti a patriciis, secessiones fecerunt, quarum notabilis erat illa ad montem sacrum trans Anienem amnem, quia prius reuocari haud potuerunt in vrbem, quam magistratu sui ordinis impetrato, qui plebis caussam contra senatum tueretur. Hi tribuni plebis sunt vocati, de quibus supra egimus. Vide LIVIVM *lib. II. cap.* 32.

§. III.

Ingens sic ius adepti plebeii, sed his contenti non erant, nisi etiam maiora impetrarent. Impetrauerunt connubii communionem lege canuleia: LIVIVS *lib. IV. cap.* 1. & 5. Impetrauerunt etiam ius consulatum petendi: LIVIVS *lib. IV. cap.* 42. & *lib. VII. cap.* 1. Etiam ad sacerdotia, id est, auguratum & pontificatum impetratus aditus: LIVIVS *lib. X. cap.* 6. b) Magnum etiam ius & digni-

ponitur, vt hæc inscriptio apud ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Sueton.* p. 305. docet:

IMP. T. CÆSARI
DIVI F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS VRBANA
QVÆ FRVMENTVM
PVBLICVM ACCEPIT
ET TRIBVS.

Plura suppeditabit ISAAC. CASAVBONVS *loco indicato*.

b) De hoc argumento supra dixi. Plebi aditum ad curiam patuisse, satis ex DIONYSIO *Halicarnasseo lib. VII.* p. 469. constat; sed incertum est, quo tempore & a quo ius hoc adepta sit. Nonnulli Seruium Tullium, alii,

dignitas erat, quod plebiſcita legibus proprie dictis & ſenatus decretis lege hortenſia ſunt æquiparata, de quibus ſupra diximus. Acceſſit, quod ſummum eſt, prouocatio ad populum contra ſenatum, aut maiores magiſtratus, vbi *populi* nomine potiſſimum plebs ſignificatur; equeſtri tamen ordine non excluſo. Vide exemplum apud LIVIVM *lib. II. cap. 56. ſeq.* Impetratum etiam, vt LIVIVS *eodem libro cap. 56. & 58.* habet, ut tributis comitiis, id eſt, ſine patribus, tribuni plebis crearentur.

§. IV.

Non ergo plebeius ordo tantum viles homines, aut opifices continebat, ſed magnos quoque & præſtantes viros; cuius ordinis duo erant ſumma præſidia, prouocatio ad populum & tribunatus plebis, quem etiam imperatores ſeu cæſares omnes propter ſummam poteſtatem in ſe receperunt.

SECT. II.

DE STATV HOMINVM DIVERSO APVD ROMANOS.

CAP. I.

DE STATV LIBERORVM.

§. I.

STATVM hominum iureconſulti vocant, quando

alii, ad quos SVETONIVS *vit. Aug. cap. II.* pertinet, Tarquinium Priſcum nominant. Eo tempore, quo Spurius Mælius ob adfectatam nimiam poteſtatem cæſus eſt, plebem ad ſenatum admiſſam eſſe, ex LIVIO *lib. IV. cap. 15.* quidem liquet; ſed iam ante Mælium idem factitatum eſſe, probabile videtur: conf. IO. SAR. ZAMOSCIVM *de ſenat. Rom. lib. I. cap. 6.*

Landesbibliothek Oldenburg

do homines iure ciuili & gentium in liberos & seruos diuiduntur. Liberi autem vel *ingenui* sunt, vel *libertini*. Vide de his & quæ sequuntur *Pandect. tot. tit. de statu hominum*, & *Institut. lib. I. de iure personarum*, *de ingenuis*, *de libertinis*.

§. II.

Ingenui sunt liberis nati parentibus, & hi tam libertis & libertinis certo respectu, quam in totum seruis opponuntur. c)

§. III.

Liberti sunt e seruitute manumissi; manumissione autem, vt in §. III. *Institut. de libertinis* est, modo maiorem & iustam libertatem adsequebantur, fiebantque ciues romani; modo minorem, vt tantum latini iuris essent: infimæ autem conditionis erant, qui *dediticii* dicebantur. Cessarunt deinde pedetentim posteriores ordines, & primus, qui libertatem dabat & ciuitatem romanam, maxime frequentabatur. Ad hanc autem non peruenire poterant, nisi publica auctoritate, vel prætoris in vrbe, vel proprætoris, aut proconsulis extra vrbem. Atque hæc dicebatur *manumissio per vindictam*, hoc est, virgam, quam magistratus capiti eius, qui manumittebatur, inferebat. Ceteri

c) Ii, qui modo iniusto in seruitutem venerant, quando postea manumittebantur, non pro libertis, sed pro ingenuis putabantur. Quapropter filii, a patribus in seruitutem venditi, vti & in seruitute non penitus iura ciuitatis amittebant, ita & manumissi iura ingenuitatis recuperabant: conf. IO. GOTTL. HEINECCIVM *synt. ant. Rom. iurisprud. illustrant. lib. I. tit. V. §. I.* p. 99.

ordines libertorum inter amicos manumitti poterant, eoque peruenire ad ius latinum, aut conditionem dediticiorum. Vide de hac re, quæ notavimus ad PLINIVM *lib. VII. ep.* 16. *num.* 4. d)

§. IV.

d) Variis modis manumiſſiones fieri apud veteres ſolebant:

I) *Per cenſum*, quum conſenſu ac iuſſu domini tabulis cenſualibus nomina eorum inſcriberentur. VLPIANVS *fragm. p.* 564: *cenſu mittebantur*, inquit, *qui luſtrabili cenſu Romæ, iuſſu dominorum, inter ciues Romanos cenſum profitebantur.* Conſuetudo hæc, ſeruos iſto modo manumittendi, ſub Tiberii imperio deſiiſſe videtur, quare & in *corpore iuris* manumiſſionis per cenſum haud facta eſt mentio.

II) *Per vindictam*, qua in vrbe a conſule & prætore, in prouinciis autem a proconſule ſeruus manumittebatur, in memoriam coniurationis Brutorum aliorumque iuuenum, poſt reges expulſos, conflatæ, quam, teſte LIVIO *lib. II. cap.* 5. Vindicius, Vitelliorum ſervus, ad ſenatum detulerat, & loco præmii, ciuitatis ac libertatis iura acceperat. Quapropter conſules, ſtatim vt conſulatum adgrediebantur, memoriam manumiſſionis huius celebrare & manumiſſiones quorundam ſeruorum expedire ſolebant: conf. PETR. FABER *lib. I. ſemeſtr. cap. vlt.* p. 194. GVILIELM. A LOON de *manumiſſ. lib. I. cap.* 1, §. 2. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 6. IAC. SIRMONDVS *ad Sidonium* p. 193. & IO. GOTTL. HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. lib. I. tit.* 4. §. 5. p. 101. Seruus coram conſule a domino in gyrum circumagebatur, ad indicandum, eum iam eſſe liberum, ac, quo vellet, abire poſſe: vid. PERSIVM *ſat. V.* v. 75. ſeq. & SENECAM *epiſt. VIII.* Inter vertendum alapa ſeruo infligebatur, vti ISIDORVS *lib. IX. cap.* 4. & inprimis CLAVDIANVS *de IV. conſul. Honor.* v. 611. p. 233.

do-

§. IV.

Libertini sunt libertorum filii. Atque olim sic distinguebantur, vt libertus esset, qui seruierat,

docent, & tum his verbis dominus seruum e manu mittebat: *hunc hominem liberum esse volo.* His peractis, lictor caput serui virgula, *vindictæ* nomen habente, ter aut quater verberabat, auctoribus IVVENALI *sat. V.* v. III. HORATIO *lib. II. sat. 7.* v. 76. & PERSIO *sat. V.* v. 88. seruus vero in templum Feroniæ deducebatur, vt ibi pileum, libertatis signum, acciperet & capillus eius detonderetur, cuius rei PLAVTVS *amphitr. act. I. scen. I.* v. 306. mentionem facit: adde BARNAB. BRISSONIVM *de formul. lib. VIII.* p. 724. PETR. FABRVM & GVIL. A LOON *locis indicatis*; IAC. DALECHAMPIVM *not. ad Plin. lib. II. cap.* 55. SOLERIVM *de pileo* p. 220. aliosque. Manumissi serui nomen in acta referebatur, addita manumissionis caussa, vt ex PLAVTO *pers. act. IV. scen.* 3. v. 14. & TERENTIO *adelph. act. V. scen.* 9. v. 3. colligi potest. Ipsi vero adsumebant etiam prænomen, nomenque patroni suo addebant. A patronis etiam veste alba atque annulo donabantur.

III) *Per testamentum*, per quod dominus his verbis seruo libertatem conciliabat: *dauus seruus meus liber esto*, idque ex *legibus XII. tabularum*, quæ CICERO *ad Herenn. lib. I. cap.* 13. ita exhibet: *lex paterfamilias vti super familia pecuniaue sua legassit; ita ius esto.* De triplici hac seruum manumittendi ratione agit BOETHIVS *ad topic. Ciceron.* p. 271; de formulis vero, in manumissione adhibitis, LETR. FRANC. CHIFFLETIVS *in quat. opusc.* p. 230. & BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. VIII.* p. 724.

Postea & alii manumissionis modi in vsum adducebantur, quales fuerunt:

I) *Per*

post manumissus; libertini autem a libertis geniti. SVETONIVS *in Claudio cap. XXIV.* Postea autem cæsa-

I) *Per epistolam*, absenti seruo a domino missam, per quam dominus seruo permittebat, vt liber viueret.

II) *Per amicos*, quos dominus conuocabat, ac iis præsentibus seruum manumittebat.

III) *Per conuiuia*, quæ dominus instituebat, & seruum, libertatis dandæ caussa, simul accumbere iubebat. Necesse erat, pro Iustiniani instituto, vt quinque amici, tamquam testes, præsentes essent: lege DESIDER. HERALDVM *ad Martial. epigr. IX.* p. 89. & PETR. BVRMANNVM *de iur. annulor. aureor.* p. 2. Ii, qui tribus his modis manumittebantur, non plenum ciuitatis, sed Latinorum tantum ius adipiscebantur. Antiquissimis temporibus quidem omnes manumissi serui ciuitatis iuribus fruebantur; quoniam autem seruorum manumissorum numerus magis crescebat; inde vero ciuitas sceleſtissimorum hominum colluuie onerabatur, anno vrbis conditæ DCCLXXI. M. Iunio Silano & L. Iunio Norbano Balbo consulibus constitutum est, vt qui per epistolam aut amicos manumitterentur, non ciuitatis, sed Latinorum iura obtinerent. Sic etiam, ne eximia ciuium Romanorum priuilegia facinorosis concederentur, sub Augusto lege Sentia cautum est, ne serui, sceleris caussa publice puniti, obtenta a dominis libertate, meliori fruerentur conditione, quam dedititii. Serui *dedititii* infimum inter libertos ocupant locum. Destituti erant iure commerciorum & mancipationum; nec testamentum facere, nec hereditatis participes fieri poterant. Tres igitur libertorum fuerunt classes. *Alii* ciuitatis ius nanciscebantur: *alii* Latinorum priuilegia obtinebant, *Latini Iuniani* dicti; hique & nonnumquam ab imperatoribus quiritium iura impetrabant: & *alii* denique erant liberti dedititii, quorum conditio, vt iam indicavi,

cæsarum temporibus sæpe & plerumque in iure Romano, qui liberti dicendi essent, etiam vocantur *libertini*. Sic SVETONIVS *in Augusto cap. XXV.* libertinos milites vocat, qui erant ex seruis facti liberti, siue manumissi.

§. V.

Libertas autem a seruis impetrabatur propter merita & fidelem seruitutem. Vt vero in aliis rebus omnibus accedit abusio; ita in hac caussa etiam factum sæpe, vt serui pecunia, vndecumque collecta, libertatem a domino redimerent, quamuis nullis insignes essent meritis, e) de quo conqueritur DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. IV. p. 227.* Quamuis autem plenam ciuitatem liberti adsecuti essent, magisque eorum filii; tamen aliquid intererat

vi, omnium miserrima fuit, & eo præcipue quidem nomine, quia ipsis omnis spes, ciuium Romanorum vel Latinorum iura consequendi, ablata & erepta erat. Antonini Caracallæ notissima illa constitutio, qua omnibus, in orbe Romano degentibus, ciuitatis iura dabantur, ad ingenuos solum, non ad libertos extensa fuit; vt recte obseruat EZECH. SPANHEMIVS *orb. Rom. exerc. II. cap. 5.* Iustinianus primus fuit, qui discrimen inter libertos & ingenuos sustulit.

De manumissione eiusque variis ritibus ac speciebus videndi sunt: AVG. POLITIANVS *misc. cap. XXXIV.* IO. BAPT. COTELERIVS *tom. I. patr. apostol.* p. 105. THOM. CRENIVS *tom. I. animadu. historico-philolog.* p. 84. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 6.* IO. GOTTL. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr. lib. I. tit. 4.* p. 99. seq.

e) Vide FRIDER. LINDENBROGIVM *ad codicem legum antiquar.* p. 1464.

erat discriminis, vt hi non in rusticas tribus reciperentur, sed tantum in quatuor vrbanas; nec in senatum legi poterant, nisi post aliquot generationes. Sic SVETONIVS *de Claudio cap. XXIV: latum clauum*, inquit, *quamuis initio adfirmasset non lecturum senatorem, nisi ciuis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab equite romano adoptatus esset.* Quo in ipso tamen reprehenditur a Suetonio, quod male ad exemplum proauctoris Appii Claudii prouocarit. Nam etiam apud LIVIVM *lib. IX. cap.* 29. ille Appius reprehenditur, eiusque lectio in senatum vocatur infamis atque inuidiosa.

Cap. II.

DE STATV SERVORVM.

§. I.

SERVI a *seruando* dicti sunt, quia, quum bello capti essent, non occidebantur, sed viui servabantur ad dura facienda opera: *pandect. dicto loco.*

§. II.

Serui variæ conditionis erant, pro ingenio, moribus & arte distincti. Qui ingenio valebant & studiis erant eruditi, hos maxime Romani amabant, iisque vtebantur anagnostis, vel a bibliotheca (bibliothecariis); quales Ciceronis fuerunt Tiro & Dionysius fugitiuus. Vide CICERONIS *epistolarum librum XVI.* & *lib. V. ep.* 9. *num.* 6. & *ep.* 10. *num.* 1. De artibus & opificiis seruorum lege NE-

POTEM

POTEM *in Attico cap. XIII. num.* 3. *Vsus est*, inquit, *familia*, (sic serui proprie vocabantur, tamquam famulitium,) *si vtilitate iudicandum est, optima: si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarii. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni.*

§. III.

Distincti igitur serui erant in *vrbanos* & *rusticos*. f) In *vrbanis* erant chirurgi, aliptæ, vnctores, symphoniaci, tibicines, suppellecticarii, a bibliothecis, anteambulones, ostiarii, atrienses, cubicularii, hortulani, ceteri. g) Et hi propter in-

f) Illi *familia vrbana*, hi *familia rustica* dicebantur. Vnde intelligimus verba legis XII. *tabul. Paterfamilias vti super familia pecuniaue sua legassit, ita ius esto.* Comprobat idem hæc inscriptio apud MANVTIVM *comm. in Ciceronis officia* p. 72. ed. GRÆVII:

- - - - - - - - - - - - -

CL. - - - - PHI
LARGYRO. VNGVENTAR. IO
ISQ. FAMILIAM. SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQ.
LEGAVIT

adde LAVR. PIGNORIVM *de seruis* p. 20. CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian.* p. 891. & GERARD. IO. VOSSIVM *institut. orator.* p. 151.

g) His addendi sunt ocularii, clinici, dissectores cadauerum, balneatores, tonsores cet. In culina seruiebant offarii & coqui; pistores, placentarii, procuratores pecni. Conuiuia adparabant ministri, inter quos præcipue erant obsonatores, inuitatores, siue calatores, indices horarii, tricliniarchæ, infertores epulorum & luminum,

ingenium, mores & artes mitius tractabantur, & quum ſeruiſſent annos aliquot, manumittebantur tandem & liberti fiebant. *Ruſtici* ſerui operibus ruſticis erant deſtinati. Atque ad hæc quidem adhibebantur ineptiores, &, ſi malitioſi ſimul eſſent & contumaces, vt hoc genus hominum plerumque

minum, lectiſterniatores, & menſarum deterſores. Ea, quæ coqui parauerant, in menſa rite collocabant ſtructores, & qui panem diſtribuebant, diribitores adpellabantur. Vino præpoſiti erant prægustatores; vaſis vero, ex quibus bibebant, aureis argenteisque varii ſerui, qui diuerſas pro eorum miniſterio in ſaxis litteratis habent adpellationes, & ab his pocillatores miniſtrique aquæ calidæ & gelidæ diuerſi erant. Alii muſicam profitebantur artem, quorum iterum varia ac diuerſa genera exſtabant, quibus & comœdi, hiſtriones, ſcurræ aliique adiungendi ſunt. Alii litteris operam dabant ac dominorum filios prima litterarum fundamenta, artem legendi, ſcribendi & numerandi docebant, vt librarii, ſcribæ, bibliopolæ, calculones, notarii, anagnoſtæ, grammatici, pædagogi cet. Alii armis eorumque cuſtodiæ, reditibus, pecuniæ, crumenæ, marſupio, frumento dominorum præerant. De gerulis lychnorum & laternarum, actoribus, diſpenſatoribus, negotiatoribus, fullonibus, artificibus, curſoribus, tabellariis, ianitoribus, deque dominorum famulitio nihil commemoro. Omnia hæc ſeruorum genera eorumque officia & munera fuſe perſequitur ab auctore laudatus LAVRENTIVS PIGNORIVS *comm. de ſeruis eorumque apud veteres miniſteriis.*

Ad familiam ruſticam quod pertinet, iterum ſerui maxime inter ſe differebant. Ad horum numerum aratores, tonſores ouium, cuſtodes equorum, aſinarii, paſtores, pecoris magiſtri, villici, cuſtodes torcularium, fœni ſectores, piſcatores, venatores, aucupes, fabri alique multi referebantur.

Landesbibliothek Oldenburg

que erat, ex barbaris nationibus captum, vel emtum, in ergastula detrudebantur, vt compedibus vincti rus colerent. Vide de vtroque genere singularem librum LAVR. PIGNORII *de seruis.*

§. IV.

Ergastulum autem erat locus partim subterraneus, superiore tantum loco fenestris paruis quodam modo illuminatus, in quo nocturno tempore iacebant serui, quum diurno vincti laborassent ruri. Quindecim in vno ergastulo detinebantur, teste APVLEIO *in apologia.* Ingens autem numerus talium ergastulorum in Italia fuit; etiam in Sicilia, vbi prædia erant Romanorum. Hinc servilia bella orta, ergastulis effractis & demtis compedibus, de quibus legatur FLORVS *lib. III. cap.* 19. & 20. Hinc Floro ergastularii serui *catenati cultores* dicuntur *libro eodem cap. XIX. num.* 3. LVCANO *vincti fossores*, *lib. VII. v.* 402. & ipsum *ergastulum* eidem FLORO *lib. IV. cap.* 8. *num.* 1. h)

§. V.

Mitiores autem domini mitius etiam suos tractabant, nec constringebant compedibus. PLINIVS *iunior* huiusmodi erat, qui de se *lib. III. ep.* 19. *num.* 7. scripsit: *nec ipse vsquam vinctos habeo; nec ibi* (in villa, quam emturus erat,) *quisquam superest.*

h) Quum sæuitia dominos in villis ad id adduceret, vt & innocentes peregrinos in ergastula detruderent, a Tiberio ea repurgata, ab Adriano autem & postea a Theodosio plane sublata sunt: vide CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartian. tom. I. script. hist. aug.* p. 172. IVSTVM LIPSIVM *lib. II. elector. cap.* 15. & GER. IO. VOSSIVM *etymolog. tom. I. operum* p. 229.

Landesbibliothek Oldenburg

eſt. Idem *lib. VIII. ep.* 16. qua de morbis & morte ſeruorum queritur *num.* 1. & 2. *Solatia duo*, inquit; *vnum facilitas manumittendi* (*videor enim non omnino immaturos perdidiſſe, quos iam liberos perdidi*); *alterum, quum permitto ſeruis quaſi teſtamenta facere, eaque vt legitima cuſtodio. Mandant rogantque, quod viſum: pareo ocius. Suis dividunt, donant, relinquunt, duntaxat intra domum. Nam ſeruis respublica quædam & quaſi ciuitas domus eſt.*

§. VI.

Sæuitiæ genus in ſeruos erat etiam *inuſtio litterarum in fronte* i) (vnde per iocum hos ſeruos PLAV-

i) Seruos, ex fuga retractos, ita potiſſimum punire eorumque fronti notas & ſtigmata inurere Romani ſolebant, quod confirmant AVSONIVS *epigr. XVI:*

Pergame, non recte punitus, fronte ſubiſti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce:
Iniuſtum falſos excruciare reos;
Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere, dextram;
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

& IVVENALIS *ſat. X.* v. 179:

Ille tamen qualis rediit Salamine relicta
In Corum atque Eurum ſolitus ſæuire flagellis
Barbarus, Aeolio numquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus, qui vinxerat Ennoſigæum
Mitius id ſane, quod non & ſtigmate dignum
Credidit.

Quid vero fronti fugitiuorum inuſſerint veteres, de eo nihil certi definiri poteſt. Plerumque creditur, illis litteram F impreſſam fuiſſe; quoniam autem PETRONIVS *lib. VI. cap.* 8. p. 366. ita ſcribit: *impleuit Eumol-*

PLAVTVS *litteratos* vocabat, *Casin. actu 2. scena 6. v. 49.*) vt, si fugerent, cognosci vbique & retrahi

molpus frontes vtriusque, nimirum Eucolpii & Gitonis, & *notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit;* VALERIVS MAXIMVS vero *lib. II. cap. 29.* itidem de inustis litteris numero multitudinis loquitur; facile inde colligitur, non vnam, sed plures litteras fugitiuis inustas esse. Sine dubio variarunt hac in re veteres, ac arbitrio eorum modo vnica littera, modo totæ syllabæ & voces in fronte seruorum scriptæ sunt. LAVR. PIGNORIVS *de seruis* p. 15. propter memoratum PETRONII *locum* credit, seruis in fronte eamdem inscriptionem depictam fuisse, quæ postea abrogato inhumano hoc, faciem fœdandi, modo, collaribus incisa fuerit. Hæc coniectura vel ex eo mihi haud improbabilis videtur, quoniam PETRONIVS *indicato loco* impressas seruis litteras *notum fugitiuorum epigramma* dicit. Quoniam vero inscriptiones collarium differebant, facile inde colligitur, quod seruorum frontibus totæ quidem voces, sed non singulis vnæ eædemque inscriptæ fuerint. Hoc in primis ex sequentibus VLPIANI verbis *leg. I. π. de fugitiu. §. tamdiu*, colligi potest: *custodiuntur autem tamdiu, quamdiu ad præfectum vigilum vel ad præsidem deducantur, eorumque nomina & notæ, & cuius se quis esse dicat, ad magistratus deferantur, vt facilius agnosci ac percipi fugitiui possint.* Inde serui hi *inscripti, litterati, fronte notati* a priscis auctoribus nominantur: conf. MARTIALEM *lib. III. epigr. 21. lib. VIII. epigr. 75.* & PLAVTVM, cuius testimonium auctor noster indicauit. Inconditam hanc cum seruis agendi rationem cum aliis rudioribus Romanorum moribus abrogauit Constantinus, qui in noxiorum faciem litteras deferre grauiter vetuit. Inde non defuerunt, qui legi huic morem gererent, notasque litterarum, quibus antea

trahi poſſent. CONSTANTINVS autem *magnus* crudelem hunc morem lege lata ſuſtulit, quæ eſt *lex*

ipſa facies ſignata fuit, in æreas laminas, collario collis iniecto adfixas, transferrent. De his colli vinculis, quæ fugitiuum indicabant, varia obſeruat LAVR. PIGNORIVS *de ſeruis* p. 15. ac teſtatur, ſe collare vidiſſe apud Lælium Paſchalinum cum inſcriptione:

TENE ME, QVIA FVGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFACIO LINARIO.

Huic duas ſequentes addit inſcriptiones, exſtantes in vna ærea lamina, vtrimque ſcripta, in cuius altera parte hæc leguntur:

TEN EMEQ
VIA FVG ☼ ETREB
OCAMEVICTOR
I ☼ ACOLIT
OADOMIN
ICV CLEM
ENTIS
☧

In altera vero:

EVGI EVP
IOGIO EXO
PRE VRB,

quibus ſequentia ad illuſtrationem addit: *ſunt vero illæ, quæ in ipſa aduerſa leguntur, litteræ non prominentes; ſed inciſæ & quidem non ineleganter; at, quæ in eadem*

lex II. codicis Theodosiani de pœnis, qua prohibetur, in facie serui, vel damnati scribere, quia facies ad similitudinem pulcritudinis cælestis sit figurata.

LIB. VII.
DE ROMA LITTERATA.

SECT. I.
DE ROMANORVM STVDIIS ANTE SVLLAM. k)

§. I.

IMPERIORVM & rerumpublicarum, quas Deus ab orbe condito eminere voluit, primas partes Romanam tulisse magna consensione, quotquot non rudes historiarum sunt, ad vnum omnes, rationibus non incertis persuasi, confirmant. Nul-

eadem auersa conspiciuntur, in summa velut cute, cultelli acumine videntur exaratæ negligentius.

k) Quod in vetere editione *compendii* huius exstat, caput de studiis Romanorum submoui, atque in eius locum auctoris nostri elegantem dissertationem *de studiis Romanorum litterariis in vrbe & prouinciis* anno MDCXCVIII. Halæ habitam & postea in eiusdem *dissertationibus academicis* p. 341. iterum typis descriptam, substitui. Nec inconsulte hoc feciſſe me, credo, quum omnia, quæ adhuc *in compendio* hoc de Romanorum studiis tradita fuerunt, nunc copiosius, distinctius & cum maiori testimoniorum adparatu exhibentur.

Landesbibliothek Oldenburg

lum enim vnquam imperium cum hoc vel amplitudine finium & numero prouinciarum, vel copiis & exercituum robore, & inde sequuta victoriarum gloria, vel denique administrationis prudentia & diuturna rerum conseruatione comparari potuit, vt non magno post illud interuallo relinquatur. Causſam magnitudinis percontati, plures quidem in armorum peritia & firmitudine inueniſſe, putant, quam nemo quidem negabit facile ad ſubigendos populos & proferendos fines contuliſſe; ſi vero nobis dicendum eſt, quod ſentimus, ingenue fatemur, illam neque vnicam nobis, neque præcipuam cauſſam magnitudinis Romanæ, quam indicauimus, videri. Prœlio enim vincere, & vrbes expugnare, ac populos in ſeruitutem redigere, etiam barbarorum eſt; at victos deditosque ad vitam manſuetiorem adducere, eosque ita in officio continere, vt non inuiti pareant, neque ſe victos eſſe, ſed auctos felicitate, fateantur; ita qui vicit, is maiori, quam armorum præſidio imputare victoriam, neceſſe habet.

§. II.

Quum autem duo ſint, quibus Romani nominis ſui magnitudinem implerunt, armorum peritia & ſtudia litterarum; atque armis arma irritentur, neque tranquilla obtineatur felicitas: conſequens eſt, vt litterarum cultura effectum ſit, vt ad tantum faſtigium Romana maieſtas eueheretur, & per tot ſæcula in eodem immota atque inconcuſſa etiam perſtaret. Liberalibus enim diſci-

sciplinis & ipsi didicerunt, qui benigne atque ex æquo imperarent, & qui illorum ditioni subiecti erant, in studiorum societatem perducti, promtiores facti ad parendum sunt, postquam litterarum lumine cognouerunt, quorum imperio acceptum referrent, quod a barbarie ad vitam cultiorem, & ab inscitia ad humanitatem & variam doctrinam traducti essent. Quum itaque tantos fructus ex studiis percepisse Romanos, constet, operæ pretium facturi nobis videmur, si in studia illorum, quibus tantam consequuti felicitatem sunt, inquiramus, vt æmulatione excitati, quod salubre nobis & nostræ sit reipublicæ, tanquam ab exemplo, in illustri loco ad imitandum proposito, capiamus. 1)

§. III.

Sero in vrbe studia litterarum coli & exerceri cœperunt; nec ante Punica bella quisquam clarus iis disciplinis inter Romanos commemoratur. Omnis doctrina antiquitus philosophia, historia,

1) De studiis veterum Romanorum litterariis commentati sunt: IO. WOWERIVS egregia *de polymathia tractatione*, Hamburgi MDCIV. edita & in *tom. VIII. thes. ant. Græc.* GRONOVII p. 985. translata: IO. MASSONIVS *in vita Horatii:* IO. NIC. FVNCCIVS *comment. de adolescentia & de virili ætate latinæ linguæ:* HERM. CONRINGIVS *de studiis liberalibus vrb. Rom.* IO. ANDR. BOSIVS *de ortu, educatione & studiis Iul. Agricolæ:* CONR. BVDDE *diss. de studiis liberal. apud vet. Romanos:* GEORG. NIC. KRIEGKIVS *de modis inclarescendi apud Romanos:* & venerandus pater *diatrib. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom.* p. 52. eius *parerg. academ.*

Landesbibliothek Oldenburg

poesi, & oratoria arte continebatur, cui pauci ius ciuile addiderunt; sed politiores litteræ poesi maxime ac oratoria concludebantur. *Liuius Andronicus* primus fabulam Romæ docuit, seu litteraturam illam comicam a Græcis in Latinos transtulit, anno circiter proximo post finitum bellum primum Punicum. CICERONEM auctorem sequimur, in *Bruto cap. XVIII: hic Liuius*, inquit, *qui primus fabulam C. Clodio Cæci filio & M. Tuditano coss. docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quarto decimo & quingentesimo, vt hic ait, quem nos sequimur.* Hic, id est, Pomponius Atticus in annalibus, qui inter colloquutores erat. Ex quibus corrigendus est alius locus CICERONIS *lib. I. Tuscul. quæst. cap.* 1. vbi legimus: *serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere cccc x post Romam conditam Liuius fabulam dedit, C. Claudio, Cæci filio, M. Tuditano, consulibus, anno ante natum Ennium.* Accedunt fasti, qui illos consules, post quingentesimum, anno XIII. constituerunt, & GELLIVS *lib. XVII. cap.* 21. idem confirmat.

§. IV.

Quinto post anno, quam Liuius ingenium proferre cœperat, hoc est ıɔxıx vrbis conditæ, *Nævius* poeta fabulas apud populum dedit, vti apud GELLIVM *d. l.* est; quem breui post *Ennius*, bello Punico secundo centurio, sequutus est, qui in maius meliusque Latinas litteras ingenio suo prouexit. m) Hunc plures exceperunt *Cæcilius*, *Pa-*

m) Sub ipsam Ennii mortem Crates Mallotes, insignis ille

Pacuuius, Attius, Afranius, Lucilius. VELLEIVS PATERCVLVS *lib. II. cap. 9: clara per idem æui spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tra-*

ille criticus & grammaticus, cum quo Aristarchus varias criticas habuit controuersias, in vrbem venit, nec solum publice docuit, sed etiam omnibus modis Romanorum animos ad litterarum culturam excitauit. Refert de eo hæc SVETONIVS *de illustr. grammat. cap.* I. p. 1061: *primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in vrbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum in regione palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque differuit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum.* Fuit hic Crates Mallotes Timocratis filius, seque non solum philosophiæ Stoicæ, sed etiam grammatices pariter ac critices disciplinis ita tradidit, vt non solum Homerum felici successu emendaret, sed etiam nomen *Homerici & critici* suo tempore, vt SVIDAS *lex. tom. II.* p. 370. narrat, nanciscereturr. Ex iis, quæ SVETONIVS supra *indicato loco* de eo memorat, luculenter patet, eum in aula Pergamenorum regum in ciuilibus pariter ac publicis negotiis adhibitum & magna existimatione ac dignitate præditum fuisse. Quando idem scriptor refert, eum grammaticam artem Romæ primum intulisse, obseruandum est, voce *grammaticæ* hoc loco non indicari rudiorem eius partem, siue prima litterarum fundamenta, quæ iam ante Cratetem Romæ tradita fuerunt, sed perfectam illam grammatices partem, quæ in interpretatione, explicatione atque emendatione veterum poetarum versatur. Hoc luculenter ex SEXTO *Empirico*, SVIDA aliisque testimoniis comprobaui *diss. de ortu & progressu artis criticæ apud vet. Romanos* §. *VIII.* p. 21. seq.

gœdiis Pacuuii, vsque in Græcorum ingeniorum comparationem euecti. - - - Celebre & Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques militauerat. Hos vt ingenio valuisse non negamus; sic arte rudes fuisse, si posterioribus comparentur, non diffitendum est, id quod de Ennio OVIDIVS dixit *lib. II. trist. v.* 424. Et CICERO *de clar. orat. cap. LXXIV: ætatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiæ, sic latine loquendi; nec omnium tamen. Nam illorum æquales, Cæcilium & Pacuuium, male loquutos videmus.* Sub idem tempus *Plautus*, iam tum elegantioris notæ, eminuit. Itidem TVLLIVS tempus notauit *d. l. cap. XV: Plautus*, inquit, *P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos, quos antea dixi, consules mortuus est, Catone censore*, qui annus in fastis est IↃLXIX; aut Ciceronis calculo, antea dato, IↃLXX.

§. V.

Nec minor multo *Terentius* fuit, cultu nitidiore præclarus auctor, de quo, vt ipse *prologo adelphorum* ait, maleuoli homines, eruditioni eius detrahentes, dixere,

homines nobiles
eum adiutare, assidueque vna scribere,

quos nobis *auctor vitæ Terentianæ* prodidit: *cum multis nobilibus familiariter vixit; sed maxime cum Scipione Africano & C. Lælio.* Vtrumque autem, & Lælium & Scipionem, minorem intelligimus, quod *auctor vitæ Terentii* ex Fenestellâ probat, intra finem belli Punici secundi, & initium tertii, & natum & mortuum esse Terentium. Quinqua-

quaginta autem anni inter secundum & tertium bellum sunt. C. Lælium Terentio æqualem fuisse tam studiis, quam ætate, etiam CICERO testatur ad *Atticum lib. VII. ep.* 3: *Terentii*, inquit, *fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a Caio Lælio scribi.* De Scipione, Lælii socio, VELLEIVS *lib. I. cap.* 12: *Scipio Aemilianus, vir auitis P. Africani paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac studiorum, eminentissimus.* Ecce nunc elegantiora studia, tempore tertii belli Carthaginiensis! & par in his studiis exercendis nobilissimum, Scipionem & C. Lælium, quos, quod poetam amabant, adiuuabant, poetarum censui potius, quam alii ordini, adscriptos iam voluimus. n)

§. VI.

Sub idem tempus quidem historias scribere, non infeliciter cœperunt. *Fabius Pictor* haud dubie illorum primus fuit, quem LIVIVS *lib. XXII, cap.* 7. de prœlio ad Trasimenum lacum, tamquam *æqualem illis temporibus auctorem* sequutus fuit. Hunc etiam Gallico bello, quod IX annis ante Annibalicum ab vniuersa Italia gestum fuit, interfuisse, idemque scripsisse, EVTROPIVS auctor

n) De fatis artis poeticæ apud veteres Romanos ac celebribus, qui Romæ floruerunt, poetis, vide PETR. CRINITVM *de poetis Latinis:* LIL. GREG. GYRALDVM *historia, siue dialog. X. de poetis tom. II. operum* p. I. GER. IO. VOSSIVM *lib. II. de poetis Latinis tom. III. operum* p. 230. & IO. NIC. FVNCCIVM *de adolesc. Lat. lingu. cap. II.* p. 49.

Landesbibliothek Oldenburg

ctor est *lib. III. cap.* 2. Hunc latine scripsisse, ex eo constat, quod Catoni & Pisoni Frugi, oppido antiquis Latinis, M. TVLLIVS *lib. II. de oratore cap.* 12. coniunxit & interseruit. An vero etiam Græcos annales scripserit, vt probari videtur ex *lib. I. de diuinatione cap.* 21. non in aperto est. VOSSIVS mauult diuersos statuere, quam pro eodem scriptore habere. *Catonis Origines*, quas senex scripsit, in fragmentis adhuc sunt commendabiles. His adiungit CICERO, vt diximus, *Pisonem*, qui Calpurnius Frugi est, cuius ætatem indicat *in Bruto cap. XXVII.* quia hic primus legem de repetundis, quæ *Calpurnia* inde dicitur, L. Censorino & M. Manlio coss. tulit, hoc est anno vrbis IↃCV. Annales ei *exiliter scriptos*, ibidem tribuit. Proximus huic *L. Cassius Hemina*, quem ludis sæcularibus quartis interfuisse anno vrbis IↃCVIII. celebratis, CENSORINVS testis est *cap. XVII.* Laudatur a variis, PLINIO, GELLIO; MACROBIO, NONIO aliisque. Posteriores fuere *L. Sisenna*, *Q. Claudius Quadrigarius*, *Q. Valerius Antias*. VELLEIVS PATERCVLVS *lib. II. cap.* 9. de Numantino bello & proximis temporibus: *historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis; sed opus belli ciuilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna Cælius: æqualis, Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias.* o)

§. VII.

o) Plura de historicis veterum suppeditabunt GER. IO. VOSSIVS *lib. III. de historic. Latin.* aliique plures.

§. VII.

Oratores succedunt, quos non ex prima ætate arcessimus, Menenium Agrippam, seditiosam plebem ex sacro monte reuocantem: Appium Claudium Cæcum, pacem cum Pyrrho in senatu dissuadentem: M. Popilium, læna amictum a sacrificio, seditiones itidem oratione sedantem, de quibus LIVIVS *lib. II. cap.* 32. SILIVS *Italicus lib. XIII. v.* 725. CICERO *in Bruto cap. XIV*; qui, etsi naturali vi persuaserunt populo, quod tamen sine arte dicendi fuerunt, neque oratores dicendi sunt. CICERO *d. l. eos oratores habitos esse; aut omnino tum vllum eloquentiæ præmium fuisse, nihil sane mihi legisse videor.* Non ergo ante bella Punica inueniemus, quos in numero ponamus eloquentium oratorum. Primum autem cum CICERONE *cap. XV.* ponimus *M. Cornelium Cethegum*, quem Ennius audiuit, & hoc elogio in *nono annali* ornauit:

Additur orator Corneliu' suauiloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega.

Censorius *Cato*, non orationibus minus, quam *originem* historicis & de *re rustica libris* clarissimus, huic forte proximus ex iis, quorum nomina memoriæ dicata sunt, successit. *Antiquior quidem est eius sermo, & quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros & aptior sit oratio: ipsa verba compone, & quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt: iam neminem antepone Catoni;* quod CICERONIS iudicium est

de

de *clar. orat. cap. XVII.* Post hunc maiori se numero proferebant *C. Lælius & P. Scipio* Aemilianus, vterque *Gracchus*, Tiberius & Caius; *Servius Galba*, *C. Carbo*, & quos alios eius ætatis laudat *d. l. cap. XXV. seqq.* M. CICERO. Sed omnes fere ingenio & artificio dicendi superarunt *L. Crassus & M. Antonius*, quos TVLLIVS inter se comparauit *de clar. orat. cap. XXXVII.* Horum enim ætas in maioris lucis ortum iam vergebat. Antonius enim Mariana sæuitia exstinctus est: Crassus paullo ante, in morbum ex contentione vocis implicatus, exspirauerat.

§. VIII.

Sic sensim eloquentia in vrbe succreuit, & in dies facta ornatior, ad aliud tempus adspirauit, quo supremam limam M. Tullius expoliendæ adhiberet. Mireris vero sub idem tempus, & eodem Crasso auctore, Latinos rhetoras vrbe expulsos esse, quod sane maximum detrimentum est studiorum & eloquentiæ. SVETONIVS *de clar. rhetor. cap.* I. tradit, *a Cn. Domitio Aenobarbo & L. Licinio Crasso censoribus* (qui Crassus ipsemet orator est, quem modo laudauimus) *ita edictum esse: renunciatum est nobis, esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat; eos sibi nomen imposuisse LATINOS RHETORAS: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Maiores nostri quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc noua, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur.*

tur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueuerunt, videtur faciendum, vt ostendamus nostram sententiam, NOBIS NON PLACERE. Idem GELLIVS *lib. XV. cap.* II. repetit. Quod si vno anno ante bellum Marsicum ita sancitum fuit, minus est, quod admiremur, LXX ante annis, Fannio Strabone & Valerio Messalla consulibus, de philosophis & rhetoribus SC. factum, VTI ROMÆ NE ESSENT, quod ibidem SVETONIVS adnotauit. Sed non est, cur eius nos admiratio, quasi iustam ob caussam, subeat. p) Virtus, æquum, integritas adhuc Romanis curæ erant, quo fieri non potuit, vt rhetorum & sophistarum argutiæ & captiones, fictæque ad ius peruertendum controuersiæ ac declamationes placerent. Nam rhetorum disciplinæ, a Græcis inuentæ, multiplex tum abusio erat & turpis deprauatio, cuius rei in declamationibus, quæ supersunt, vestigia videmus. Lactantius, non ignobilis rhetor Nicodemiæ, id nos arcanum perdocere expertus ipse & exercitus potest, qui quum ad Christi veritatem litteris

p) Auctor noster senatusconsultum hoc non defendere quidem, id excusare tamen quodammodo eo nomine vult, quod rhetorum ac sophistarum argutiæ captionesque ad ius peruertendum comparatæ fuerint, Romani vero pristinam maiorum suorum integritatem ac iustitiam sancte seruare studuerint. Seuera tamen cum rhetoribus agendi ratio vel eo nomine non excusari potest, quod nullum discrimen inter veram & falsam statuerit oratoriam: conf. IO. NIC FVNCCIVM *de adolescent. lat. linguæ* p. 171. IS. CASAVBONVM & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. de illustr. grammaticis*, ac interpretes GELLII *lib. XV. noct. Attic. cap.* II.

ris mandandam se contulisset, de se dicit *lib. I. diu. instit. cap.* 1: *quæ professio multo melior, vtilior, glorioſior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus.* Scilicet ita est: senatusconsulto illo & edicto censorio non vera eruditio, aut sincera oratoria, sed fraudulenta & captiosa, quæ legibus insidiatur, & vsum forensem peruertit, expulsam prisci Romani, cordatissimi mortales, voluerunt, quod recte & ordine censemus factum, quia nihil pestilentius virtuti est & innocentiæ, quam illas fraudes in republica tolerare, & ad eas instituere iuuentutem.

§. IX.

Veram autem philosophiam & iuris scientiam, ad vsum ciuitatis & reipublicæ comparatam, nec prisci Romani neglexerunt. Testes clarissima nomina, a POMPONIO *lege II. de orig. iuris* laudata, *Aeliorum*, *Scæuolarum*, *Semproniorum*, aliorumque, quorum opus interpretatione erat ad forensem eloquentiam stabiliendam. Quod enim Q. Mucius apud POMPONIVM *d. l.* dixit: *turpe est cauſſas oranti, ius, in quo versatur, ignorare.* Nec minus philosophia, præsertim illa, quæ de moribus & officio animique characteribus agit, ad eloquentiam excolendam opus erat. Eiusdem vsum in eloquentia, ipsius CICERONIS voce ex libro, quem *Oratorem* præscripsit & M. *Bruto* dedicauit, *cap. III.* demonstramus: *fateor*, inquit, *me oratorem, si modo sim, aut etiam, quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exstitisse.*

tisse. Dicendum enim in republica est de bello, pace, fœderibus, & principum ciuiumque communi salute, de moribus & cupiditatibus hominum, & infinitis id genus aliis, quæ sane non ieiuni rhetores explicabunt, sed omnibus rebus instructi philosophi ex penu sua promunt & suppeditant. Non ergo veteres Romani sine philosophia fuerunt, quia non fuerunt sine arte oratoria; neque tamen ita tum exculta, vt inde a Ciceronis temporibus, fuit. Ipse *lib. IV. Tuscul. quæst. cap.* 3: *sapientiæ*, inquit, *studium vetus id quidem in nostris; sed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim.* Et *lib. I. Tuscul. cap.* 3: *philosophia iacuit vsque ad hanc ætatem; nec vllum habuit lumen litterarum Latinarum.* q)

SECT. II.

DE ROMANORVM STVDIIS POST SVLLANA TEMPORA.

§. I.

HACTENVS de studiis ante Ciceronis tempora, sub

q) De disciplinis philosophicis ac præcipue arte logica veterum Romanorum videndi sunt: BARTHOL. KECKERMANNVS *tract. II. præcognitor. logicor. cap.* 2. §. 18. p. 13. ADAMVS BVRSIVS in raro libro, qui inscribitur *Ciceronis dialectica:* GER. IO. VOSSIVS *lib. IV. de natur. artium, cap* 7. §. 21. *seq. tom. III. operum*, p. 216. PAGANINVS GAVDENTIVS *tract. de philosophiæ apud Romanos initio & progressu:* CHRIST. FALSTERVS *quæstion. Rom.* p. 249. venerand. pater *histor. logic, lib. II. part, I. sect. I.* §. 18. p. 550.

sub quibus nitidiorem faciem omnia induerunt. An vero, quæ anteceſſit, ætas inter Punica bella & Ciceronem, *ſemibarbara* dicenda ſit, quæris? Ait SAM. BOCHARTVS, vir clariſſimus, *epiſtola de Aeneæ nauigatione*, quod ita OLAVS BORRICHIVS, principio *analectorum*, negat, vt *aureum* contra & illa ætate ſæculum litterarum ac Latinitatis fuiſſe, exiſtimet. Nos viam mediam tenemus, & aurum quidem illis temporibus inueniri concedimus; at rude plerumque & impolitum, quod Ciceronis ætate poliri ſplendidius cœpit, & ab ipſo nitidiſſime expolitum eſt. Pretium ergo erit, ab ortu melioris ſæculi Romanorum ſtudia maiori cura & a pueris vsque perluſtrare, vt totus curſus eorum litterarius, quantum fieri poteſt, ac nobis nunc ſuppetit, & e re inſtituti noſtri eſt, ante oculos proponatur.

§. II.

Quæ fuerit ratio educationis & inſtitutionis apud Romanos, pulchre docet *auctor de cauſſis corruptæ eloquentiæ cap.* XXVIII. videlicet non in cella emtæ nutricis, ſed in gremio ac ſinu matris educatos filios fuiſſe; r) in partem curarum ad-

p. 550. eius *parerg. academ.* IAC. BRVCKERVS *hiſt. crit. philoſoph. period. I. part. I. lib. 2. cap.* 10. *tom. I.* p. 342. & *period. II. part. I. lib. I. tom. II.* p. 1. aliique.

r) Elementa litterarum prima pueri & puellæ in contubernio matris hauriebant; imo parentes ipſi, quibus filiorum educatio curæ cordique erat, in ſe docendi munus ſuſcipere, liberos ſuos ſumma induſtria erudi-

ro

adhibitis, quorum probatis spectatisque moribus soboles familiæ committeretur, coram quibus nec dicere fas esset, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Quæ disciplina ac seueritas eo pertinebat, vt sincera puerorum natura, nullis detorta prauitatibus ex aliorum exemplo, toto statim pectore in virtutem & honestas artes incumbendi, locum haberet. Sic plerumque domi, & in contubernio matris, elementa discebantur, s) quibus adreptis, extra limen pro-

re & ad maiora conficienda spatia præparare solebant, cuius rei CICERO *de clar. orat. cap. XXVII.* & *cap. LVIII. lib. VIII. ep.* 4. *ad Attic.* & *lib. II. ep.* 14. *ad Quint. fratr.* CORN. NEPOS *vit. Attic. cap. I.* & TACITVS *vit. Agricol. cap. IV.* §. 3. testes sunt.

s) Nec parentes solam informandæ pubis curam in se suscipiebant; sed & præceptoribus vtebantur, qui non solum priuatim, sed & in multorum conuentu pueris prima litterarum fundamenta, artem nimirum legendi, scribendi & numerandi tradebant, antequam illi extra limen ad scholas grammaticorum mittebantur: quemadmodum hoc ex LIVIO *lib. III. cap.* 44. *lib. V. cap.* 27. *lib. VI. cap.* 25. & DIONYSIO *Halicarnasseo* discimus. Vocantur hi præceptores *ludimagistri* ab ASCONIO aliisque: ab AVGVSTINO *primi magistri:* a VOPISCO *pædagogi litterarii:* a TACITO *magistri litterarii:* a IVL. CAPITOLINO *magistri ad prima elementa:* ab AMMIANO MARCELLINO *litteriones*, quemadmodum IO. WOWERIVS *de polym.* p. 35. & CONR. BVDDE *diss. de stud. liberal. apud vet. Rom.* p. 18. & 19. docent. Ab his ludimagistris *grammatici* erant diuersi; ad quos se pueri conferebant post ludimagistrorum institutionem. Ab vtrisque & ludima-

ducti, vt grammaticum Græcum & rhetorem Latinum audirent. Nam in scholis & multorum conuentu malebant suos, quam priuatim & singulares institui, vt æmulatione ingenium accenderetur, & certatim promouendo maiores progressus facerent. Quod enim vere PATERCVLVS dixit *lib. I. cap.* 17: *alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit:* sine qua si relinquitur adolescens, torpet, marcescit, aut pestifero errore sibi plus attribuit, quam didicerat, quod qui plura scirent, inter æquales nondum cognouit. Quæ morum integritati ex cœtu obiiciuntur, QVINTILIANVS *lib. I. cap.* 2. confutat, ad quem lectorem remittimus. Nobili exemplo est T. Pomponius Atticus, qui, NEPOTE teste, *in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condisci-*

gistris & grammaticis differebant *pædagogi*, quibus correctio morum iuuenilium committebatur: coram quibus nihil aut facere, aut dicere fas erat, quod turpe atque inhonestum videbatur, quique pueros in scholam ducere debebant: vid. IAC. PERIZONIVM. *not. ad Aelian. lib. III. var. hist. cap.* 21. p. 232. Quemadmodum pueri a *pædagogis*, sic puellæ a *nutricibus* suis duci solebant, vt LIVIVS *lib. III. cap.* 44. testatur. Discrimen hoc satis THEON. *Sophista in exemplis ad progymn.* p. 121. ed. *Camerar.* monstrat, cui inscriptiones apud GRVTERVM p. DLXXXV. *num.* 7. & p. DCLII. *num.* 8. HORATIVS *lib. I. sat.* 6. ac PLINIVS *lib. III. ep.* 3. adiungendi sunt. Ii, qui pueros prima litterarum fundamenta docebant ac moribus eorum præerant, haud raro seruilis erant conditionis, vt fusius LAVR. PIGNORIVS *de seruis* p. 116. seq. docet.

discipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo. Hinc est, quod *cap. V.* eum cum M. Cicerone *a condiscipulatu* coniunctissime vixisse tradit. Plinius quoque Corelliæ Hispullæ, nobili feminæ, consulturus, cui filium præceptori tradat, a quo mores non minus, quam eloquentiam discat: *adhuc*, inquit, *lib. III. ep. 3. illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit, - - - iam studia eius extra limen proferenda sunt, iam circumspiciendus rhetor Latinus, cuius scholæ severitas, pudor inprimis, castitas constet.* t)

t) De ipsis scholis veterum Romanorum quædam addenda sunt. Istæ erant vel *priuatæ*, vel *publicæ*; quarum *illæ* sine publica auctoritate a quoque pro suo arbitrio institui, atque in ædibus priuatis, theatris, basilicis, foris, diuitum aulis, immo templis & hortis haberi potuerunt, quemadmodum GVID. PANCIROLLVS *descript. vrb. Rom. tom. III. thes. ant. Rom. Græuii* p. 334. FRANC. BERNARD. FERRARIVS *de adclam. & plaus. lib. III. cap. I. tom. VI. indicati thes.* p. 90. GOTTFR. OLEARIVS *not. ad Philostrat.* p. 479. & 619. EZECH. SPANHEMIVS *tom. II. operum*, p. 1367. obseruant. *Publicæ* scholæ publica constitutæ erant auctoritate, adsignatis iis, qui in illis docebant, magnificis stipendiis & salariis, VT EX IVL. CAPITOLINO *vit. Ant. philosoph. cap. XI.* EVMENIO *rhetore orat. pro restaur. scholar. cap. XI. §. 2.* PHILOSTRATO *de vit. sophist. lib. II. §. 2.* p. 566. aliisque patet. Ipsæ publicæ scholæ erant *athenæum*, *capitolium*, ac *pergulæ magistrales*. De athenæo, ab Adriano, summo litterarum amatore, constituto, deque habitis in illo scholis publicis, AVREL. VICTOR *de cæsar. cap. XIX.* DIO CASSIVS

§. III.

Princeps Romanis ſtudium *eloquentiæ* erat, quam philoſophiæ & iurisprudentiæ anteferebant. Seruius itaque Sulpicius, quum videret, Ciceronem Hortenſiumque eloquentia vinci non poſſe, ad iuris ſcientiam, impenſius colendam, ſeſe contulit, vt CICERONI *de clar. orat. cap. XLI.* viſum fuerit, *in ſecunda arte primum eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundum.* Quum itaque primas Romani eloquentiæ deferrent; neque aliter per ampliſſimi ſui

SIVS *lib. LXXIII.* LAMPRIDIVS *vit. Alex. Seueri cap. XXXV.* & CAPITOLINVS *vit. Pertin. cap. II.* teſtantur, quibus IAC. SIRMONDVM *ad Sidon. lib. II. epiſt. 9.* ISAAC. CASAVBONVM *ad Capitol. indicatum locum* & IO. FRIDER. GRONOVIVM *diſſ. de muſeo Alexandrino* addas. De capitolio ac in illo a tribus oratoribus, decem grammaticis & quinque ſophiſtis tempore Theodoſii II. inſtitutis ſcholis HERM. CONRINGIVS *antiqu. academ. diſſ. I.* p. 22. & *diſſ. de ſtudiis liberal. vrb. Rom.* p. 13. conſulendus eſt. Pergula erat pars domus exporrecta & propendens, in qua artifices ſe exercere & res venales exponere ſolebant; quumque in eiusmodi pergulis & magiſtri docerent, inde iſtæ *pergulæ magiſtrales* adpellatæ ſunt: vide SVETONIVM *de illuſtr. gramm. cap. XVIII.* VOPISCVM *vit. Saturn. cap. X.* & *leg. III. cod. Theodoſ. de ſtud. libert. vrb. Conſtant.* ex recentioribus autem CLAVD. SALMASIVM *not. ad Vopiſcum memorato loco:* ADR. TVRNEBVM *lib. VIII. aduerſ. cap. I.* IAC. CVIACIVM *lib. XI. obſ.* 13. & SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium* p. 363. In ſcholis docentes ſedebant; diſcentiumque erant diverſi ordines, cum pro ſcientiæ ac cognitionis modo, tum pro ætatis varietate. Conſulas LVD. CRESOLLIVM *theatr. rhetor. lib. IV. cap.* 10.

sui imperii formam possent; ad illam omne studium a pueris referebant. Prima autem cura litterarum Græcarum fuit, quæ non minus olim, aut magis etiam necessariæ erant, quam hodieque Latinæ sunt; ut auspicium fieret ab Homero, cuius præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præpararetur. PLINIVS *lib. II. epist.* 14. dixit, *pueros auspicari ab Homero in scholis.* Huic Menander, Euripides, Sophocles adiungebantur: dein historici, Thucydides, Herodotus, Xenophon, Polybius. u) Hoc decurso stadio, se philoso-

u) Ii, qui in scholis pueris ad intelligendos veteres scriptores, tam historicos, quam poetas, aditum patefaciebant eosque interpretabantur, *grammatici* vocabantur, hique triplicis generis apud Romanos erant. Alii dicebantur grammatici *technici*, eorum ars τεχνικὴ, siue μεθοδικὴ, atque hi artis præcepta ita docebant, vt monstrarent, quomodo recte legi & scribi debeat, quid nomen, quid verbum, quid pronomen, aduerbium cet. in oratione sit, & quæ his sunt similia. Alii grammatici *historici*, siue *exegetici* dicebantur, qui ipsas res, ab auctoribus traditas, ex historiarum atque antiquitatum fontibus illustrabant: alii denique *critici* fuerunt, quorum industria præsertim in emendandis corruptis locis, remouendis glossematibus, ac secernendis germanis libris ab adulterinis posita fuit. Lege de hoc grammaticorum discrimine PHIL. IAC. MVSSACVM *diss. crit. in Harpocrat. lex.* p. 381. GERARD. IO. VOSSIVM *lib. I. de arte grammat. cap.* 6. IO. WOWERIVM *de polymath. cap. VIII.* IO. NIC. FVNCCIVM *de virili ætate lat. lingu.* p. 34. & PETR. BVRMANNVM iuniorem *not. ad Henr. Valesium de crit. lib. I. cap. I.* p. 144. Ad horum grammaticorum institutionem

losopho dabant & rhetori, vt in illius schola disserendi artem, in huius declamandi exercerent, & vtramque Græce magis quam Latine, quod illa lingua omnium disciplinarum præcepta tradebantur, & in illa qui artis peritus erat, facili labore ad patrium sermonem eandem adplicaret; non autem vicissim, qui Latine prius declamauerat, ad Græcam æque orationem adducebatur. CICERO de se *in Bruto cap. XC: commentabar declamitans, sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius, quod Græca oratio, plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi adferebat.* Quid? quod idem summus orator *ad prætoram vsque Græce declamauit, vt* SVETONIVS *de clar. rhetor. cap.* I. ostendit. Quum ergo nobis Latina lingua eodem vsu sit, quo priscis Romanis fuit Græca; non probamus illorum consuetudinem, qui in scholis suos Teutonicis declamationibus exercent, antequam Latine scribere secundum artem & declamare

nem Romani iuuenes studiose & diligenter veterum Græcorum monimenta legebant: ea, quæ notatu digna videbantur, obseruabant, & in primis eorum tam scribendi indolem, quam rerum tractandarum modum imitari solebant. Sic Cicero Demosthenem, Terentius Menandrum, Sallustius Thucydidem, Virgilius Hesiodum & Homerum, Tacitus & Liuius Polybium imitati sunt. Idem & in Latinis scriptoribus tentabant, quemadmodum de Terentio, Silio Italico & Cornelio Seuero constat, quorum hic Manilium, ille Virgilium, & iste Plautum ad imitationem sibi proposuit.

Landesbibliothek Oldenburg

mare didicerint. Exemplis enim comprobatum fuit, illos raro (ne dicam, numquam) ad Latinitatis nitorem postea peruenire.

§. IV.

Sic, quum in patria pueritiam, quidam etiam in Græca ciuitate ob faciliorem Græcæ linguæ vsum, vt Massiliæ Agricola Foroiulienſis, cuius vitam Tacitus scripsit, exegissent; toga virili sumta, in castra profecti stipendia merebant, etiam, quibus animus non esset ad fastigium ducis aliasque militiæ dignitates enitendi, ne postea senatores, aut proconsules, ignari essent rerum bello gerendarum. Nec vero in castris intermissa studia litterarum, quum nec ipsi summi duces sibi temperarent, quin, si diurnis horis non liceret, noctis tamen partem quandam litteris vindicarent. De Octauiano Cæsare testis est iterum SVETONIVS dicto *de rhetoribus libro cap.* I; de PLINIO ipsemet *lib. I. epist.* 10: *hunc*, inquit, Euphratem philosophum, *ego*, *in Syria*, *quum adolescentulus militarem*, *penitus & domi inspexi*, *amarique ab eo laboraui.* Et *lib. III. epist.* 11: *Artemidorum*, alium celebri nomine philosophum, *ipsum iam tum*, *quum in Syria tribunus militarem*, *arcta familiaritate complexus sum*, *idque primum nonnullius indolis dedi specimen*, *quod virum aut sapientem*, *aut proximum simillimumque sapienti intelligere sum visus.* x) Omnibus in bellum proficiscendum erat,

x) Romanos in ipsis castris ludos litterarios instituisse, locuples testis est SVETONIVS *vit. Caligul. cap. XLV.* cui IAC. PERIZONIVM *not. ad Aelian. lib. III. var. hist. cap.* 21. p. 233. addas.

Landesbibliothek Oldenburg

etiam omnibus sectanda litterarum studia; nec in claris Romanis exemplum fuit, quin vtrumque studium coniunxerit, præter C. Marium, facem illam ciuilis belli, cuius, ceteroqui Marte clari, vox barbara apud SALLVSTIVM *Iug. cap. LXXXV.* est: GRÆCAS LITTERAS NON DIDICI; quod etiam non iuranti credideris, quia nihil cultum moratumque in vita eius fuit; neque potuit sine litteris esse: sed sæua, truculenta omnia, ideoque misero excessu, quem Plutarchus descripsit, post tot honores opesque septies consul, quod nemini ante ipsum contigerat, summa perturbatione animi & inter eiulationes, indignas viro, exstinctus est. Quas vero ipse spreuerat litterarum disciplinas, quasi ominatus infelicitatem suam, filium perdiscere non recusauit, qui inter Pomponii Attici æmulantes condiscipulos, cum Torquato & Cicerone, a CORN. NEPOTE *in vita Attici cap. I.* numeratur.

§. V.

Qui non perpetuam militiam elegissent, ex bello post alterum tertiumue annum reuersi, Latino se oratori dediderunt, quem assidue sectarentur, & dicendi artificium & caussas agendi ex illo discerent, y) a quo etiam in forum producebantur,

y) Idem confirmat auctor *dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ cap. XXXIV.* p. 841: *ergo*, inquit, *apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc sectari,*

tur, PLINIVS *lib. II. epist.* 14. *num.* 3. vt periculum facerent eloquentiæ, adcusando aliquem,

sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus adsuescebat, ita vt altercationes quoque excipere & iurgiis interesse, vtque sic dixerim, pugnare in prœlio disceret. Et paullo post: *igitur vera statim & incorrupta eloquentia imbuebantur, & quamquam vnum sequerentur, tamen omnes eiusdem ætatis patronos in plurimis & caussis & iudiciis cognoscebant, habebantque ipsius populi diuersissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendebatur, quid in quoque vel probaretur, vel displiceret.* Vario modo ad id enitebantur, vt in dicendo & vim & facultatem sibi compararent, &, vti in eloquentiæ studio diuersa ratione ingenium exercebant; ita sæpe perorarunt, in quibus orationibus vel ficta, vel vera tradebantur: ficta, *progymnasmatibus* ac *declamationibus*; vera autem in *orationibus* proprie sic dictis. Initium iuuenes a progymnasmatibus facere solebant, quæ & alias *dicendi primordia* ac *dicendi elementa* vocantur, &, postquam in iis facultatem sibi adquisiuerant, ad declamandum sese accingebant. Ipsæ declamationes, pro tribus caussarum speciebus, triplicis erant generis, vel *panegyricæ*, vel *suasoriæ*, vel *controuersiæ*; quarum hæ in iudiciali genere, illæ in deliberatiuo, istæ vero in demonstratiuo versari solebant. Quemadmodum vero declamationes suasoriæ a minus exercitatis suscipiebantur; ita controuersiæ ad matura pertinebant ingenia. Atque in eiusmodi dicendi exercitiis tamdiu versabantur, donec sibi facultatem comparauerant, in ipsis iudiciis ac foro publice periculum eloquentiæ faciendi, &, adhibitis prudentis atque exercitati viri consiliis, primam suscipiendi caussam: conf. LVD. CRESSOLLIVM *theatr. rhetor. lib. III. & IV.* GER. IO. VOSSIVM *de rhetoric. natur. & constitut. cap. XVI.* & venerand. patrem *diss. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom.* p. 63. eius *parerg. academ.*

vel defendendo in cauſſa illuſtriori. Exemplum PLINIVS idem præbet *lib. VI. epiſt.* 23. Quo vero magis perficerent exornarentque, quæ bene cœpta erant, ſtudia, vel tum, poſt ingreſſum in forum, vel antea etiam, vel quandocunque occaſio in bello, in prouinciis, vel alia ſe oſtendit, in Græcas litterarum ſedes profecti, vt inclutos viros audirent, eorumque exemplo ac conſuetudine & ſe & ſuam doctrinam confirmarent. Athenæ præcipue, & Apollonia ad mare, & in citeriore Aſia Rhodus ac Mitylene erant, aliæque in Aſia nobiles tum litterarum ſedes. Exempla ſint interpretamento. CICERO de ſe ipſe teſtis eſt ſub finem *libri de claris oratoribus*, quum eſſet biennium verſatus in cauſſis, & iam in foro celebratum eius nomen eſſet, Athenas profectum, ſex menſes cum Antiocho, veteris Academiæ philoſopho, fuiſſe, ſtudiumque philoſophiæ, numquam antea intermiſſum, hoc ſummo auctore renouaſſe. Eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, nobilem dicendi magiſtrum, ſe ſtudioſe exerceri ſolitum. Poſt, Aſia tota peragrata, vbique inueniſſe, quibuscum exerceretur lubentibus, quod promtiſſimi adeſſent ei diſcendi cupido, Dionyſius Magnes, Aeſchylus Cnidius, Adramytenus Xenocles, qui tum principes rhetorum in Aſia numerabantur; cum primis autem Menippum Stratonicenſem, tota Aſia illis temporibus diſertiſſimum, admiratus fuit, de quo ita iudicauit: *ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt; hic orator in illis numerari*

rari recte potest. Non contentus hisce, in Rhodum nauigauit, & Moloni, quem Romæ audiverat, se rursus applicando, didicit egregio hoc magistro, iuuenilem orationis abundantiam intra ripam coercere. Romam inde regressus, Cottæ adhæsit & Hortensio, sed huic magis, summis tum in vrbe oratoribus, vt horum exemplo suam confirmaret eloquentiam. Iuris autem ciuilis caussa Q. Mucio Scævolæ, P. F. multum operæ dedit, qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. z)

§. VI.

Hoc iter fuit Ciceronis litterarium, quam diversum ab iis, qui vulgo peregrinantur, non discendi caussa, sed voluptatis conquirendæ, qui, quod ruditatem suam, quoque eunt, circumferunt, nihil eos iuuat terrarum nouitas: nihil cognitio vrbium locorumque antea inuisorum: nihil ædificia vidisse splendida, equorum stabula in aulis perlustrasse, diuersicolori famulitio principum suos oblectasse oculos. Virtus, eruditio, in oculis, in animo sint peregrinantium, vt vbique obseruent, quod vtramque alat & augeat, & quovis loco recordentur, qui clari viri vestigia ibi impressa reliquerint: quid actum honeste, quod imi-

z) De peregrinationibus litterariis veterum Romanorum vide GEORG. NIC. KRIEGKIVM *diatr. de peregrinat. Rom. academ.* IO. IOACH. ZENTGRAVIVM *diss. de peregr. academ.* IO. NIC. FVNCCIVM *de viril. ætate lat. lingu. part. I. cap. I.* §. 23. & venerandum patrem *dissert. memorata* p. 68.

imitamento virtutis & augendæ eruditioni esset. Huc, nisi peregrinantis animus vertatur, in vtroque genere antea præparatus, vt discat, qui mores hominum, quæ virtutes, quæ scientiarum ornamenta sint: frustra iter ingressus est, & vitiis cumulatior redit domum, quia virtutem peregrinorum neque cognouit, nec sibi conciliauit.

§. VII.

Hæc studia tum in vrbe erant: hæc vrbanorum in peregrinatione. Addo de bibliothecis, a) quæ publici iuris vt essent, sero institutæ sunt; priuatæ autem pæne multæ & illustres instar publicarum, eruditorum vsui sine inuidia patebant. Aemilius Paullus, victo Perse, ingentem vim librorum e Macedonia Romam attulit; neque non e Ponto & Asia L. Lucullus. De Paullo ISIDORVS *orig. lib. VII. cap. de bibliothecis:* de Lucullo PLVTARCHVS *in vita.* Huius vt magnifica omnia erant post victoriam; ita etiam bibliotheca. PLVTARCHVS p. 519. de illa bibliotheca: ἦτε χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀνειμένων πᾶσι τῶν βιβλιοθηκῶν, *vsus, quam comparatio, liberalior erat, quod omnibus paterent eius bibliothecæ*, & vndecumque aduenissent eruditi, in eas earumque περιπάτους καὶ σχολαστήρια, i. e.

a) De bibliothecis scriptores collegerunt iunctimque ediderunt IOACH. IO. MADERVS, Helmst. MDCLXVI. & post illum IO. ANDR. SCHMIDIVS; quibus alii, a SAM. PITISCO *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 276. & IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiqu. cap. XXI.* memorati, adiungi possunt.

Landesbibliothek Oldenburg

i. e. *ambulationes* se conferebant, ὥσπερ εἰς μουσῶν τι καταγώγιον, *tamquam in Musarum diuersorium.* Pluratiuo numero βιβλιοθηκῶν dixit, quia non tantum in vrbe, sed in villis etiam instruxerat. Præter vrbanas enim bibliothecas, generosissimus quisque Romanus in singulis villis suis bibliothecam constituerat, vt, quoties in illas secessissent, b) liberius ibi, ab vrbis strepitu & interpellationibus vacui, operam optimis litteris darent. CICERO *de finib. lib. III. cap. 2: in Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris vti, veni in eius villam, vt eos ipse, vt solebam, inde promerem. Quo quum ve-*

b) Quando a strepitu vrbano remoti atque a negotiis publicis ac curis paullulum vacui esse volebant Romani, ad suas villas se conferebant, quæ plurimam partem ad mare positæ, & omnibus rebus, quæ magnificentiam, splendorem atque amœnitatem augent, instructæ erant. De hoc secessu testatur SVETONIVS *vit. Aug. cap. LXXII. vit. Caligul. cap. XLV.* STATIVS *lib. IV. silu. 4. v. 12.* Ibi non solum animi recreandi caussa modo talis, modo aliis ludorum generibus tempus consumebant, auctoribus SVETONIO *vit. Aug. cap. LXXXIII. §. 2.* & CICERONE *de oratore lib. II. cap. 6.* sed etiam litteris sese consecrabant, libros legebant, ac cum eruditissimis viris, inuitatis, disputabant; quemadmodum ex variis PLINII locis, nominatim *lib. I. epist. 13. lib. III. epist. 7.* & *lib. VII. epist. 25.* & ex CICERONE *lib. III. de fin. cap. 2.* aliisque auctoribus discimus. Vide præ multis aliis GEORG. GREENIVM *de rusticatione veterum Romanor. tom. I. thes. Sallengriani* p. 690. seq. vbi copiose non solum de villis veterum Romanorum, sed etiam de eorum in illas secessu disputat.

Landesbibliothek Oldenburg

veniſſem, M. Catonem, quem ibi eſſe neſcieram, vidi in bibliotheca ſedentem multis circumfuſum Stoicorum libris. Et PLINIVS *lib. III. epiſt.* 7. de Silio Italico: *plures villas poſſidebat, multum vbique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum.* Nam & hæc ornamenta in bibliothecis ponebantur. Idem *lib. IV. epiſt.* 28: *Herennius Seuerus magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Caſſii.* MARTIALI *lib. VII. epigramm.* 17. huius generis villatica eſt *ruris bibliotheca delicati.* c)

§. VIII.

c) Bibliothecarum tam publicarum, quam priuatarum adparatus longe maiores efflagitabat ſumtus, quam noſtra ætate. Libri a librariis deſcribendi erant, & quoniam plurimam partem iſti mendoſe ſcribebant, adcurate exarati libri maximi habebantur pretii. Plura de libris veterum, eorumque ratione ac modo eos vel conuoluendi vel compaginandi, ſuppeditant: CLAVD. SALMASIVS *de modis vſurar. cap. X. exercit. Plin.* p. 278. & 706. & *ad* VOPISCVM *Firm. cap. III.* LEO ALLATIVS *prolegom. ad libr. de patria Homer.* p. 20. THOM. BARTHOLINVS *de legend. libr.* p. 20. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *diſſertat. de ornamentis libror. veterum*, & IO. NIC. FVNCCIVS *de ſcriptur. veterum*, vbi erudite *cap. I. de prima ſcribendi origine: cap. II. de materia, in qua ſcripſerunt: cap. III. de graphio & calamo: cap. IV. de pictura & coloribus litterarum: cap. V. de litterarum formis: cap. VI. de libris: cap. VII. de librariis, & cap. VIII. de bibliothecis veterum* diſſerit. Summam adhibebant veteres Romani induſtriam, vt libros, quos vel deſcribendos curauerant, vel deſcriptos coemerant, ad ſuum vſum

§. VIII.

Sed hæc de priuatis bibliothecis. Publicæ, vt dixi, sero constitutæ, nec ante Augusti tempora. Eius

vsum rite conuerterent. Studiose eos legebant, &, quæ memoria atque obseruatione digna videbantur, adnotabant, vel excerpebant, vti ex PLINIO *lib. III. epist.* 5. & *lib. VI. epist.* 20. ex GELLIO *lib. IX. noct. Attic. cap.* 4. & SENECA *epist. CVIII.* patet. Vtebantur hanc in rem certis signis, quæ ad loca vel probanda & laudanda vel culpanda adponebant: cuiusmodi signa apud grammaticos & criticos veterum Romanorum potissimum vsitata erant, quemadmodum de obelo ordinario, obelo ἀνωστιγμένῳ, metobelo, asteriſco, lemniſco, antisigmate, antigrapho, litteris L. LL. X. XP. Θ. Φ. T. Λ. aliisque multis constat; de quibus ex veteribus HEPHÆSTIO, PHILOXENVS, DIOGENES *Cyzicenus*, SVETONIVS, quorum libri omnes perierunt, item ORIGENES, EPIPHANIVS, ISIDORVS, ex recentioribus autem AEGID. MENAGIVS & ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Laertium* p. 161. & 203. IO. WOWERIVS *polymath. cap. XVII.* SCALIGER *not. ad lib. I. Varronis de re rust.* BERN. DE MONTFAVCON *palæograph. Græc.* p. 34. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS *diss. de veterum criticor.* σημειώσεσι, quæ in eius *diss. academ.* p. 215. & CREENII *synt. II. diss. phil.* p. 283. exstat, egerunt. Nec solum ipsi legebant libros, ac ea, quæ ad vsum suum pertinere arbitrabantur, obseruabant; sed etiam pueros adhibebant, quibus prouincia commissa erat, inter epulas, vel alio etiam tempore, ex libris domino prælegendi, ex quo munere & nomen acceperunt suum, & *anagnostæ* ac *lectores* adpellati sunt: vid. NEPOTEM *vit. Attici cap. XIII.* CICERONEM *lib. I. epist.* 12. *ad Atticum*: PLINIVM *lib. I. epist.* 15. & SVETONIVM *vit. Claudii cap. XXVIII.* ex recentioribus ANDR. TI-

RA-

Eius rei laus prima manet Asinium Pollionem, de quo PLINIVS ait *lib. XXXV. cap.* 11: *primus, bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Idem in animo habuerat Iulius Cæsar, *bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare*, quod SVETONIVS *cap. XLIV.* memorauit; sed fato præuentus, nihil perfecit. Augustus autem Cæsar duas legitur constituisse publicas, *Octauiam* in Octauiæ porticu, in sororis honorem nominatæ, & *Palatinam* iuxta ædes suas & Apollinis templum in monte Palatino. DIO CASSIVS *lib. XLIX. p.* 417: Ἐπειδὴ δὲ οἱ Δαλμάται παντελῶς ἐκεχείρωντο, τάς τε τοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν

RAQVELLVM *not. ad Alexandr. ab Alexandr. lib. II. genial. dier. cap.* 30. ERYCIVM PVTEANVM *reliqu. conuiu. prisc. tom. XII. thes. ant. Rom. Græuii*, p. 258. LAVR. PIGNORIVM *de seruis* p. 108. *interpretes Plinii ad lib. VIII. epist.* 1. & NEPOTIS *loco memorat.* IO. FRID. GRONOVIVM *lib. I. obs.* 22. & alios apud venerand. patrem *diss. de variis modis litteras colendi apud vet. Rom.* p. 29. & IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar.* p. 623. De singulari industria Romanorum eruditorum, quæ tanta fuit, vt & noctis partem litterarum studiis consecrarent, supra exposui. Vt eo melius lectioni ac meditationi se tradere possent, habebant singulares *lecticulas*, seu *lecticulos lucubratorios*; qui vero ab aliis lectis haud multum differebant: vide PLINIVM *lib. V. epist.* 5. SVETONIVM *vit. Aug. cap. LXXVIII.* & OVIDIVM *lib. I. trist. eleg.* 10. v. 37. ex recentioribus ISAAC. CASAVBONVM & SAM. PITISCVM *not. ad Suetonii indicatum locum*, & IO. SCHEFFERVM *de re vehicul. lib. II. cap.* 5. p. 113.

τῶν βιβλίων τὰς Ὀκταβίανὰς, ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας, κατεσκεύασεν, *deuictis Dalmatis, porticus e manubiis, & bibliothecas, a ſororis nomine Octauianas dictas, exſtruxit.* Et SVETONIVS *grammat. cap. XXI.* in Caio Meliſſo: *quo* (Auguſto) *delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octauiæ porticu ſuſcepit.* Cur autem pluraliter *bibliothecarum?* quia Græcam a Latina diſtinguebant. M. CICERO *lib. III. epiſt. 4. ad Q. fratrem: de bibliotheca tua Græca ſupplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim iſta confici, præſertim quum ad meum quoque vſum ſpectent.* Quod clarius ſupra SVETONIVS de cogitatis Iulii Cæſaris diſtinxit, & de altera Auguſti, in *vita* eius *cap. XXIX: templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari a deo haruſpices pronuntiarant. Addidit porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.* Hanc idem *de clar. grammat.* in C. Iulio Hygino *cap. XX. Palatinam* dixit. *Præfuit*, inquit, *Palatinæ bibliothecæ.* Vtraque Auguſti deflagrauit: Palatina, ἐμπρησθὲν τὸ παλάτιον διαφθείραντος, *incendio palatium conſumente*, DIO CASSIVS *lib. LV. p.* 556. ſed breui poſt reparata. Hinc SVETONIVS *Tiber. cap. LXXIV. bibliothecam noui templi* dixit. Altera, Octauia, flagrauit ſub Tito. DIO p. 756: Ὀκταούια οἰκήματα καὶ μετὰ τῶν βιβλίων κατέκαυσεν, *Octauiana ædificia, vna cum libris, igne conſumta ſunt.* Reſtituit Domitianus. SVETONIVS *in vita* eius *cap. XX: liberalia ſtudia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas, incendio abſumtas,*

impensissime reparare curasset, exemplaribus vndique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Præter Romanas bibliothecas, etiam publicæ erant per Italiam in coloniis ac municipiis, qualem Plinius in patria sua, Comensi ciuitate, dedicauit, *lib. I. epist.* 6. Et TACITVS imperator *Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ augustæ, in omnibus bibliothecis collocari iussit,* VOPISCO referente *cap. X.*

§. IX.

Hoc alimento opus erat præclaris studiis, in altitudinem proferendis, quo etiam sub Augusto Cæsare, & ante paullo, educta feliciter fuerunt. Quantos enim oratores illa ætas vidit Ciceroni æquales, aut paullo iuniores? quis Hortensios, Cæsares, Caluos, Cœlios, Brutos, Asiniosque ignorat? Auctor *dialogi de oratoribus cap. XXV: strictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem eloquentiæ ferunt, vt, si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamuis in diuersis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem & cognationem.* Nec minores, nec pauciores poetæ, Augusto fauente, adiuuante Mæcenate. Nota sunt nomina, æternitati olim dedicata. Quid de philosophia dicam? hæc Cicerone vel magistro vel interprete Latine loqui cœpit, & inter Latinos conuersari, quum antea Græcorum fuisset propria. Historici autem quam nobiles, quam diserti illa ætate! Thucydidis æmulator

Cri-

Crispus Sallustius, Iulius Cæsar, Cornelius Nepos, Hirtius, vel Oppius, T. Liuius Patauinus, & quorum monimenta interierunt, Pomponius Atticus, Pollio Asinius, L. Lucceius, Aelius Tubero, Trogus Pompeius, aliique horum æquales.

§. X.

Ius quoque ciuile tum illustrius factum luce philosophiæ & litterarum humanitatis, Seruii Sulpicii ingenio, industria, quæ tenebrosa erant antea, clarissime illustrante. Hic facem prætulit: viam monstrauit ad consequendam iuris & æqui cognitionem ac scientiam. Non nostris, sed CICERONIS verbis rem nobilissimam explicabimus. Hic *de clar. orat. dialogo, cap. XLI.* ita tradit: *de Seruio dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam & in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & postea vna Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset & doctior, &, inde vt rediit, videtur mihi in secunda arte*, iuris prudentia, *primus esse maluisse, quam in prima*, eloquentia, *secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium non eiusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure ciuili esse princeps. Heic Brutus, ain tu? inquit, etiamne Q. Scæuolæ Seruium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris ciuilis magnum vsum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse; artem in hoc vno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicis-*

set artem, quæ doceret, rem vniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus positis essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis, sed adiunxit etiam & litterarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. Hæc via ad iurisprudentiam Romanis fuit: hac grassati ad gloriam illam & excellentem scientiam, quam adhuc pleræque gentes in iuris Romani auctoribus admirantur. Nec otiosus homo fuit Seruius Sulpicius, aut in latebris abditus & speculationibus intentus; sed publicis rebus, si quis alius, exercitatus, prætor, consul, præses prouinciæ Achaiæ, & tandem ob rempublicam legatus in bello Mutinensi, cui immortuus legationi est, ob id ænea statua in rostris, aliisque honoribus post mortem ornatus. Plura de laudibus eius *Philippica* CICERONIS IX. traduntur, ex cuius *cap.* 5. hæc insignia verba superaddo: *omnes ex omni ætate qui hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim magis iuris consultus, quam iustitiæ fuit.* d) §. XI.

d) De fatis iurisprudentiæ Romanæ legantur: IAN. VINCENT.

§. XI.

Hæc de variis generibus studiorum. *Modus* discendi talis erat, vt certe improbari non possit, quia felicem fuisse innumeris exemplis, iisque illustrissimis, probatur. Dixi supra de auspiciis studiorum: addo ex PLINII *lib. VII. epist.* 9. de stili exercitatione, cui quod varia rerum cognitione est opus, magna inde pars eruditionis humanæ pendet. Ait vtile in primis esse, *ex Græco in Latinum, & ex Latino vertere in Græcum.* Sic enim proprietatem splendoremque verborum, copiam figurarum, vim explicandi, præterea optimorum imitatione facultatem inueniendi similia parari. Addit, quod instar magisterii est, vt, qui præceptore destituitur, sibi ipse possit consulere: videlicet iubet, *quæ legeris hactenus, vt rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius.* Legito totam epistolam velim; non pœnitebit. Quæ vero ibidem de stilo censentur, ad nostram patriam & ætatem ita referemus, si pro Græcis Latina, pro Latinis Teutonica substituamus, quamuis nec Græca ad veram eruditionem adspirantibus omittenda sint. Non difficile erit, neque infructuosum, quæ de stilo ibi dicuntur exercendo, ad alia quæuis studiorum genera ap-

CENT. GRAVINA *de orig. & progress. iur. ciuil.* GEORG. SCHVBARTVS *de fatis iurisprudent. Romanæ:* CONR. RITTERSHVSIVS *proleg. ad XII. leg. tab. cap. III.* SIMON. LEVWIVS *de origine & progressu iuris Romani*, aliique plures.

Landesbibliothek Oldenburg

plicare. Erat etiam non incommodus modus, exercendi adoleſcentulos, quem ex AVGVSTINI *lib. 1. Confeſſion. cap.* 17. cognoſcimus, nempe *aliquid dicere ſolutis verbis, quale poeta dixiſſet verſibus.* Hoc enim facit ad verborum rerumque copiam cum parandam, tum augendam, ideoque M. Tullius *pro Archia oratione* multum poetis legendis tribuit ad oratoriam facultatem conſequendam. Neque *mathematum* erant Romani negligentes, quibus ex Pythagorea diſciplina, quam GELLIVS *lib. I. cap.* 9. commendat, a pueris imbuebantur, tamquam vſui futuris non modo ad militarem ſcientiam, quod PLATO egregie demonſtrat *lib. VII. de republica*, ed. Baſil. p. 439; verum ad ipſam etiam artem dicendi, ſiue oratoriam. Vnde eſt, quod *dialogo de orator. cap. XXXI.* dicitur, *& iuris ciuilis ſcientiam veteres oratores comprehendebant, & grammatica, muſica & geometria imbuebantur*, quod pluribus explanauit QVINTILIANVS *lib. I. cap.* 10. Nec illud tacendum, quod ibidem eſt traditum, mathematicis diſciplinis *acui ingenia*, & digeri; ſiue, vt PLATO *d. l.* dixerat, βραδεῖς, *tardos ingenio* fieri eisdem ὀξυτέρους, *acutiores.*

§. XII.

Vna pars ſupereſt, quæ facile princeps in ſtudiis Romanorum erat, *recitatio* eorum, quæ ingenio elaborauerant. e) Hæc ad adultiores etiam & vi-

e) Oratoria ars inſignia habuit incrementa per *recitationes*, quum ipſi poetæ atque oratores ingenii ſui ſpecimina, antequam ea in lucem emitterent publicam, vel

viros pertinebat, vt, si vel orationem, vel historiam, vel maius aliquod carmen composuissent, antequam edebant aut publicabant, eruditissimum quemque ad audiendum vocarent, quibus scriptum ab auctore in erudito consessu ita prælegebatur, vt omnium fere ora vultusque obseruaret, & ex signis illorum colligeret, placeretne, an aliquid improbarent; de quorum sententia, (qui sæpe liberius admonebant, ad id quoque inuitati,) emendabat postea, quæ melius vel mollius exprimi posse censuerant. Mos sane saluberrimus, quo factum fuit, vt nihil in publicum exiret, nisi cura limatum, & de consilio eruditorum emendatum; qui si hodieque supereſſet, multæ ineptiæ, quæ quotidie vulgantur, prudenti huiusmodi consilio supprimerentur. Innumera exempla apud PLINIVM sunt in *epistolis:* sufficerint pauca nostræ breuitati. *Lib. I. epist.* 13: *magnum,* inquit, *prouentum poetarum hic annus attulit. Toto*

vel aliis, ad perlegendum ac corrigendum traderent, vel conuocatis eruditis viris recitarent ac prælegerent. Quæ laudanda consuetudo antiquissimo iam æuo floruit, vt hoc Pacuuii exemplum apud GELLIVM *lib. XIII. noct. Attic. cap.* 2. testatur, quippe cui Accius a se elaborata carmina prælegit. Sæpe eiusmodi recitationes publice coram populo, & quidem in theatris, odeis, basilicis, æde Apollinis Palatini cet. instituebantur; atque ab his eæ diuersæ erant, quæ, solum præsentibus amicis ac fautoribus, vel in ædibus priuatis, sæpe ad id conductis, vel splendidis mæcenatum aulis fiebant. De his recitationibus scriptores memoraui *diss. de ortu & progressu art. criticæ apud vet. Rom.* §. XIX. p. 43.

Landesbibliothek Oldenburg

menſe aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Vtilitatem rei demonſtrat *lib. V. epiſt.* 3: *has recitandi cauſſas ſequor: primum quod ipſe, qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis, auditorum reuerentia, intendit: deinde, quod, de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam a multis admonetur, &, ſi non admoneatur, quod quisque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis notis iudicium ab humanitate diſcernunt.* Quibus locus non erat auditoribus capiendis, domum mutuabantur, ſubſellia conducebant, vt *dialogo de orat. cap. IX.* obſeruatur; nec Mæcenates deerant, & ſtudiorum fautores, qui ædes ſuas honeſtiſſimis exercitationibus præberent.

§. XIII.

Hæc de ſtudiis in vrbe, f) quæ nec languebant in Italiæ coloniis ac municipiis. De Mediolano illuſtre exemplum habes apud PLINIVM *lib. IV. epiſt.*

f) De fatis reliquorum ſtudiorum ac diſciplinarum apud veteres Romanos hic diſputare, nimis longum foret. De ſtatu medicinæ Romanorum videantur: SAL. CELLARIVS *in originibus & antiquitatibus medicinæ*, & IO. HEINR. SCHVLZIVS *in hiſtoria medicinæ*, quæ, in breuem poſtea ſummam contracta, prodiit Halæ MDCCXLI. Reliquorum, qui hiſtoriæ medicinæ deſcribendæ operam dederunt, haud mentionem facio. De ſtudio arithmetico, geometrico, aſtronomico, aliisque diſciplinis, a Romanis cultis, vid. CONR. BVDDE *diſſ. de ſtudiis liberal. apud vet. Rom.* & præſertim IO. WOWERIVS ſupra laudato *tract. de polymathia.* De aſtronomia veterum ſingularem commentationem edidit COSTARDI, Londini MDCCXLV.

Landesbibliothek Oldenburg

epist. 13. vbi ita florebant studia liberaliora, vt id municipium, vel pars eius, *nouarum Athenarum* nomen acceperit. Vetus inscriptio apud GRVTERVM *p.* 177. *num.* 4. testimonio est: AQVÆ DVCTVM IN NOVIS ATHENIS COEPTVM &c. De Mediolano loquitur. Similem scholam Comi constitui PLINIVS *d. l.* accurauit. Quid de inferiore Italia dicam, quæ Magna Græcia appellabatur? Græcæ ibi disciplinæ a multis sæculis domicilium sedemque habuerant. Quæ causa fuit, vt Heracleenses, Tarentini, Rhegini, Neapolitani Archiam poetam ciuitate ceterisque præmiis donauerint, quia ingenio eius delectabantur. Pro quo TVLLIVS *cap. III.* ait: *erat Italia tunc plena Græcarum artium ac disciplinarum, studiaque hæc in Latio vehementius colebantur.*

SECT. III.

DE STVDIIS PROVINCIALIVM.

§. I.

NVNC tandem de prouinciarum studiis vt aliquid dicamus, instituti nostri ratione admonemur. Non autem eas nunc ciuitates inuademus, quæ studiis Græcis, etiam ante Romanorum tempora, vel imperium, excultæ fuerunt, vt Athenæ, Rhodus, Mitylene, Massilia erant, de quarum studiis nunquam dubitatum fuit, neque ab Romanis illa habuerunt, sed Romani ab illis sua. De Athenis, matre artium & litterarum in Europa, supersedeo dicere: de Asiaticis illis ciuitatibus, quæ so-

latium, propter eadem ſtudia, eruditorum exſulum erant, CICERONEM vide *lib. IV. epiſt. 7.* & *lib. VII. epiſt. 3.* SENECAM *ad Helv. cap. IX.* de Maſſilia Galliæ, Græca colonia, TACITVM *Agric. cap. IV.* qui *Græca comitate & prouinciali parſimonia miſtam ac bene compoſitam* laudat: ideoque malebant quidam eo liberos, vt ſedem ac magiſtram ſtudiorum haberent, quam Athenas mittere, quod minus heic corrumperentur tenelli animi, quam notiſſima Græcorum leuitate. Sed antiquas Græcorum ſtudiorum ſedes iam mittimus, Romanorum gloriæ intenti vnice, vt oſtendamus, in quibus barbaris regionibus cultum litterarum excitauerint, eoque feros hominum mores ad mitiorem vitam traduxerint & veram humanitatem.

§. II.

Hiſpania, Gallia, Britannia, Africa hæ prouinciæ ſunt, in quas potiſſimum litterariæ Romanorum coloniæ deductæ ſunt. Sertorius, C. Marii miles, prudentior ſuo duce fuit, &, quum Hiſpaniæ imperium adfectaret, plurimasque eius ſibi regiones ſubieciſſet, vt conſtantius feliciusque imperaret, *Oſcæ*, quæ ampla ciuitas ſub Pyrenæis eſt, magiſtris conſtitutis, nobilium filios Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς μαθήμασι, *Græcis & Romanis*, vt PLVTARCHVS refert in illius *vita*, erudiri *litteris* curauit. Oppreſſo Sertorio, haud dubie & ſchola illius exſpirauit; nec vero nulla ſemina litterarum in Hiſpanis relicta fuerunt. Inde a Scipionum temporibus coloniæ in illam deductæ ſunt, & Romano more in vrbibus prouinciales, Romanis colonis per-

permisti, viuere cœperunt. Tarraconem intelligo, & Italicam, & Hispalim cum Corduba, & huius quoque instituti alias. Sub idem tempus, quum Q. Metellus Pius contra Sertorium bellum gessisset, *poetas* Hispanos fuisse, *Cordubæ natos*, qui *pingue quiddam sonarent atque peregrinum*, hoc est, aliquid solœci vel Græcis vel Latinis carminibus miscerent, CICERO auctor est *pro Archia*, quod argumento sit, non sine scholis fuisse Bœticam, aut sine cultu litterarum, licet, vt fieri solet in tam remotis locis a metropoli, non sincere colerentur. Sed hæc facies antiqua erat: pulchrior sub Augusto, tot nouis coloniis in eam deductis, & veteribus in melius cultiusque reformatis, ex quo tempore Corduba etiam ingeniorum mater facta, vt LVCANVS & vterque SENECA, ad omnem elegantiam eruditi alumni, testimonio sunt luculento. Emeritenses, Cæsaraugustanos, Tarraconenses, Italicenses, e quibus Traianus fuit, Calagurritanos aliosque nunc missos facimus.

§. III.

In Galliam per Pyrenæos saltus transcendimus. Ausonius poeta in *professoribus* suam patriam *Burdegalam* commendat, eiusque rhetoras & eximios grammaticos laudat nominatim. Idem *gratiarum actione ad Gratianum municipales scholas* collaudat, Lugdunensem & Visuntionensem, tantumque in augusto discipulo profecit, vt Antonio, prætorii per Gallias præfecto, ediceret, quo *per omnem diœcesim commissam magnificentiæ* eius *frequentissimis in ciuitatibus, quæ pollent & eminent, claritudine*

dine præceptorum optimi quique erudiendæ præsideant iuuentuti, quos ipse explicatius vocat *rhetores & grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ*, *lege XI. cod. Theod. de medicis & professorib.* vnde etiam priora illa adducta verba sunt. Maxime vero Aeduorum in litteras amor præ ceterorum studio est dignus, qui laudetur. Horum in primaria vrbe, cui *Augustoduno* nomen est, tantus honor litteris fuit habitus, vt Mœniana ædificia, in ipso ore ciuitatis ac transitu aduenientium inter augusta deorum templa, sacræ Musæ possiderent, quæ, quum communi Galliarum malo, Bagaudica rebellione, euersa fuissent; Eumenius, rhetoricæ professor a Constantio cæsare Constantini patre constitutus, pro instaurandis illis ad perfectissimum virum, Lugdunensis primæ præsidem, orationem luculentissimam habuit. Cuius argumentum vt magis eluceat, de successu studiorum in illa gente ipsam CONSTANTII sacram ad Eumenium *epistolam*, quia digna est vt ab omnibus intelligatur, adscribo: *merentur*, inquit, *& Galli nostri, vt eorum liberis, quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum susceperc comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cuius eloquentiam & grauitatem morum, ex actus nostri habemus administratione compertam. Saluo igi-*

tur

tur priuilegio dignitatis tuæ hortamur, vt professionem oratoriam repetas, atque in supra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, quum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem.

§. IV.

Durocortori quoque Remorum (nunc *Reims*) prouentus litterarum fuit adeo, vt Athenarum nomen, perinde ac Mediolanum, acceperit. CORNELIVS FRONTO, apud P. CONSENTIVM, vetustum grammaticum, *illæ*, inquit, *vestræ Athenæ Durocortoro*: nam & *Durocortoronem* inflectebant. Ad harum exemplum, extremas Galliarum ciuitates, Augustam Treuerorum, Argentoratum, Nemetum Vangionumque vrbes, Magontiacum, Agrippinensem Coloniam, institutas fuisse, quis dubitabit, non ignarus consuetudinis Romanæ? Idem censemus de Rhetorum colonia Augusta. In Germania autem hæc seges serius succreuit. Britanni feliciores fuerunt, eo sensim Romanorum consuetudine adducti, vt, *qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam*, fastigium doctrinæ, *concupiscerent*, postquam præsidium cura institutum fuerat, vt *principum filii liberalibus artibus erudirentur*. TACITVS *in Agricola cap. XXI.* auctor est.

§. V.

§. V.

Sicilia antiquitus Græcas vrbes habebat, & Græca vtebatur dialecto. Romanis ſubiecta didicit etiam Latine, & Romanam exercuit eloquentiam. Valerius ibi Licinianus, vir prætorius, a Domitiano relegatus, rhetor de oratore, cum auſpicaretur profiteri, *Latine*, inquit, *declamaturus ſum.* PLINIVM vide *lib. IV. epiſt.* II. In Aſiam quoque, quamlibet Græcis ſtudiis adfluentem, Latini rhetores acciti, vt Diocletiani iuſſu Lactantius Nicomediam, qui in principis ſede *oratorias litteras*, quod ipſe dicit *lib. V. cap.* 2. *doceret.* Nec Africa, Romanis ſubdita, expers litterarum erat. Punicæ ſuæ linguæ Latinam addidit, quam vsque ad eloquentiæ nitorem excolebat. Nec tantum Carthagine, proconſulis ſede, illæ litteræ docebantur; ſed Madauris etiam, & in vtroque Hippone, aliisque in coloniis. Teſtis Auguſtinus, ex Thebaſte in vicinam vrbem Madaura miſſus, *litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ* cauſſa, quia Carthaginienſis peregrinatio longinquior erat a patria. Vide *lib. II. confeſſ. cap.* 3. O felicem terram, in qua ſtudia litterarum percoluntur! feliciorem, in qua illa non *obliuione moris antiqui*, ſed imitatione Romanorum exercentur.

LIB.

Landesbibliothek Oldenburg

LIB. VIII.
DE ROMA LVDIBVNDA.

SECT. I.
DE LVDIS GENERATIM.

CAP. I.
DE CAVSSA LVDORVM.

§. I.

LVDIS & certaminibus quam maxime Romani delectabantur; nec tantum voluptatis causſa illos celebrabant, verum etiam ad placandos, vt putabant, deos. g) CICERO *orat. III.*

g) Ludi variis ex cauſſis a Romanis inſtituti ſunt, quarum hæ potiſſimæ fuerunt: 1) *ad placanda* videlicet *numina* atque ad auertendam eorum iram fauoremque ſibi conciliandum, vt TACITVS *lib. XIV. annal. cap.* 23. teſtatur; 2) *in honorem defunctorum hominum*, qua de re IAC. GVTHERIVS *de vet. iur. pontif. lib. III. cap.* 18. videndus eſt; 3) *ad gratiam beneuolentiamque populi adquirendam.* Noui enim magiſtratus ſub muneris ſui auſpiciis magnis ſumtibus ludos populo dare ſolebant, vt eius fauorem ſibi conciliarent. Supra iam obſeruaui, multos conſules, depoſitis faſcibus, ob hos editos ludos in paupertate ſumma viuere debuiſſe, quoniam ex priuatis ſumtibus a magiſtratibus inſtitui ſolebant. Auguſti tempore hoc ita in vſu fuit, vt nemo honeſtiorem in republica prouinciam adgrederetur, quin magnam opum ſuarum partem ſpectaculis conſecraret, ita, vt Auguſtus luxum hunc coercere eique obuiam ire neceſſarium duxerit. Et, quoniam ex ambi-

III. Catil. cap. 8: *tunc & ludi decem per dies facti sunt; neque res vlla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est;* & CENSORINVS *de natali die cap. X: ludi scenici placandorum deorum caussa instituti sunt.* Adde VALERIVM MAXIM. *lib. II. cap.* 4. §. 1.

§. II.

Originem ostendit LIVIVS *lib. VII. cap.* 2. in pestilentis anni descriptione: *ludi quoque*, inquit, *scenici noua res bellicoso populo inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur.*

Cap. II.

DE DIVERSITATE LVDORVM.

§. I.

VARII generis erant ludi. h) Antiquissimi Romani sub regibus etiam vsitati, de quibus ad EVTROPII *Romulum* diximus. Quos FLORVS *lib. I. cap.* 1. vocat *ludos equestres.* His proximi erant *circenses* in circo maximo curru acti. De scenicorum origine modo diximus ex LIVIO.

§. II.

bitione a magistratibus exhiberi solebant, & alter alterum ludorum magnificentia superare studebat, ludi isti *honorarii* dicti sunt, vt recte locum SVETONII *vit. Aug. cap. LII.* ISAAC. CASAVBONVS interpretatur: adde EZECH. SPANHEMIVM *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 150.

h) Ludi, si formam spectes, in *circenses*, *gladiatorios* & *scenicos*: si tempus, in *statos*, *votiuos* & *extraordinarios*: si vero modum, in *publicos* & *priuatos* diuidi possunt.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Fuerunt etiam *venationum* ludi in amphitheatro haberi soliti, vbi cum beluis, in Italia minus cognitis, sed ex Africa & Asia adductis, certatum fuit in populi oblectationem. Erat & *naumachia*, simulacrum naualis pugnæ.

§. III.

Omnium autem clarissimi ludi & celebratissimi erant *gladiatorii*, ad quos sæpissime etiam a CICERONE & scriptoribus aliis adluditur, ideoque curatius nobis, quam ceteri tractandi erunt.

§. IV.

Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro salute ciuitatis, aut ad demerendam populi gratiam instituebantur; alii *priuati*, quibus priuatim & inter amicos erant dediti.

§. V.

De publicis hoc loco agendum est, quorum varia fuerunt genera. Nos præcipua tantum & ea seligemus, quæ ad intelligendos scriptores, qui in iuuenum manibus sunt, maxime facere videntur. Et tales quidem sunt, quos proprie *ludos Romanos* vocabant & *circenses*: porro ludi *scenici*, *gladiatorii*, *venationum* & *naumachiæ*.

SECT. II.
DE LVDIS SPECIALIBVS.

CAP. I.
DE LVDIS CIRCENSIBVS.

§. I.

ROMANI ludi κατ' ἐξοχὴν ita dicti sunt ipsi circen-

censes in circo maximo celebrati, quorum auctor fuit Tarquinius Priscus, qui circum condidit. Vid. LIVIVM *lib. I. cap.* 35. & adde ASCONIVM *in proœm. Verrin. p.* 57. secundum quos ludi Romani & magni & circenses iidem fuerunt. Habuit & Romulus ludos, sed rudiores & sine circo. i) Circus autem hic *maximus* intelligitur, quod cognomen sæpe additur, vt ab aliis circis, Flaminio, Apollinari, distinguatur. k)

§. II.

i) Ipsi tamen circenses ludi a Romulo in honorem Dei Consi instituti sunt, per occasionem a Sabinorum vxoribus raptis datam. In Campo Martio primum celebrati esse videntur. *Circensium* nomen a Tarquinii Prisci tempore nacti sunt, qui circum Romæ ædificavit. In eo enim postmodum semper instituti sunt.

k) Circus maximus, qui & *stadium* ac *vallis Murtia* dictus est, in XI. vrbis regione positus fuit, & sibi inter splendida veteris Romæ ædificia publica principem vindicauit locum. Eius forma circularis oblonga fuit, ita, vt longitudo secundum DIONYSIVM *Halicarnassæum lib. III.* p. 200. trium stadiorum cum dimidio, latitudo vero vnius stadii esset; qua in re PLINIVS *lib. XXXVI. cap.* 15. a Dionysio dissentit, & tria tantum stadia longitudinem habuisse prodit, sine dubio autem interius tantum circi spatium sine ædificiis definire atque exprimere voluit. Quot hominum millia ceperit circus, de eo itidem non conueniunt, quum PLINIVS millia ducenta & sexaginta, VITRVVIVS vero trecenta & octoginta quinque millia in illo locum habuisse adfirmant. Circum eius aream *sedilia* fuerunt, siue gradus; quos ab initio quilibet sibi exstruebat, quum ante Romani ludos spectarent stantes in tabulatis, quæ furcis suspendebantur. Postea sub Tarquinio superbo lignea & sequenti tempore ab aliis lateritia ac denique mar-

§. II.

Numerus dierum olim incertus, & vel vno die Romani ludi apud LIVIVM leguntur instaurati

marmorea sedilia facta sunt. Sedes has, quæ *fori* dicebantur, tectis instruxit Tarquinius superbus, quum ante hunc sub libero essent cælo. DIONYSIVS *Halicarnassæus* sibi contradicere videtur, quando alio loco Tarquinio superbo, alio vero Tarquinio Prisco hanc tectorum structuram vindicat; probabile autem est, Superbum tecta solum perfeciſſe, quæ Priscus inchoata reliquerat: conf. IO. GEORG. GRÆVIVM *præf. ad tom. IX. thes. ant. Rom.* Iulius Cæsar circum triplici porticuum ordine exornauit, vt veteres scriptores testantur. Præterea obseruandum est, circum hunc pariter ac reliquos vias habuisse ac semitas, per quas spectatores in circum admitti ac dimitti potuerunt. Circus habebat quatuor vias latiores, a quatuor mundi cardinibus; sed præter has plurimæ angustiores in eo fuerunt, quæ in priscis auctoribus *semitæ*, *viæ* ac *lineæ* dicuntur. Sedes in circo separatas nec senatores ante Claudium, nec equites ante Neronem habuerunt. Immo ne principi quidem ante hos imperatores locus a ceteris distinctus concessus fuisse videtur. Quapropter Augustus, auctore SVETONIO *vit.* eius, *cap. XLV.* vt se a ceteris spectantibus distingueret & maiestatem quamdam proderet, e puluinari spectauit, id est, ex ea circi parte, vbi deorum simulacra, quæ magna cum pompa circum metas portabantur, collocari solebant. Vbi vero & in qua circi parte is locus fuerit, de eo veteres nihil perhibent. Interdum idem princeps, vt inuidiam aliorum a se amoueret, e cœnaculis amicorum aut libertorum ludos spectauit, narrante hoc itidem SVETONIO *loco excitato;* dubium vero est, de quibus cœnaculis auctor hic loquatur: num eorum quoddam genus in ipso circo extiterit; an ea fuerint cœnacula, quæ in proximis circo

lib. XXV. cap. 2. *lib. XXX. cap.* 26. Ciceronis ætate quatriduum his dabatur, *orat. Phil. II. cap.* 43: *neſcis*,

co ædibus ſuperiori tecti parti imponi ſolebant. Poſterius vel ideo probabile non videtur, quoniam vix commode ex illis ludi, in circo editi, videri potuerunt: vid. IS. CASAVBONVM *not. ad Sueton.* p. 202.

Altera circi extremitas hemicycli ſpeciem habebat; altera vero recta, nec curuata erat. In vtraque circi huius parte ingens fuiſſe oſtium, refert PANVINIVS, atque addit, in vnoquoque latere illius oſtii, quod in extremitate circi rectilinea erat, itidem ſex minora exſtitiſſe oſtia, ex quibus equi emitterentur; ſed de illo oſtio, quod in illa circi parte, hemicycli formam habente, fuiſſe perhibet, & vbi vltimæ metæ erant, circa quas agitatores currum flectebant, omnes ſilent ſcriptores. Portæ minores dicebantur *carceres*, quoniam in iis equi detinebantur, ne ante iuſtum tempus currere inciperent. Clauſæ erant obicibus, ac, quamprimum ſignum dabatur, artificio ſingulari omnes aperiebantur. Ne aurigæ etiam ante tempus ſtatutum ſe in circum effunderent, *alba linea* ducta fuit, ſiue ſulcus transuerſus, ſolo impreſſus, creta, aut eius loco, calce repletus, &, ne ante iuſtum tempus aurigæ tranſilirent lineam, adſtabant *moratores*, ſiue ii, qui obſeruabant, ne lineam ſupergrederentur aurigæ. Eorum & in inſcriptionibus fit mentio, vt ex GRVTERO p. CCCXXXIX. *inſcript.* 3. & 5. patet. Ne feræ erumperent ac nocerent, area circi non ſolum clauſtris munita, ſed etiam *Euripo*, ſiue foſſa decemnum pedum altitudinis & latitudinis circumdata erat; in qua non ſolum crocodili aliaque animalia occidi, ſed & pugnæ nauales edi ſolebant, quæ a certaminibus naualibus diſtingui debent. In medio circi murus fuit, XII. pedes latus, qui eum quaſi ſecabat ac diuidebat. In muri huius vtroque latere erant tres columnæ, in medio vero obeliſcus, ab

Au-

neſcis, heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? Te ipſum autem (Antonium) *ad populum tuliſſe, vt quintus præterea dies Cæſari tribueretur.* Plures poſtea videntur adiecti, quia PLINIVS *lib. IX. epiſt. 6. num.* I. *omne hoc tempus* dicit, quo ſane plures dies ſignificantur. Cetera de his ludis habes in eleganti exemplo PLINII *lib. IX. epiſt. 6.* quæ certamina illa factionum, a coloribus panni ſumta, non quidem plene deſcribit, tamen attingit; quæ plenius explanat TERTVLLIANVS *de ſpectaculis cap. IX. ſeqq.* qui & *cap. VIII.* idololatriam circi deſcripſit, ideoque in *apologetico cap. XXXVIII. inſaniam circi* dixit: *nihil*, inquit, *eſt nobis cum inſania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ.*

§. III.

Modus currendi ſepties circa metam, vt tamen

Auguſto poſitus & ex Aegypto Romam delatus, cui alius vltra dimidium fere minor adſtabat. Circa partem circi exteriorem porticus erat, in cuius inferiori parte tabernæ atque officinæ, mercibus exponendis aptæ, in ſuperiori cellæ erant, per quas aditus in circum patebat. Circus hic, in fatali illo Neroniano vrbis incendio conſumtus, aut a Domitiano aut a Veſpaſiano reſtitutus eſt. De eo commentati ſunt præter eos, qui vrbem Romam eiusque ædificia deſcripſerunt, NARDINVM, BORRICHIVM, MARLIANVM, FAVNVM & PANCIROLLVM, IVL. CÆS. BVLENGERVS *de circo:* CLAVD. SALMASIVS *exerc. Plinian.* p. 633. ſeq. MARC. VELSERVS p. 402. *operum*, aliique, quos laudant SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. I.* p. 441. & IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu. cap. XXII.* p. 642. PHIL. RVBENIVS *lib. I. elector. cap.* 30. obſeruat, dextram circi partem ſiniſtra latiorem fuiſſe.

Landesbibliothek Oldenburg

non offenderent ad ipsam, vel ex HORATIO *lib. I. od. carm.* 1. intelligi potest, qui originis quidem caussa *olympicorum* meminit; magis tamen circenses intelligit Romanos.

§. IV.

Locus in circo septus, vnde currus emittebatur, dictus est *carcer*, siue plurali numero *carceres*. VIRGILIVS *georg. III. v.* 104:

- - - ruuntque effusi carcere currus.

Et STATIVS *lib. VI. Thebaid. v.* 522:

Ceu modo carceribus dimissus in arua solutis.

§. V.

Vanitatem circensium ex indicata PLINII *epistola* cognosces. *Miror*, inquit, *tot millia virorum tam pueriliter idemtidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc fauent panno, pannum amant. Pannum* dicit tunicam, ex panno certi coloris factam, quo in quatuor factiones, qui circensibus certabant, diuidebantur. Factiones a coloribus dictæ: *veneta, prasina, alba, russata*, & secundum has etiam studia populi diuidebantur, & sæpe mordicus inter se de fauore factionum decertabant. 1)

Exem-

1) Duæ tantum aurigarum societates, vestium coloribus distinctæ, fuerunt; quæ vero postea ad quatuor, a Domitiano vero ad sex redactæ sunt: vid. IAC. SPONIVM *miscell. erudit. antiquit.* p. 65. ONVPHR. PANVINIVM *de ludis circens. lib. I. cap.* 10. 10. AVG. BVCHNERVM *not. ad Plin. lib. I. epist.* 10. Color prasinus, siue

Exempla circensium sunt apud SVETONIVM in *Iulio cap. XXXIX. Caligula cap. XVIII. & Nerone*

 cap.

siue viridis, terræ ac Cereri: color cæruleus aquæ & Neptuno: russatus igni; albus vero aëri consecratus erat, atque inde quatuor illæ agitatorum principes factiones ortæ sunt. Sæpe factionum harum in inscriptionibus facta est mentio, vti apud GRVTERVM p. CCCXXXVII. legitur: AGITATOR FACTIONIS RVSSATÆ, & ibidem: AGITAVIT IN FACTIONE PRASINA, ac paullo inferius: EPAPHRODITVS FACTIONIS VENETÆ: p. CCCXXXVIII. *num.* I. AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ, & *num.* 3. CL. AVRELIO POLYPHEMO DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS RVSSATÆ: p. CCCXXXIX. *num.* I. MEDICVS FACTIONIS RVSSAT. vbi aliæ plures huc pertinentes inscriptiones suppeditantur. Istæ factiones populum vniuersum in varias trahebant partes, quum alter huic, alter alii factioni faueret, id quod multarum contentionum, immo & seditionum, dedit occasionem; conf. LEVINVM TORRENTIVM & PHIL. BEROALDVM *not. ad Sueton. vit. Neronis cap. V.* p. 572. aliosque a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar.* p. 642. & SAM. PITISCO *lex. ant. rom. tom. II.* p. 128. laudatos. Quælibet harum factionum suum præfectum, qui *magister factionis* dicebatur, habuit, qua de re ONVPHR. PANVINIVS *de lud. circens. lib. I. cap.* 2. & IVL. CÆS. BVLENGERVS *de circo cap. XLIV.* legendi sunt. Anteaquam quadrigæ committebantur, signum dari solebat per *mappam* a consule, nonnumquam etiam a prætore ac dictatore, & postea ab imperatoribus, qui vel ipsi signum dabant, vel *liberto mapparii*, inde nomen habenti, hoc committebant. Antiquissimis iam temporibus vsitatum

fuit,

cap. XI. Factionum autem exempla apud eumdem in *Domitiano cap. VII. Vitellio cap. XIV. Caligula*

fuit, quadrigis signum currendi dare, quemadmodum in *annalibus* ENNIVS obseruat apud CICERONEM *lib. I. de diuinat. cap.* 48:

- - - at Romulus pulcer in alto
Quærit Auentino seruans genus altiuolantum
Certabant, vrbem Romam, Remamque vocarent.
Omnis cura viris, vter esset induperator,
Exspectant, veluti consul, quum mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,
Qua mox emittat pictis ex faucibus currus.

Signum hoc antiquitus per accensam facem exhibitum esse, ex SOLINO *cap. XLV.* colligitur. Errant, qui Neronem mappæ huius, in circensibus ludis vsitatæ, primum inuentorem atque auctorem fuisse statuunt. Is, quemadmodum CASSIODORVS *lib. III. varior. epist.* 57. p. 223. refert, quum in prandio esset; populus vero signum ab ipso dari, vrgeret, mappam, qua abluendis purgandisque manibus vtebatur, per fenestram abiici iussit, eaque ludorum incipiendorum signum dedit. Ex hoc facto ipse CASSIODORVS colligit, consuetudinem esse enatam, mappa quadrigis signum faciendi; id quod vero minime sequitur. Nero enim mappam prandii emisit, quum antea mappis, pictis & artificioso figurarum ornamento instructis, vterentur Romani. Mappa hæc ex fornicatis cameris, quæ carceribus atque ostiis impositæ erant, mittebatur; antea vero, quam id fiebat, aliud dabatur signum, cuius ope omnium spectatorum oculi ad mappam mittendam vertebantur. Eiusmodi mappa itidem vtebantur, vt per eius agitationem bestias irritarent ac ferociores redderent. Victori, in præmii signum, ea donari solebat. Plura de hac mappa eiusque in ludis circensibus vsu suppeditant: ONVPHRIVS PANVINIVS *de ludis circens.*

gula cap. LV. PLINIVM *lib. VII. cap.* 53. &

 lib.

cenſ. lib. I. cap. 14. IO. ARGELVS *not. ad eundem:* IVL. CÆS. BVLENGERVS *de circ. cap. XVI.* CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plinian.* p. 516. SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 769. Mappam hanc circenſem in nummis obſeruauit ANT. PAGIVS *critic. ad annal. Baron. ad ann. CCCXCIV.* Veterem mappæ miſſæ iconem exhibet PHILIPPVS RVBENIVS *lib. I. elect. cap.* 30. Simulac per mappam ſignum datum, ac catenula Hermulorum, ante currus extenſa, ſoluta fuit, currus ſumma alacritate, concitatis equis, ſeſe in circum effundebant, a dextra parte circi circum metas arctiſſime ſiniſtram verſus, &, qui primus curriculum ſepties abſoluerat, is voce præconis victor publice declarabatur præmiumque accipiebat. De metis, ſiue turriculis tribus in vna baſi, deque ſeptem aliis turriculis cum ſphæris eorum IOH. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. IX. theſ. ant. Rom.* ita loquitur: *in parte circi extrema in hemicyclum deſinentis metæ tantum erant, ſcu turriculæ tres in vna baſi, & præterea ſeptem aliæ turriculæ, quæ aut erant oualis formæ, aut ſphæras oualis formæ verticibus habebant impoſitas, quæ ad denotanda ſpatia, quod confecerant aurigæ, erigebantur, vt, ſi bis emenſi eſſent circum, duæ conſpicerentur, ſi ter, tres. Quum ſeptimum ſpatium conficeretur, & auriga primus circa metam currum egiſſet, ſeptem oua ſtabant conſtituta in omnium oculis, vt tam ſpectatoribus quam quadrigariis innoteſceret, miſſum hunc eſſe peractum, quia ſeptem ſpatia emenſi erant aurigæ. Super iſta oua erant delphini, vt hoc tempore in turrium ſphæris adiectæ ſunt cruces, galli, & aliorum animalium formæ. Inde columnæ illæ, in quibus erant oua & delphines, dicebantur delphines.* IVVEN. *ſat. VI:*

Quæ nudis longum oſtendit ceruicibus aurum,
Conſulit ante falas, delphinorumque columnas.

Fa-

lib. VIII. cap. 42. & in *multis inscriptionibus.* m)

CAP.

Falæ illæ & delphinorum columnæ sunt illæ turriculæ, seu columnæ, quas DIO *lib. XIX. non longe à fine vocat* δελφῖνας καὶ ᾠειδῆ δημιουργήματα, *delphinas & oualia opera posita ab Agrippa: quæ sic intelligenda puto, quum ouorum circensium ante Agrippam meminerint Varro aliique, ab Agrippa delphines additos fuisse structuris oualibus; siue fuerit earum forma oblonga instar oui, siue super oua lignea columnarum fastigiis inhærentia impositi præterea fuerint delphines, quod verius puto. Nam delphinorum nemo meminit ante Augusti tempora.*

m) Auctor noster vnum tantum ludorum circensium genus hic commemorauit; quoniam vero plura genera eorum erant, reliqua addenda sunt. Etenim præter cursum, de quo verba fecimus, habuerunt in ludis circensibus Romani:

1) *Certamina gymnica*, siue *athletica*, quorum iterum variæ exstiterunt species. Obseruandæ ex illis sunt: 1) *Cursus certamen*, quo cursores se eadem ratione exercebant, quæ in curruum ac equorum cursu, iam explicato, vsitata erat. 2) *Pugilatio*, vbi chirothecis, ex corio ac insuto plumbo compositis, inter se dimicabant. Chirothecæ eiusmodi *cæstus* nominabantur. 3) *Lucta*, quum luctatores nudi, oleo vncti, & puluere conspersi, ac sese brachiis complicantes, alter alterum in terram prosternere tentarent. Locus, vbi luctatores vires suas experiebantur, *palæstra* dicitur. Nec hyeme id intermittebatur corporis exercitium, & locus, vbi id fiebat, tectus erat, ac *xysti* nomen habebat. 4) *Saltus*. Vti enim cursu, sic & saltu Romani se exercebant, &, sumto in manibus plumbo, ab vno loco, qui *limen* dicebatur, ad metam sibi fixam, moto per aerem corpore, salire solebant. Plura de hoc argumento disserit IO. HENR. SCHVLZIVS *obs. ad rem athletic. pertinent.*

Cap. II.

DE LVDIS SCENICIS.

§. I.

Hi ludi sunt vel *comœdiæ*, vel *tragœdiæ*. A Græcis

tinent. p. 13. seq. 5) *Disci iactus.* Discus ipse vel lapideus, vel ferreus, vel æneus fuit, & quatuor digitorum latitudinem ac vnius pedis longitudinem habuit. Hunc vel ex sola manu, vel ope laquei, per medium eius foramen ducti, in altum proiiciebant, vt in iaculando sibi facultatem adquirerent. Eiusmodi ludorum genera *athletica* siue *gymnica* a veteribus dicta sunt. Copiosius de istis exposuerunt: ONVPHR. PANVINIVS *de ludis circens.* HIERON. MERCVRIALIS & PETR. FABER *libris de arte gymnastica:* PLATTNERVS *diss. de arte gymnastica veterum:* IAC. LYDIVS *in agonisticis sacris*, quibus ex antiquitatibus athleticis multa illustria tabularum sacrarum loca illustrat: OCTAVIVS FALCONERIVS *in inscriptionibus athleticis*, Romæ MDCLXVIII. editis & in *tomum VIII. thes. ant. Græc. Gronouiani* p. 2290. translatis: IO. BIRCHERODIVS *exercit. de ludis gymnicis:* LAVR. IOVBERTVS *de gymnasiis & generibus exercitationum, tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani*, & IO. HENR. SCHVLZIVS *obs. ad rem athletic. pertinent.* Hal. MDCCXXXVII. Alios consulto prætereo.

II) *Ludus Troiæ.* Institutus is est a pueris nobilibus, qui turmatim in equis discurrebant, & adcurate descriptus a VIRGILIO *lib. V. Aeneid.* v. 561. Conf. HERM. HVGONEM *de militia equestr. lib. III. cap.* I. ONVPHR. PANVINIVM *de ludis circens. lib. II. cap.* 9. p. 422. IO. VIGNOLIVM *diss. de columna Antonini Pii*, Rom. MDCCV. edita, *cap. IX.* & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 75.

III) *Ve-*

cis originem habebant, quorum noti sunt comici tragicique poetæ. Apud Romanos autem eo anno re-

III) *Venationes*, de quibus ipse auctor noster, quantum ad institutum hoc pertinet, disputauit sequenti *cap. IV.* Prima ferarum pugna populo data est anno vrbis conditæ DII. L. Cæcilio Metello & C. Furio Pacilo consulibus. Cæsar dictator, auctore PLINIO, CCCC. leonum pugnam exhibuit, qui & primus *Camelopardalim* Romæ eodem tempore in pugnam introduxit. Legas DIONEM CASSIVM *lib. XLIII.* p. 225.

IV) *Pugna equestris & pedestris*, qua, castris in circo positis, imaginem ac speciem veri belli exhibebant Romani. SVETONIVS *vit. Cæs. cap. XXXIX.* §. 7: *venationes editæ per dies quinque, ac nouissime pugna diuisa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus, hinc & inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex aduerso constituta erant.* Et *vit. Domitian. cap. IV.* §. 1: *spectacula assidue magnifica & sumtuosa edidit: non in amphitheatro modo, verum & in circo, vbi præter sollemnes bigarum quadrigarumque cursus, prælium duplex etiam equestre ac pedestre commisit.* De Cæsare hoc quoque DIO *lib. XLIII.* p. 225. ita testatur: *viros alios Caesar singularibus certaminibus, vt Romæ erat consuetudinis, commisit: alios plures simul in circo, equites equitibus, peditibusque pedites, aliosque promiscue æquali vtrimque numero: erant enim quadraginta viri, qui ab elephantis pugnarent.* Iam ante imperatores hanc pugnam apud Romanos in vsu fuisse, ex his LIVII verbis cognoscimus, *lib. XLIV. cap.* 9: *iuuenes quidam Romani, ludicro circenſi ad vsum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta, bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera, nec semel quadrigis, sed desultore misso, vix vni-*

us

recepti sunt, quo primus consul ex plebe creatus. LIVIVS *lib. VII. cap.* 2.

§. II.

Comœdia duplex erat, vetus & noua, sic apud Græcos Romanosque distincta. CICERO *de offic. lib.*

us horæ tempus vtrumque circulum complebat. Inter cetera sexageni ferme iuuenes, interdum plures, ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. Horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum vsum.

V) *Naumachia*, de qua ipse auctor noster cap. V. consulendus est. Ei addenda sunt, quæ de hoc certamine FRANC. MODIVS *de triumphis, ludis & spectaculis veterum, lib. II. cap.* 19. *tom. IX. thes. ant. Rom. Graec. Gronouiani* p. 961. IO. SCHEFFERVS *de militia nauali lib. III. cap.* 2. GVID. PANCIROLLVS *de reb. deperd. & inuent.* p. 186. aliique exponunt. Cæsar pugnam naualem in Campo Martio, effossa terra & aqua immissa, dedit. Postea eiusmodi naumachiæ in circos, immo & in amphitheatra translatæ sunt, cum magno ac splendido adparatu ac eximiis sumtibus. Videbantur sæpe in illis pretiosæ tritonum, belluarum aquatilium, monstrorum marinorum ac nympharum imagines. Magnarum nauium copia in illa aquis repleta loca introducebatur, quæ inter se dimicarent, vt milites non solum in pugna nauali exercitatiores redderentur, sed & populus, qui summa aderat frequentia, iucundum certaminis spectaculum haberet. Lacus prope Tiberim, vbi primum eiusmodi pugnæ nauales exhibebantur, ab initio sine vllo fuit ornatu, postmodum & lateribus exstrui, trabibus ligneis muniri, ac sedilibus in theatrorum morem exornari cœpit: vid. SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 1016. Naumachiæ veteris effigiem exhibet ONVPHR. PANVINIVS *de ludis circens. lib. II. cap.* II.

Landesbibliothek Oldenburg

lib. I. illam antiquam *Atticorum comœdiam* vocat. HORATIVS *lib. I. satir. 4. v. 2. priscam.* Hæc licentior erat atque dicacior, vitia perstringens acerbius; vt tamen parum modeste, aut pudice illa descripserit. Cuius generis apud Græcos fuit Aristophanes, apud Latinos Lucinius & ex parte Plautus.

§. III.

Nouæ comœdiæ auctor fuit Menander, apud Latinos Terentius, atque hæc modestior erat atque elegantior. Sæpe tamen aliquid ex antiqua admixtum fuit, quod vocabant *Atellanum exordium.* Vid. LIVIVM *lib. VII. cap.* 2. SVETONIVM *Tiberio cap. XLV.* & alio loco de Atellana comœdia, & Atellanis histrionibus, qui dicaciores erant, nec non impudentiores. Vid. in *Caligula cap. XXVII.* in *Nerone cap. XXXIX.*

§. IV.

Locus erat theatrum, distinctum forma ab amphitheatro. n) Plura theatra ab auctoribus nominatim

n) Pauca de forma ac partibus theatrorum atque amphitheatrorum dicenda sunt. Theatra ab amphitheatris secundum formam distincta fuerunt. Theatrum hemicycli fere figuram repræsentauit; ita tamen, vt amplius diametri quarta parte esset. Amphitheatra enim non circuli, sed oui formam habuerunt; theatra vero dimidia quasi amphitheatrorum pars erant, ideo & paullo longiora ac productiora latera iis dabantur, quæ vltra hemicycli formam protendebantur: conf. IVST. LIPSIVS *de amphitheatro cap. VIII.* p. 1011. Antiqua ætate Roma verum theatrorum vsum ignorauit, sed steterunt spectatores, qui ad ludos videndos confluxerant.

minatim distincta, vt Pompeii, apud SVETONIVM *in Augusto cap. XXXI.* Marcelli, qui Augusti sororis

xerant. Postea lignea exstruebantur theatra, subitario opere ita confecta, vt non in perpetuum adhiberentur vsum, sed iterum disiicerentur, censorum potissimum auctoritate & iussu, qui probos mores ab eiusmodi fabricis corrumpi iisque damnum inferri existimarunt. Hanc sententiam & alii de theatris tulerunt, eaque improbarunt, nec filiis ista frequentare permiserunt, quum omnis fere petulantia in theatris Romanorum sedem suam ac domicilium sibi constituisset: conf. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Sueton.* p. 202. Ex quo & ratio patet, cur iis liberis, quibus facultas, ludos spectandi, data erat, pædagogi comites dati fuerint, qui moribus illorum præessent, & coram quibus nihil turpe dictu aut factu fieri deberet. Postea, corruptis ciuitatis moribus, ipsi censores theatra ædificare haud dubitarunt, quemadmodum anno vrbis DXCIX. a M. Valerio Messala & C. Cassio censoribus factum est, testibus VALERIO MAXIMO *lib. II. cap.* 4. §. 2. & VELLEIO PATERCVLO, qui & obseruat, istud ab his censoribus exstructum theatrum a Scipione Nasica euersum esse. Idem & epitomator LIVII *lib. XLVIII.* testatur: *quum locatum a censoribus*, inquit, *theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tamquam inutile & nociturum publicis moribus, & senatusconsulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectauit.* Primus Pompeius fuit, qui Romæ perpetuum theatrum ex lapide quadrato exstruebat, ac in campo Floræ & quidem illo spatio, quod inter hunc campum & viam clauariam interiectum est, ponebat, vt expresse vestigia nonnulla, quæ Romæ hodie visuntur, significant. Multa ornamenta hoc theatrum habuit: pictas imagines, effigies gentium, aliaque, quæ splendorem eius maxime augebant. *Nero*, auctore PLINIO

lib.

roris filius est, cap. XXIX. Scauri, apud PLINIVM *lib. XXXVI. cap.* 15. Curionis, *epist.* 2.

COE-

lib. XXXIII. cap. 3: *id operuit auro in vnum diem, quod Tyridati regi Armeniæ ostenderet*, quod & XIPHILINVS *lib. LXXIII.* p. 718. his testatur verbis: *totum theatrum intus cum scena inaurauit Nero, auro etiam ornatis, quæ intromittebantur, extensis supra, velis, quæ stellis aureis distinguebantur;* vtriusque autem scriptoris verba non de toto theatro, sed de insignioribus eius partibus ac præcipuis ornamentis laterum interpretanda esse videntur. Sub Tiberio id exarsit; eius tamen instauratio sub eodem incepta; sub Caligula autem absoluta est, vt SVETONIVM eius *vit. cap. XXI.* testem habemus. Idem & a Tito, Philippo ac Theodorico rege susceptum est, postquam id variis vicibus igne consumtum ac vetustate collapsum fuerat. Præter Pompeii theatrum multa alia ab imperatoribus condita Romæ fuerunt, vt theatra Balbi, Marcelli, Scauri, Statilii Tauri in palatio, Tiberii, aliudque prope Suburram, de quorum nonnullis vsque ad hodiernum diem rudera ostenduntur. Ipsa theatra primum sine tecto fuerunt, quapropter, vt ab æstu solis se defenderent, vtebantur Romani velis; lacernis vero ac pænulis contra aeris ac pluuiæ iniuriam. Nonnulla tamen & tectis instructa fuisse, innuunt PLINIVS *lib. XXXVI. cap.* 15. & STATIVS *lib. III. silu.* 5. v. 91. Sedilia in theatris eadem fere ratione, qua in amphitheatro, de quo mox plura dicam, comparata erant. Partes theatri fuerunt: 1) *Scena*, siue locus ab vno theatri cornu vsque ad alterum se extendens, in quem actores primum se transferebant seque conspectui populi offerebant; 2) *proscenium*, qui locus scena paullo depressior & histrionum maxime proprius fuit; 3) *postscenium*, locus post scenam, oculis spectatorum subductus, in quo ea dicebantur ac peragebantur, quæ

publi-

COELII *ad Ciceronem lib. VIII.* Multa vanitas in theatris fuit, vt CICERO etiam *lib. VII. epist.* 1. oſten-

publice fieri ac tradi, inhoneſta erant; 4) *pulpitum*, locus in proſcenio ſcena inferior, orcheſtra vero editior, in quo recitantes ſtabant; 5) *orcheſtra*, locus inferior, in quo ſaltari ſolebat, & iuxta quem ſenatoribus ſedes adſignatæ erant. Ad amphitheatra quod ſpectat, illa quaſi ex duobus theatris compoſita erant, & quum huius latera hemicyclo paullo longiora eſſent, oui figuram repræſentabant. In his ea pars, vbi ſpectatores conſidebant, *cauea* nuncupabatur, quæ in infimam, mediam ac ſummam diviſa fuit. Infima ordini ſenatorio ac equeſtri, *media* ac *ſumma*, quæ & *populariorum* nomen in antiquis ſcriptoribus habet, populo attributa fuit; ita tamen, vt pro varia conditione plebis ſedes aliæ honoratiores, aliæ viliores eſſent. Eodem nomine & receptacula ferarum, ex regulis ferreis contexta, inſigniebantur, quæ in medio amphitheatro poſita, a *cauis* vero, ſiue ſpeluncis ſubterraneis amphitheatri diſtincta erant, vt SALMASIVS *not. ad Vopiſcum vit. Prob. cap. XIX.* docet. Sternebatur amphitheatrum per ordinem arena, quoniam in pugna ferarum magna ſanguinis vis profundebatur, vel etiam contuſo lapide albo ornatus gratia; interdum autem a principibus mino, aut chryſocolla. Quoniam in amphitheatris ſæpe venationes inſtituebantur, locus planus arboribus ornari ſolebat, vt viuæ ſiluæ imaginem referret. Præterea *caui*, ſiue *antra*, quæ ſub terra erant & feras includebant, ita apte ſtruebantur, vt ex improuiſo ſeſe aperirent, & magna beſtiarum copia ſummo impetu ſe in fictam ſiluam effunderet. Alium Romanis vſitatum morem nobis aperit DIO CASSIVS, quando *lib. LXI.* p. 695. *& quoniam eam*, inquit, *cædem palam non audebant, nec venenis clam patrare facile id poſſent, nauim quampiam in thea-*

ostendit, & Mario gratulatur, quod non spectaverit.

§. V.

tro conspicientes, ita factam, vt sponte solueretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur & rediret in priorem statum, visum iis huic similem ædificare. Et *lib. LXXVI.* p. 860: *receptaculum omnium ferarum in amphitheatro exstructum erat, instar nauis, quæ capere posset & emittere ad feras quadringentas. Ea autem de subito occulte soluta, exsiliebant vrsi, leæ, pantheræ, leones, struthiones, onagri, bissontes, ita vt septingentas feras aut pecudes simul & currere liceret cernere & occidi.* Exstruebantur eiusmodi amphitheatra propter loci, quem occupabant, amplitudinem in Campo Martio, & quidem primum lignea, deinde quoque lapidea, vt a Statilio Tauro anno vrbis conditæ DCCXXV. factum est. Consecrata erant diis, quoniam ludi numquam sine sacris per ordinem peragebantur; potissimum vero Dianæ, venationi præfectæ, Marti, Ioui Latiari & Stygio ac Saturno. Vnde & ara in medio amphitheatri erat, vt in ea numini sacrificaretur, in cuius honorem ludi fierent. *Proiectura muri*, qui arenam proxime cingebat, *podium* dicebatur, cuius & in inscriptionibus pariter ac reliquarum amphitheatri partium fit mentio, vt IVST. LIPSIVS *de amphitheatro cap. XI.* p. 1017. obseruat. SVETONIVS *vit. Neron. cap. XII. §. 7*: *perraro*, inquit, *præsidere, ceterum accubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio edaperto spectare consueuerat.* Habuit id mœnianorum speciem ac instar pergulæ proiectum prominuit, atque ex eo principes magistratus in sellis suis curulibus ac nobilissimi quique spectarunt, vt IVVENALIS *sat. II.* v. 145. testatur. In eo & *suggestus*, siue *cubiculum principis*, cuius SVETONIVS *vit. Cæs. cap. LXXVI.* meminit, erat: itemque *tribunal editoris & sedes vestalium* erant. Præterea contra bestiarum insultus ac impetum

Landesbibliothek Oldenburg

§. V.

Magis deteſtatæ comœdiæ veteribus chriſtianis ſunt, e quibus paucos damus: TERTVLLIANVM

petum lignis quibusdam verſatilibus locus is munitus fuit, quibus retia valida ac nodoſa contexta circa podium adfixa, clathri ferrei, ac foſſa aquis repleta, accedebant. Sedilia ſenatorum puluillis ornata fuerunt, quum reliqui ſpectatores nudis inſiderent lapidibus. Aditus ad ſedilia *vomitoria*; viæ vero, per quas ad ſedilia ſpectatores adſcendebant, *ſcalaria*, ac ſpatia inter ſcalaria *cunei* dicebantur: vid. IVVENALEM *ſat. VI.* v. 61. & SVETONIVM *vit. Aug. cap. XLIV.* ad quem FITISCVS plura de cuneis obſeruat. Superior amphitheatri pars porticibus ac loco plano conſtabat, in quo feminæ potiſſimum ſpectabant. Infimi gradus *orcheſtra* dicebantur, & ſenatorum ac legatorum proprii erant. *Deſignatores* loca ſedendi vnicuique monſtrabant, & eos, qui loca ſibi aliena vindicabant, aut alias excitabant turbas, ſedibus ſuis expellebant. De velorum vſu idem hic monendum eſt, quod ſupra de theatris obſeruaui. Deſignatorum, ſiue, vt alias vocantur, *diſſignatorum* prouinciam ſequiori æuo *tribuni voluptatum* adminiſtrarunt, quorum in hac inſcriptione fit mentio:

FL. MAXIMO. VE - CON - - -
CONCESSVM - LOCVM
PE - - - - ROMÆ. ET TRIB.
VOLVP - - - - - - ET - CONIVGI - - -

Huc & pertinent *pegmata* gladiatorum, ſiue machinæ ligneæ artificioſe ita ſtructæ, vt attolli & deprimi, accreſcere & decreſcere potuerint. Vide de illis IVL. CÆS. BVLENGERVM *de venatione cap. XXXIV.* LIPSIVM libro mox excitando, *cap. XXII.* & GER. IO. VOSSIVM *etymol.* voc. *pegma.* Varia eiusmodi am-

de spectaculis cap. X. dicentem: *theatrum proprie sacrarium Veneris est:* CYPRIANVM *libr. ad Donatum de gratia Dei p. 6.* edit. Oxon. *adulterium discitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoramphitheatra Romæ fuerunt, vt: castrense in regione vrbis quinta, a Tiberio forsan ædificatum: amphitheatrum Claudii iuxta septa: amphitheatrum a Vespasiano cœptum, ac Tito imperatore absolutum: amphitheatrum Statilii Tauri, & quod in campo Martio positum fuit, Traiani. Extra Romam itidem theatra fuerunt, quemadmodum de Nemausensi, Polano, Veronensi, Placentino aliisque constat. Omnia, quæ de theatris atque amphitheatris Romanorum breuiter dixi, fusius illustrant ac testimoniis veterum scriptorum comprobant:* IVST. LIPSIVS *libr. de amphitheatro, tom. III. operum* p. 999. IVL. CÆS. BVLENGERVS *de theatro, tom. IX. thes. ant. Rom. Græuii* p. 825. ANT. THYSIVS *de amphitheatro:* BOINDINVS, cuius *discours sur la forme & la construction du theatre des anciens* recensetur in *memoires de Trevoux* ann. MDCCXIX. mens. ian. p. 28. SCIPIO MAFFEI, cuius *historia theatrorum veterum* cura ALEXANDRI GORDINI anglice Londini prodiit; quo egregio opere argumentis vndiquaque conquisitis demonstrare sibi sumsit, rudera Nemausensia, Polana, Syracusana cet. de quibus modo egi, non antiquis temporibus amphitheatrorum, sed theatrorum solummodo formam habuisse, ad posteritatem tria tantum amphitheatra peruenisse: primum Romanum, a Vespasiano conditum & *colossæum* dictum; secundum Campanum, siue Capuanum; tertium vero Veronense, quod fere integrum fortuna posteris seruauit. Amphitheatrorum veterum rudera *tom. III. musei etrusci Goriani* collecta sunt. His MARLIANVS, DONATVS, BORRICHIVS, aliique, qui rudera ædificiorum Romanorum peruestigarunt ac rimati sunt, adiungi debent.

Landesbibliothek Oldenburg

auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica: MINVCIVM FELICEM *cap. XXXVI: hiſtrio amorem dum fingit, infligit:* adde LACTANTIVM *lib. VII. cap.* 20. §. 27. *ſeq.*

§. VI.

Officium comœdiæ, vt CICERO *pro Roſcio cap. XVI.* definit, erat, effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtræ vitæ quotidianæ notare & caſtigare. Sat bene, ſi modo ſatis pudice id fiat.

§. VII.

Tragœdiæ a comœdiis argumento & ſtilo diſtinguuntur. *Comœdiæ* perſonas habent vulgares: dicendi genus humile, quod conueniat plebeiis. Soccis etiam vtebantur, vt agiliores eſſent. HORATIVS *de art. poet. v.* 80. Tragœdiarum autem argumentum triſte eſt, quia regum & principum caſus funeſtos proponunt, & quidem ſtilo grandi atque ſublimi, vt magnates loqui decet. Cothurnis etiam perſonæ agebant, vt maiores & quaſi ex heroum ſeculo adparerent. IVVENALIS *ſat. XV. v.* 29. nn)

nn) De mimis, qui facta & ſermones iocoſe & cum laſciuia imitabantur, deque pantomimis, qui ſaltatione ac geſtu carmina, quæ a tragœdo canebantur, lepide exprimebant, videndi ſunt: OCTAVIVS FERRARIVS *diſſ. de pantomimis & mimis*, quam IO. FABRICIVS Guelpherbyti MDCCXIV. edidit & poſtea ALB. HENR. DE SALLENGRE in *tom. II. theſ. ant. Rom.* transtulit: M. CALLIACHVS *diſſ. de mimis & pantomimis*, quæ ſeparatim a IAC. FACCIOLATO Patau. MDCCXIII.

Cap. III.

DE VENATIONIBVS.

§. I.

VENATIONES non silvestres, sed in vrbe datæ, etiam inter ludorum erant genera, de quibus sæpe SVETONIVS *in Cæsare cap.* X. & XXXIX. *vbi venationes editæ per dies quinque.* Edebantur sæpe in circo. SVETONIVS *in Augusto cap. XLIII: in circo confectores ferarum produxit; & in Nerone cap. IV: venationes & in circo & in omnibus regionibus vrbis dedit.*

§. II.

Vndique conquirebantur beluæ, quod etiam ex CICERONE *ad Cœlium lib. II. epist.* II. *num.* 3. & COELIO *ad Ciceronem lib. VIII. epist.* 2. constat. Vide notas nostras. Adde SVETONIVM *in Caligula cap. XVIII.* vbi *Africanæ* vocantur. Hic ludus *bestiarius* nominabatur. SENECA *epist. LXX.*

§. III.

MDCCXIII. edita, itidem in memorato *thes. ant. Rom.* exstat: GER. IO. VOSSIVS *lib. II. institut. poetic. cap.* 33. CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plin.* p. 77. THOM. MILLESIVS *not. ad Cyrill. Hierosolym.* p. 280. aliique plures. De funambulis veterum consulantur: IVL. CÆS. BVLENGERVS *de theatr. lib. I. cap.* 41. CASP. BARTHIVS *lib. V. aduersar. cap.* 62. LAVR. PIGNORIVS *de seruis* p. 174. ed. Patau. CLAVD. SALMASIVS *not. ad Vopisc. tom. II. script. hist. Aug.* p. 877. IAC. SPONIVS in *recherches de l'antiquité* p. 407. & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 853.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

In venationibus etiam illud genus erat, quo damnati cogebantur cum beluis certare, quod etiam chriſtianorum martyres experti ſunt, vt ex TERTVLLIANI *apolog. cap. XL.* adparet, quæ verba ad MINVCIVM noſtrum ſunt adlegata p. 200. Sic Conſtantinus captiuos reges beſtiis obiecit: EVTROPIVS *lib.* X. *cap.* 2. quod vero inhumanum fuiſſe, notauimus ad *panegyricum VI. cap.* 12. *p.* 153. Hi dicti *beſtiarii* CICERONI *in Vatin. cap. XVII.* & SENECÆ *lib. II. de beneficiis cap.* 19. Improbauit hunc morem maxime SALVIANVS *lib. VI. de gubernatione Dei, p.* 196.

Cap. IV.

DE NAVMACHIA.

NAVIGATIONES erant ludicræ, non in mari, ſed ad vrbem in effoſſo campo, vel lacu editæ. De talibus ſæpe SVETONIVS *in Cæſare cap.* XXXIX. & XLIV. *Auguſto cap.* XLIII. *Domitiano cap.* IV. vbi ait: *edidit nauales pugnas pæne iuſtarum claſſium, effoſſo & circumſtructo circa Tiberim lacu.* Vnde *naumachiæ horti* memorantur in *Tiberio cap.* LXXII. in quibus videlicet eiusmodi effoſſiones fuerunt.

Cap. V.

DE LVDIS GLADIATORIIS.

§. I.

ERAT nobiliſſimum ludorum genus, quo maxime

xime populus Romanus capiebatur. De frequentia spectatorum atque studio CICERO *pro Sextio cap. LVIII.* legatur, & quæ *cap. LIX.* subiicit: *equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi, quam illud gladiatorium, neque concionis vllius, neque vllorum comitiorum.*

§. II.

Origo a Campanis, teste LIVIO *lib. IX. cap.* 40. & quidem initio, vt idem ait, *spectaculum inter epulas*, de quibus conuiuiis egregium locum habet SILIVS ITALICVS *lib. II. v.* 51. *seqq.*

§. III.

Deinde in funeribus illustrium. o) LIVIVS *epit. lib. XVI: D. Iulius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus.* SERVIVS *ad lib. X. Aeneid. v.* 519: *placuit, gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis bustuarii dicti sunt.* SENECA *de breuitate vitæ* extremo vocat *ad rogum munera & ambitiosas exsequias.* Adde SVETONIVM *in Cæsare cap. XXVI.*

§. IV.

o) Ab ipsis funeribus origo horum spectaculorum repetenda est: conf. TERTVLLIANVS *de spectacul. cap. XII.* Etiam Romæ in foro boario anno vrbis conditæ DXC. Bruti ob patrem suum mortuum gladiatorium munus exhibuerunt, teste VALERIO MAXIMO *lib. II. cap.* 4. §. 7. Ab initio solemnes isti ludi in funeribus principum atque illustrium hominum vsitati erant; postea vero etiam priuati post mortem suam edi, in testamentis iusserunt: vid. SENECAM *de vit. beat. cap. XX.* Idem & in exsequiis feminarum factitatum esse, SVETONIVS *vit. Cæsar. cap. XXVI.* testatur.

Landesbibliothek Oldenburg

§. IV.

Tandem voluptatis cauſſa adhibiti in amphitheatro maxime. oo) FLORVS *lib. III. cap.* 12. §. 10: *vnde gladiatorii aduerſus dominos ſuos exercitus, niſi ad conciliandum plebis fauorem, effuſa largitio, cum ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium artem facit.*

§. V.

Inſtituebantur a *laniſta*, p) cuius meminit CICERO

oo) Dabantur 1) *apud rogum* in exſequiis, qui antiquiſſimus ludorum horum edendorum locus fuit, teſte SERVIO *ad Aeneid. lib. X. v.* 519. 2) *in foro*, apud ASCONIVM *in Ciceron.* p. 36. 3) *in ſeptis*, quod SVETONIVS *vit. Calig. cap. XVIII.* confirmat: 4) *in circo:* 5) *in regionibus vrbis:* 6) *in amphitheatris:* conf. IVST. LIPSIVM *ſaturnal. ſermon. lib. I. cap.* 17. p. 916. Dari ac populo exhiberi ſolebant ab ædilibus, SVETON. *vit. Cæſ. cap. X.* a prætoribus, PLVTARCH. *vit. Brut.* p. 988. a quæſtoribus, SVETON. *vit. Claud. cap. XXIV.* a pontificibus, teſte eodem ſcriptore, *vit. Auguſti cap. XLIV.* ab imperatoribus, qui die ſuo natali, quinquennalibus, decennalibus, viceſimalibus, in dedicatione publicorum operum aliaque occaſione ludos populo inſtituere ſolebant. Idem & in prouinciis præſides, in municipiis vero eorum magiſtratus fecerunt. Immo priuati nonnumquam, vt ſe populo commendarent, gladiatorios pararunt ludos. His alii ærarios adiungunt, & ad LAMPRIDIVM *vit. Alex. Seueri cap. XLIII.* prouocant; decepti vero falſa lectione ſunt, quum ibi non *ærarios*, ſed *arcarios* legendum eſt: adde IVST. LIPSIVM *lib. I. ſaturnal. ſerm.* p. 897.

p) Ita is dicebatur, qui tirones in pugnandi arte docebat. Vocabulum a Thuſcis originem habet,

a

CERO *pro Roscio cap. VI.* circa finem p. 14. & PRVDENTIVS *lib. II. in Symmachum v.* 1094. cui *frui lanistis* est: *spectare ludos gladiatorios.* Locus, vbi erudiebantur, *ludus* q) vocabatur, atque hinc multum discrimen inter ludum gladiatorium & ludos gladiatorios. CICERO *Catil. II. cap.* 5. ineunte: *nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior*, vbi non ludi & spectacula, sed schola illorum intelligenda. Cauea amphitheatri dicta *arena* r) fuit, quia arena constrata erat. Hinc formulæ: *in arenam descendere*, *in arenam prouo-*

a quibus postea id pariter ac ipsos gladiatorum ludos Romani acceperunt. Sæpe lanistæ in inscriptionibus fit mentio, vt est apud GRVTERVM p. CCCXXXIII. *inscript.* 1. & 2. & LIPSIVM *libro indicato* p. 911. Dicuntur etiam *magistri* & *doctores*, vt ex VALERIO MAXIMO, QVINCTILIANO, CICERONE aliisque liquet; eorum vero institutiones, testibus SVETONIO *vit. Cæs. cap. XXVI.* & TERTVLLIANO *ad martyr. cap. I. dictata*, quoniam præcepta sua in chartam deferre ac discipulis dictare solebant, qua de re IVVENALEM *sat. XI.* v. 8. consulas. Tirones cum lanista *rudibus batuebant*, siue gladiis ligneis, qui pro ratione armaturæ gladiatoriæ modo incurui, modo recti, modo dentati esse solebant: vt vero ipsi lanistæ a discipulis dignoscerentur, illi non rudem, sed ferulam gerebant, quod luculenter DIO CASSIVS *lib. LXXII.* p. 826. confirmat: conf. ANTON. THYSIVM *de gladiator.* p. 235. ADR. TVRNEBVM *lib. XVI. aduers. cap. VIII.* & IVST. LIPSIVM *libr. I. saturnal. sermon. cap.* 15. p. 911.

q) Vid. interpretes ad SVETONIVM *vit. Cæs. cap. XXVI.* & IAN. BROVCKHVSIVM *not. ad Tibullum lib. I. eleg.* 4. v. 45.

r) De hac cauea eiusque arena iam supra egi.

prouocare. Et PLINIVS eleganti metaphora *lib. VI. epiſt.* 12. centumuiralia iudicia vocat *arenam ſuam.*

§. VI.

Arma erant vel *luſoria*, vel *decretoria.* s) SENECA *epiſt. CXVII.* hanc diſtinctionem docuit: *remoue*, inquit, *iſta luſoria arma: decretoriis opus eſt.* Qui etiam *epiſt. CII. decretoriam horam* metaphorice dixit, qua cum morte luctandum & vita excedendum eſt. Luſoria etiam *rudia* dicuntur abſolute. CICERO *de optimo genere oratorum cap. VI: Iſocratis quaſi rudibus eludit oratio;* & LIVIVS *lib. XXVI. cap. vlt. tertio die rudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrerunt.* Mane, aut circa meridiem luſoriis vtebantur; acre erat poſtmeridianum certamen. Hinc chriſtiani 1 *Cor. IV*, 9. gladiatoribus comparantur, t) quum dicuntur ἔσχα-

s) Arma *luſoria* erant haſtæ & rudes, ſiue gladii lignei, teſtibus CICERONE *lib. II. de orator. cap.* 78. EVMENIO, aliisque apud LIPSIVM *loco memorato* p. 968. *Pugnatoria* ſiue decretoria arma ex ferro facta & maxime acuta erant.

t) Die ipſo, pugnæ deſtinato, gladiatores ad arenam ſe conferebant, ibique ſollemni pompa circumducebantur. Poſtea bini & bini collocari ſolebant, vbi inprimis editores curarunt, vt pares cum paribus conſligerent, id quod *componere*, *comparare*, *committere* dicebatur. Comparatione finita, arma & gladii, num ſatis acuti, an hebetes eſſent, explorabantur. Pugnam ipſam antecedebat *præluſio*, qua haſtas vibrare, clypeos in altum coniicere & decidendo artificioſe recipere, & luſoriis armis congreſſionis initium facere ſolebant; vt teſtimonium

ἔσχατοι καὶ ἐπιθανάτιοι: conf. PLINIVM *lib. VIII. epist.* 14. §. 21.

§. VII.

Distinguebantur in varia genera gladiatores: u) alius dictus *mirmillo*; x) alius *threx*;

nium præbent CICERO *lib. II. de orator. cap.* 78. & 80. QVINCTILIANVS *lib. X. inst. orat. cap.* 7. & MARTIALIS *lib. IX. epigr.* 39. v. 1. Tum, abiectis armis lusoriis, vera & ferrea gladiatores amplectebantur, quod OVIDIVS docet, quando *lib. III. de art. amat.* v. 515. ita canit:

Sic vbi prolusit, rudibus puer ille relictis
Spicula de pharetra promit acuta sua;

item SENECA, qui *epist. CXVII: remoue*, inquit, *ista lusoria arma, decretoriis opus est.* In ipsa pugna bini per ordinem dimicarunt, ita, vt alter *peteret*, alter vero *eluderet* ictus, quorum euitandorum caussa clypeis latus semper tectum seruabant. Læsi & vulnerati arma submittebant, digitumque erigebant, ac per id, se victos esse, profitebantur: conf. IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. IX. thes. ant. Rom.*

u) Ii, qui cum aliis congrediebantur, vel ex propria, vel ex aliorum voluntate ad pugnam accedebant. Illi liberi erant homines, vel gloriæ cupiditate, vel pecunia ad id adducti. Hi serui fuerunt, qui ad ludos hos vel damnari, vel, postquam in seruitutem venerant, a lanistis vendi, aut ab imperatoribus ad id dari & exhiberi solebant; qua de re TERTVLLIANVS *de spectacul. cap. XII.* SVETONIVS *vit. Vitell. cap. XII.* & VOPISCVS *vit. Probi cap. XIX.* consuli possunt.

x) *Mirmillones* a Gallis repetendi sunt. Eos *crupellarios* vocat TACITVS *lib. III. annal. cap.* 43. quamuis alii hos ab illis distinguant. Eorum armatura ita ibi describitur: *adduntur e seruitiis gladiaturæ destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen.* Totum enim

eo-

threx; y) alius *retiarius*; z) aut *laquearius* & *hoplomachus*. Et hi fere a genere armorum ita diſtincti. Adde, quæ ad PRVDENTIVM *lib. II. contra Symmachum v.* 785. notauimus. Ratione ordinis, aut temporis, aut alius circumſtantiæ etiam diſtincti erant. Vid. SENECAM *epiſt. VII.* vbi *meridiani*, *ordinarii*, *poſtulatitii* a) memorantur. Erant etiam *ſubdititii*, ſeu

eorum corpus ferro fere obductum erat. IVVENALIS de iis ita canit *ſat. VI.* v. 261:

Adſpice, quo fremitu monſtratos perferat ictus
Et quanto galea curuetur pondere, quanta
Poplitibus ſedeat, quam denſo faſcia libro;

ex quo & patet, eos capitis tegumento, galea vſos fuiſſe. Committebantur cum Threcibus, & pugna ita inſtituebatur, vt illi, genu flexo, fere ſubſidere & horum inſultantium ictus vitare debuerint. Pugnabant etiam cum retiariis, de quibus mox plura dicturus ſum.

y) *Threces*, gladiatorum ſingulare genus, a Thracibus ortum ſuum habere videntur, quod ex reſtituto LIVII loco LIPSIVS *lib. II. ſaturn. cap.* 9. eruere videtur. Eorum arma fuerunt ſica, ſiue harpe atque parma, quæ Thracum propria erat: conf. SVETONIVM *vit. Caligul. cap. XXXII.* & PLINIVM *lib. XXXIII. cap.* 9.

z) *Retiarii* ſine galea pugnabant, ſed rete gerebant, quod, dextra manu ſuſpenſum, aduerſarii capiti iniicere tentabant. Loco gladii in pugna vtebantur tridenti, ſiue fuſcina; pectoris vero tegumentum ſola ſpongia fuit. Vide de his ISIDORVM *lib. XVIII. orig. cap.* 54. SVETONIVM *vit. Claud. cap. XXXIV.* & *vit. Calig. cap. XXX.* TERTVLLIANVM *de ſpectac. cap. XXV.* & IVVENALEM *ſat. VIII.* v. 199.

a) Gladiatores *meridiani* circa meridiem producebantur, cum feris pugnaturi, vt populus, antequam ad prandium

seu *supposititii*. Vulneratus, aut cadens non statim *missionem* impetrabat, sed plerumque iubebatur interfici, ipsique morituro adclamari, *recipe ferrum*; quam formulam apud CICERONEM *pro Sextio cap. XXXVII.* habes, & apud SENECAM *de tranquillitate cap. XI.* Tamen quibusdam dimissio impetrata fuit, petente populo. MARTIALIS *lib. XII. epigr.* 29: *nuper cum Myrio peteretur missio læso.* Sine missione pugnare, id est, sine spe liberationis, si vel maxime vnum, vel alterum viceris. Crudelius

dium abiret, eorum sanguine recrearetur, testibus SENECA *epist. CVII.* & SVETONIO *vit. Claud. cap. XXXIV.* §. 6. *Ordinarii* erant ii, qui artis gladiatoriæ peritissimi armisque rite instructi & ad id potissimum electi erant, vt congressione secundum artis leges instituta, populo iucundum exhiberent spectaculum: *postulatitii*, qui præter ordinarios ac legitimos a principe populo, vbi postulabantur, dari solebant: *subdititii* & *supposititii*, qui in locum gladiatoris fessi aut victi substituebantur: *bustuarii*, qui ad busta dimicabant: *cubicularii*, qui in conuiuiis congrediebantur: *fiscales*, qui ex fisco principum alebantur atque instruebantur: *sequutores*, quorum arma fuerunt galea, clypeus & gladius, vel massa plumbea: *hoplomachi*, siue Samnites, qui scuta argento cælata, balthеum, aut spongiam super pectus, & galeam cristis ornatam, habuerunt: *cateruarii*, qui cateruatim & confuse arma conferebant: *dimachæri*, qui duobus gladiis vtebantur: *pegmares*, qui in pegmata, supra descripta, se transferebant & ita pugnabant. Reliqua gladiatorum genera breuitatis caussa non commemoro. Ea singula rite persequutus est IVST. LIPSIVS *loco excitato*, ac SAM. PITISCVS *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 243. seq.

Landesbibliothek Oldenburg

delius id visum Augusto, qui apud SVETONIVM prohibuit *cap. XLV.*

§. VIII.

Circa hanc missionem notandæ formulæ: *pollicem premere*, b) quod gratiæ signum erat & liberationis, & *pollicem vertere*, seu *conuertere*, quod signum interficiendi erat. PLINIVS ita distinxit *lib. XXVIII. cap.* 2. Vide quæ ad PRVDENTIVM *lib. II. in Symmachum v.* 1098. notauimus.

§. IX.

Quamquam iniqui erant gladiatorii ludi, nec absolui poterant crimine homicidii; tamen Romani decorum aliquod in iis notarunt, quod ad alios quoque actus humanæ vitæ adplicari potest. CICERO *lib. II. Tuscul. cap.* 17: *Gladiatores*, inquit, *quas plagas perferunt? quomodo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare?* & mox: *quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutauit vnquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis, cum decubuisset, ferrum recipere iussus, collum contraxit?* Idem *pro Milone cap. XXXIV: si in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos & supplices, &, vt viuere liceat, obsecrantes, etiam odisse* sole-

b) FRANC. BERNARD. FERRARIVS *lib. II. de vet. acclamat. & plaus. cap. 5. tom. VI. thes. ant. Rom. Grævii* p. 60. & *cap.* 13. p. 70. hanc pollicis vtriusque pressionem ad theatra veterum transfert, ac putat, in illis hunc, pollicem premendi, morem vsitatum fuisse, refragantibus priscis scriptoribus, qui de amphitheatris id solummodo perhibent, vt in quibus ludi gladiatorii populo dabantur.

Landesbibliothek Oldenburg

ſolemus, fortes & animoſos, & ſe acriter ipſos morti offerentes ſeruare cupimus, eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant; quanto hoc magis in fortiſſimis ciuibus facere debemus.

§. X.

Romani excuſabant quidem crudelitatem huius muneris, vt CICERO *Tuſculanar. quæſt. II. cap.* 17: *crudele*, inquit, *gladiatorum ſpectaculum & inhumanum nonnullis videri ſolet, &, haud ſcio, an ita ſit, vt nunc fit.* Quum vero fontes ferro depugnabant, oculis nulla poterat eſſe fortior contra dolorem & mortem diſciplina. Putarunt ergo, diſcere ex his ludis iuuenes, dolorem, vulnera, mortem ferre, nec terreri ſanguinis & patentium vulnerum adſpectu, vt fortiores in bello fierent. Ciceroni autem, quod de fontibus dixit, obiici illud PRVDENTII poteſt *lib. II. aduerſus Symmachum* extremo: *nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas.* SENECA quoque, vt ſua ætate erant hi ludi, *epiſt. VII.* maxime improbat: *nihil*, inquit, *tam damnoſum moribus bonis, quam in ſpectaculis deſidere. Tunc enim per voluptatem vitia facilius ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? immo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Et paucis interiectis: *nunc omiſſis ludis, mera homicidia ſunt: nihil habent, quo tegantur: ad ictum totis corporibus expoſiti, numquam fruſtra manum mittunt.* Hæc SENECA. Ideoque TERTVLLIANVS *apolog. cap. XXXVIII.* vere *atrocitatem arenæ* dixit: adde LACTANTIVM *lib. VI. cap.* 20. §. XI.

§. XI.

Præmium gladiatorum, c) qui aliquot congreſſionibus bene pugnauerant, *rudis* erat, ſeu *virgula*,

c) Præmia gladiatorum erant 1) *palma*, teſtibus SVETONIO *vit. Calig. cap. XXXII. §. 7: mirmillionem e ludo rudibus ſecum batuentem & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcurrit;* CICERONE *pro Roſc. cap. VI: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur;* & LAMPRIDIO *vit. Commod. cap. XII: tantum palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiariis, vel occiſis, vt mille contingeret:* 2) *pecunia*, id quod itidem SVETONIVS *vit. Claud. cap. XXI.* teſtatur: 3) *rudis*, vt fuſe IVST. LIPSIVS *lib. II. ſaturnal. ſermon. cap.* 13. probat. Rude donati *rudiarii* dicebantur, qui Herculi, proprio gladiatorum deo, arma ſua conſecrare ſolebant. Gladiatores, qui ſuccubuerant & occiſi fuerant, per portam Libitinenſem efferebantur, huicque oppoſita erat altera, per quam viui exibant, *Sanauiuaria*, vt IO. GEORG. GRÆVIVS *præf. ad tom. IX. theſ. ant. Rom.* ſuſpicatur, adpellata. Præterea de diſcrimine ludorum obſeruandum eſt, id vel a forma eorum, vel a tempore, quo dati ſunt, eſſe petendum. Si formam ſpectes, in *circenſes*, *gladiatorios* & *ſcenicos;* ſi tempus, in *ſtatos*, *votiuos* & *extraordinarios* diuidi poſſunt. Ad *ſtatos* Megalenſes, Cereales, Florales, Martiales, Apollinares, Capitolini, plebeii, magni, conſuales, compitalitii, auguſtales, palatini & ſeculares ſpectant: ad *votiuos* ludi quinquennales, decennales, vicennales cet. referuntur: *extraordinarii* fuerunt funebres, iuuenales, natalitii, aliique, qui a magiſtratibus nouis exhibiti ſunt. Nomina ludis impoſita ſunt 1) *ab ipſa re*, in cuius memoriam inſtituebantur, vt ludi Actiaci, Capitolini, Nemei, plebeii, funebres, natalitii, piſcatorii, taurii erant: 2) *a loco*, in quo facti ſunt, ſicuti agonales,

la, quæ signum liberationis erat ex ludo gladiatorio. Hinc dicebantur *rude donati* apud HORATIVM *lib. I. epist.* 1. *v.* 2. & OVIDIVM *lib. II. amorum eleg.* 9. *v.* 22. Qualis autem illa & cuius arboris virgula fuerit, non satis expressum est. CICERO *pro Roscio Amerino cap. VI.* palmæ facit mentionem. *Plurimarum*, inquit, *palmarum vetus ac nobilis gladiator.*

§. XII.

Mille sunt translationes & loquendi formulæ apud Latinos, ex ludis petitæ gladiatoriis: vt sunt, *petitiones obiectas vitare*, *declinatione corporis effugere*, apud CICERONEM *Catil. I. cap.* 6. Vt autem *petere* gladiatorium verbum erat, sic etiam *repetere*, hoc est, ictum geminare, apud LACTANTIVM *lib. VI. cap.* 20. *num.* 12. Vnde in cæde Caligulæ signum erat & tessera, *repete*: SVETONIVS *in Caligula cap. LVIII.* Adde CICERONEM *Tuscul.*

nales, castrenses, compitales, Terentini cet. fuerunt: 3) *a numine*, vel diuo imperatore, in cuius honorem instituebantur, quo Apollinares, Augustales, Florales, Cereales, Martiales cet. pertinent: 4) *a tempore*, vti decennales, quinquennales, nouemdiales, seculares: 5) *ab iis*, *qui ludos fecerunt*, quemadmodum certi ludi iuuenales, pontificiales, sacerdotales, quæstorii cet. dicuntur.

Possem & hic reliqua ludorum, maxime priuatorum, genera addere, ac de saltandi arte apud Romanos, de maiuma, tabulis lusoriis, alea, cottabo, talorum, calculorum, tesserarum & nucum lusu, pila, oscillatione cet. exponere; nisi id nimis longum foret. Scriptores de diuersis eiusmodi ludis percenset IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar. cap. XXII.*

Landesbibliothek Oldenburg

Tuscul. quæst. lib. II. cap. 17. & *pro Sexto cap. XXXVII.* vbi occurrit *ferrum recipere.* Tales formulæ etiam erant: *hoc habet;* aut simpliciter, *habet:* item *loco motus est:* item *componere paria.* Vide quæ ad *Prudent. psych.* v. LIII. notauimus & ad CICERONIS *lib.* II. *epist.* 8. *num.* 1.

§. XIII.

Tam inueteratus hic mos tam in vrbe, quam in prouinciis fuit, vt ægre a christianis etiam imperatoribus tolli potuerit. Vide PRVDENTIVM *in Symmachum lib.* II. *v.* 1113. *seq.*

LIB. IX.

DE VESTIMENTIS ROMANORVM. d)

SECT. I.

DE VESTIBVS VIRORVM, IN VRBE VSITATIS.

CAP. I.

DE TOGA.

§. I.

In Romanorum vestibus præcipua & propria erat illa exterior, quæ *toga* vocabatur, vnde Romani absolute *togati* dicti apud LIVIVM

d) De vestibus veterum Romanorum commentati sunt: LAZARVS BAYFIVS *de re vestiaria*, qui primus in hoc

lib. III. cap. 52. & PRVDENTIVM *cathem. II. v.* 39. & *gens togata*, apud VIRGILIVM *Aen. lib. III. v.* 286. Descriptionem præbet PERSII *scholiastes* vetus ad *satyr. V. v.* 14: *toga est purum pallium, forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu: de subdextro veniens, super humerum sinistrum ponitur.* e)

§. II.

hoc argumento post renatas litteras versatus est, ideoque sæpe errauit: OCTAVIVS FERRARIVS *lib. VII. de re vestiaria:* ALBERTVS RVBENIVS *libris II. de re vestiaria*, ex relictis doctissimi huius viri schedis & dispersis plagulis a IOH. GEORG. GRÆVIO compositis, in hanc formam, vti nunc ii sunt, redactis, & separatim Antwerpiæ MDCLXV. & postea *tom. VI. thes. ant. Rom.* editis. RVBENIO sese opposuit FERRARIVS in *analectis de re vestiaria, siue exercitationibus ad Rubenii commentar. de re vestiar. & lato clauo*, quippe qui, vt GRÆVII vtar verbis, *indignabatur, in hanc messem, quam omnem sui iuris esse, sibi persuaserat, alium immisisse falcem, qui plus se videre postularet in hoc argumento, quod exhausisse se, quum in eo tot annorum, aut potius vitæ spatium consumsisset, in animum induxerat.* Quamuis autem non negandum sit, Rubenium non in omnibus argumenti huius capitibus recte sensisse; fateri tamen omnes debent, Ferrarium erga Rubenii manes iusto iniquiorem se gessisse, multaque sine omni caussa ac ratione in Rubeniano opere reprehendisse. ISAAC. CASAVBONVS & CLAVD. SALMASIVS itidem de re vestiaria veterum se commentaturos esse professi sunt, sed eorum, quæ moliti sunt, opera lucem non viderunt.

e) Eius veram formam describit HIERONYMVS BOSSIVS *de toga Romana*, Ticini MDCXIV. & Amst. MDCLXXI. OCTAV. FERRARIVS *de modo gestandi togam*, VALERIVS ANDREAS *de toga & sago*, ALDVS

§. II.

Varius togæ vsus ad varios habitus gestusque. Brachium vtrumque tegebat; dextrum tamen exserebatur sæpius, quando opus fuit, viris maxime, non primo togæ anno, quo modestiæ caussa non licebat dextrum brachium exserere. CICERO *pro Cælio cap. V: nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus.* Et HORATIVS *lib. I. epist. 6. v.* 51. dicit illud:

- - - trans pondera dextram
Porrigere.

§. III.

Sinum etiam faciebant ex toga a dextra in

DVS MANVTIVS *diss. de toga Rom.* RVBENII, FERRARII, LAVRENTII aliorumque haud mentionem facio. Erat toga rotunda & clausa, ita vt, simulac iniiciebatur, totum corpus inuolueret, quemadmodum ex nummis & statua togata apud ALB. RVBENIVM *lib. I. elect. cap.* 17. & OCTAV. FERRARIVM *lib. I. de re vestiar. cap.* 6. adparet. *Sinus* in toga vnus tantum fuit, ex plicis illis togæ compositus, quæ per dextrum humerum & latus sub baltheo & vmbone recurrebant in sinistrum. In hunc capita demittere poterant Romani, si aliis non videntibus ridere volebant. Condebantur etiam varia in isto, vt poma, apophoreta, aliaque: conf. IO. GEORG. GRÆVIVM *præf. ad tom. VI. thes. ant. Rom.* & CLAVD. SALMASIVM *not. ad Tertullian. de pallio*, p. 379. FERRARIVS *de re vestiar. part. I. lib. I. cap.* 6. errat, quando duplicem sinum togam habuisse statuit, alterum inferiorem, alterum vero superiorem, falsa loci QVINCTILIANI interpretatione ad hanc sententiam perductus. A diuitibus laxiores, a pauperibus & frugalioribus angustæ togæ gestabantur.

Landesbibliothek Oldenburg

sinistram collecta. TIBVLLVS *lib. I. eleg. 7. v. 46:*

Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Laxa enim toga erat, sed ex luxu laxior. CICERO *Catil. II. cap. 10.* luxum in vestitu Catilinariis obiiciens, vocat *velis amictos, non togis.* Vsus etiam & inflexio varia huius vestis ex cinctu Gabino constat. De quo VIRGILIVS *Aeneid. lib. VII. v. 612:*

Ipse quirinali trabea cinctuque Gabino.

Vbi SERVIVM videas, & quæ nos ex illo ad PRVDENTII *Romanum v. 1015.*

CAP. II.

DE MATERIA TOGÆ.

§. I.

MATERIA togæ lana erat, vt ex PLINIO *lib. VIII. cap. 27.* constat, quod etiam MARTIALIS variis locis indicat, *lib. II. epist. 43. lib. IV. epist. 28. lib. VIII. epist. 28.* vbi togam dicit *lotam Galeso flumine*, ad quem præstantiores erant oues & lana delicatior. Effluit ille in sinum Tarentinum.

§. II.

Plebeiorum autem toga ex viliori lana erat. Color natiuus lanæ. f) Festis diebus toga recens a fullone

f) Color togarum erat albus; quod nonnulli ea ex ratione negant, quoniam candidati dicantur albas gessisse togas, vt eo habitu sese a reliquis distinguerent, & quoniam scriptores referant, in diebus festis ac sollemni-

lone g) erat, ideoque candidior. Vnde HORATIVS *lib. II. satyr. 2. v. 60:*

Ille repotia, natales, aliosue dierum
Festos albatus celebret.

lemnibus Romanos albatos incessisse, ex quo colligi posse sibi persuadent, Romanorum togas quotidianas & ordinarias istum colorem non habuisse. Sed errant, vt facile ostendi potest. Primum enim candidatorum vestis *candida* dicitur, quoniam arte color is factus, nec naturalis erat, ideoque magis splendebat, quam reliquorum alba toga. Deinde Romani feriis albati ea de caussa incessisse dicuntur, quoniam iis diebus togas albas per diuturnum vsum sordibus adspersas, purgare & dealbare solebant.

g) Fullones vestimenta sordida lauare, polire ac dealbare solebant: vide LAVR. PIGNORIVM *de seruis* p. 176. & in primis CHRIST. SCHOETTGENIVM *in antiquitatibus fulloniæ*, quæ eius *antiquitatibus triturae*, Trai. ad Rhen. MDCCXXVII. editis, additæ sunt. Vti vero color albus lætitiæ, sic niger tristitiæ signum erat, quam & per vestes in luctu significabant Romani. Qui togas sordidas gerebant, *pullati* a scriptoribus dicuntur; & sese decipiunt, qui existimant, pullatos eos solum dici, qui pulli coloris vestibus vsi sint. Ex hoc lucem accipit SVETONIVS, quando de Augusto eius *vit. cap. XL.* refert, eum studuisse, habitum vestitumque pristinum reducere & indignatum esse, quum pro concione *pullatorum* animaduerterit turbam. Nam Augusti æuo Romani a pristino cultu & honesto habitu recedere, in publicum cum solis tunicis prodire, pænulam pro toga gestare, &, si togam retinerent, eam maxime sordidam & obsoletam ducere incipiebant; quos prauos mores imperator corrigere tentabat, eosque, qui sordidis incedebant togis, *pullatos* dicebat: adde ISAAC. CASAVBONVM *not. ad hunc loc.* p. 192. vbi fusius hæc probantur.

Cretata autem toga candidatorum erat, vt ſupra probatum fuit.

§. III.

Toga virilis veſtis Quiritium, ideo *virilis toga* dicta. PLINIVS *lib. I. epiſt. 9. num. 2: officio togæ virilis interfui; & lib. X. epiſt.* 117: *qui virilem togam ſumunt.* Carebant etiam toga pueri & adoleſcentuli, antequam a prætore togam acciperent virilem, quod vocabant *forum attingere*, item *in forum deduci*, idque fiebat circa XVII. ætatis annum, eaque magna erat lætitia atque ſollemnitas. h) CICERO *lib. V. epiſt. 8. num. 6: vt primum forum attigerim*, ad quem locum legas, quæ ex SVETONIO adlegauimus, indeque intelliges, quid PLINIO ſit: *officio virilis togæ intereſſe.* Toga vtebantur Romani foras prodeuntes, atque ita quaſi forenſis veſtis erat. Nihilominus etiam in ſollemnioribus ac publicis conuiuiis vtebantur toga; ſed ſubmiſſa, vt loquitur SPARTIANVS in *vita Hadriani cap. XXII.* Alias in conuiuiis ſingulares veſtes habebant, quas *ſenatorias & ſyntheſes* vocabant, de quibus infra.

Cap. III.

DE TOGARVM DIFFERENTIA.

§. I.

RATIONE dignitatis perſonarum toga etiam fuit diſtincta varie. De vulgari iam diximus. Honora-

h) Lege HENR. DODWELLVM *prælect. Cambden.* p. 375. ſeq.

noratiores habebant aliquod additum pro ornatu, etiam procerum filii. Hinc est, quod legimus de toga picta, i) palmata, purpurea, prætexta, puerili.

i) Iam antiquissimis temporibus vestes, quibus versus ac tituli imaginesque variæ inscriptæ fuerunt, in vsu exstitisse, HOMERVS, HERODOTVS aliique docent. Etiam Romani morem hunc receperunt, ac figuras quasdam vestibus intexuerunt, quemadmodum hæc verba GRATIANI *ad Ausonium grat. act.* p. 245. testantur, quum trabeam mitteret: *palmatam tibi misi, in qua Constantius parens noster intextus est*, cui SIDONIVS *carm. XV.* v. 125. aliique adiungendi sunt. Ad eiusmodi vestimentorum genera & toga picta veterum Romanorum triumphantium pertinet, quæ a Tarquinio Prisco Romam delata fuit, ac ex purpura primum constitit: deinde ei & aurum, quo purpura distingui solebat, est additum, quemadmodum ex FESTO, PLINIO *lib. IX. cap.* 36. PLVTARCHO *vit. Aemil.* p. 273. LIVIO *lib. XIV. cap.* 49. constat. De vestibus eiusmodi pictis, textis ac varia litterarum figura ornatis videndi sunt: FERRARIVS *analect. cap. XXIX.* NICOLAI *de sigl. vet. cap. XXXVIII.* ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. I. cap.* 10. IO. CIAMPINVS *vet. moniment. part. I. cap.* 13. IO. HARDVINVS *not. ad Plinium lib. XIII. cap.* 11. IOS. MAR. SVARESIVS *libr.* singulari *de vestibus litteratis:* PETR. ZORNIVS *bibliogr. antiqu. exeget.* p. 1108. IO. SAVBERTVS *de sacrificiis cap. IX.* p. 176. aliique plures a FABRICIO, ZORNIO, PITISCO cet. memorati.

Præter hæc togarum genera notandæ sunt: 1) *toga pulla*, quæ atri erat coloris & a lugentibus gestari solebat; 2) *toga sordida*, siue maculis & sordibus obducta, quæ reorum habitus fuit; 3) *toga pexa*, quæ villosa ac densa, & ad frigoris iniuriam a corpore arcen-

§. II.

Picta toga & palmata & purpurea eadem erat, videlicet triumphantium, aut triumphali honore ornatorum. LIVIVS *lib. XXX. cap.* 15. regi Masinissæ dicit inter alia munera a Scipione oblatam *togam pictam & tunicam palmatam*, & *lib. XXXI. cap.* 11. *toga purpurea & palmata tunica.* Quam superiori loco *pictam* vocauerat, nunc dicit *purpuream.* Confirmat FESTVS in voce *picta: picta*, inquit, *toga, quæ nunc dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura.* IVVENALIS *sat. X. v.* 33:

\- - - *pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ.

§. III.

Palmata autem dicebatur eadem, quia palmæ erant intextæ, vt ad AVSONII *panegyricum cap. V.* exposuimus. Eiusmodi togæ meminit MARTIALIS *lib. VII. epigr.* 1. Prætexta toga erat magistratuum, consulum, prætorum, cetera. LIVIVS *lib. XXXIV. cap.* 7: *purpura viri vtemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis.* De prætexta sacerdotii auguratus CICERO *Phil. II. cap.* 43: *cur non sumus prætextati,*

CAP.

cendam facta fuit; 4) *toga pinguis*, ex crassioribus filis compacta; 5) *toga pura*, cui nulla purpura prætexta erat; 6) *toga vitrea*, quæ instar vitri erat pellucida ex tenuissimis filis confecta; 7) *toga recta*, quæ ita dicta est, vel quoniam fila a summa ad infimam vestis partem defluebant, nec transuersa ducta erant, vel quoniam ea non cingebatur, sed recta demittebatur. Infima pars togæ *lacinia* adpellabatur.

Landesbibliothek Oldenburg

Cap. IV.

DE PRÆTEXTA PVERILI. k)

DENIQVE prætexta erat puerilis, eademque *toga* dicta, quia formam & ornatum togæ habebat. LIVIVS *lib. XXXIV. cap.* 7: *liberi nostri prætextis purpura togis vtentur.* GELLIVS *lib. XVIII. cap.* 4. Confer, quæ notauimus ad *Catil. II. p.* 181. CICERO inde *Catilinaria* II. *cap.* 2. dicit: *in prætexta amare cœperat.* Et tales pueri ac adolescentuli dicebantur *prætextati.* Vid. PLINIVM *lib. IV. epist.* 13. *num.* 3.

Cap. V.

DE TRABEA.

TRABEA quoque splendidior cultus erat, de quo VIRGILIVS *lib. VII. Aeneid. v.* 612:

Ipse quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis.

Fuit instar prætextæ. SVETONIVS in deperdito libro apud *Seruium* ad dictum locum *Virgilii* tria tra-

k) Prætexta toga fuit, cui limbus, circa extremam huius vestis partem ductus, ex purpura additus fuit. Ea vtebantur ædiles, censores, consules, dictatores, prætores, duumuiri; tribuni plebis, quamuis hoc alii sine caussa negent; puellæ, donec matrimonium inibant; pueri ad annum ætatis fere septimum & decimum; sacerdotum præcipui, vt pontifices, augures, quindecimuiri sacris faciundis, & salii; magistratus tam in municipiis, quam coloniis, ac senatores diebus, quibus ludi edebantur. Consulas LAZAR. BAYFIVM *de re vestiar. cap.* X. ALB. RVBENIVM *de re vest. lib.* I. *cap.* I, & OCTAV. FERRARIVM *part.* I. *lib.* II. *cap.* I.

Landesbibliothek Oldenburg

trabearum genera ponit: primum *purpureum*, diis sacratum; deinde *regium*, quod erat purpureum immixto albo; tertium *augurale* de purpura & cocco. l)

Cap. VI.
DE ABOLLA.

ABOLLA est FESTO militaris vestis, aut NONIO potius, qui Varronis locum producit. *Abolla*, inquit, *vestis militaris.* VARRO περὶ φιλοσοφίας νόσμου, *toga detracta est, & abolla data ad turbam, ubi sera militia munera belli ut præstarent.* MARTIALIS *lib. VIII. epigr.* 48:

Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus induiturque togam.

Vnde vides, diuersam a toga fuisse. Hanc volunt duplicatam fuisse & robustiorem, quod SERVIVS tradit ad *Aeneid. lib. V. v.* 421. vbi poeta duplicem amictum, ex humeris pendentem, memorat.

Cap. VII.
DE LÆNA.

LÆNA m) per aphæresin scribitur pro *chlæna*. Est

l) Trabea, togæ genus, & vestimentum clausum ac rotundum fuit, quod solo purpureo ornatu a toga communi pariter ac prætexta differebat. Paludamentum & chlamys cum trabea non confundi debent. Hæc clausa; illud vero vestimenti genus apertum fuit: conf. RVBENIVM & FERRARIVM *libris indicatis*, & ALDVM MANVTIVM *de trabea tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* p. 769.

m) Vestimenti hoc genus antiquissimum, atque, vt HOMERVS

Est enim vestis peregrina, a Romanis tamen recepta. VIRGILIVS *Aeneid. lib. IV. v.* 262:

- - - Tyrioque ardebat murice læna
Demissa ex humeris.

In sacris quoque adhibitam fuisse, testatur CICERO *de claris oratoribus cap. XIV: Marcus Popilius quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem.*

CAP. VIII.

DE SYNTHESI.

SENATORIA vestis, maxime in saturnalibus. n) MARTIALIS *lib. XIV.* ineunte, saturnalia descripturus:

Synthesibus dum gaudet equus, dominusque senatus.

Item

RVS docet, heroum proprium fuit. Iniiciebatur tunicæ, eratque duplicis generis, quum alterum ex simplici, alterum ex duplici filo textum fuit, ad propellendum potissimum frigus. Erat læna quadratæ formæ; a pallio vero in eo differebat, quod hæc fibula in humeris constricta fuerit.

n) Synthesis vestis conuiualis fuit, & pallii fere, vel potius linteæ sindonis formam habuit, qua se Romani in conviuio, depositis vestimentis, inuoluere solebant: conf. STVCKIVS *antiquitat. conuiual. lib. I. cap.* 33. & BVLENGERVS *de conuiuiis lib. I. cap.* 35. Plura de synthesi GERARD. IO. VOSSIVS *etymol.* voc. *synthesis:* OCTAV. FERRARIVS *de re vestiar. part. I. lib. I. cap.* 30. & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 834. suppeditant.

Item vestis quotidiana propter alios vsus varie mutata; vt tamen præcipuus fuerit in cœna. Idem MARTIALIS *lib. V. epigr.* 79:

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,
At mutata tibi est syntheſis vndecies.

CAP. IX.

DE LACERNA.

§. I.

LACERNA proprie erat vestis militaris, quod ex OVIDIO *fastor. lib. II. v.* 745. & PROPERTIO *eleg.* III. adparet. Ciceronis ætate nondum in vrbe gestata: nam *Philipp. II. cap.* 30. Antonio obiicit, quod contra morem lacerna vsus fuerit in vrbe & municipiis. Vide *notas* nostras ex GELLIO. o)

§. II.

o) Adde VELLEIVM PATERCVLVM *lib. II. cap.* 70. §. 2. & *cap.* 80. §. 3. Per bella triumuirorum ciuilia, quum toga in desuetudinem abire paullatim inciperet, in vrbem habitus hic receptus est. Ciceronis tamen temporibus adhuc vestimenti istud genus in vrbe non admodum cognitum, immo probrosum fuisse, ex eius *orat. II. Philipp. cap.* 30. intelligitur. Ex lana crassiore lacernam confectam fuisse, MARTIALIS *lib. II. epigr.* 46. v. 2. & *lib. VI. epigr.* 11. v. 7. docet. Quoniam lacerna ex castris in vrbem venit, ea chlamydis fere forma prædita fuisse videtur; ita tamen, vt, quum vrbanus fieret habitus & togæ loco sumeretur, latior ac longior chlamyde efficeretur, quæ vestis per ordinem vix ad genua pertingebat. Sæpe togæ, pluuiæ vel frigoris caussa, superinduebatur. Lacernæ erant vel nigræ, vel coccineæ, vel alio colore tinctæ: conf. LAZAR. BAYFIVM *de re vestiar. cap. XVI.* & OCTAV. FER-

§. II.

Poſt adſumta pluuiarum cauſſa. PLINIVS *lib. XVIII. cap.* 25. Superiiciebatur pluuiæ cauſſa ipſi togæ, quod MARTIALIS indicat *lib. XIV. epiſt.* 137:

Quum tegit algentes alba lacerna togas.

Intellige in ſpectaculis. Præter albas erant etiam, vti purpureæ & rufæ lacernæ, ita fuſcæ & pullæ. MARTIALIS *lib. XIV. epiſt.* 119:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia, rufis.

Et SVETONIVS *Auguſto cap. XL: viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, en!*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Negotium ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro Romano circoue, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere.

§. III.

Materia erat lana, ſed craſſa & denſa in hibernum vſum, leuis & detrita in æſtiuum. Craſſæ plerumque erant villoſæ ac hircæ, ideoque *gauſapinæ* dictæ. Nam gauſape villoſa veſtis & intonſa, de qua MARTIALIS *lib. VI. epigr.* 59. & *lib. XIV. epigr.* 29. Lacernæ etiam adiectus *cucullus*, ſiue *cucullio*, capitis tegendi cauſſa. Acceſſit abuſus, vt nocte laterent, ne cognoſcerentur. HORATIVS *lib.* II. *ſat.* 7. *v.* 55:

* * * *odoratum caput, obſcurante lacerna,*

Et

FERRARIVM *part.* I. *lib.* I. *cap.* 1. ſeq. SVETONIVS *vit. Claud. cap. VI.* §. 3. docet, Romanos lacernas ad honoris & reuerentiæ ſignum depoſuiſſe, aduenientibus principibus ac viris ſumma dignitate præditis.

Et CAPITOLINVS in *Vero cap. IV.* Dicitur etiam *bardo-cucullus* compósite & *birrus Gallicus.*

CAP. X.

DE PÆNVLA. p)

§. I.

ITINERARIVM erat vestimentum. CICERO *pro Milone cap. X.* de Milonis itinere: *quum cum vxore veheretur in rheda pænulatus, vulgi magno impedimento.* Superius ergo vestimentum erat, nivibus, pluuiis, aliisque incommodis arcendis idoneum.

§. II.

Sero in vrbem inducta pænula, quod ex IVVENALIS *sat. V. v. 7. & 9.* probari potest. Tempore Alexandri Seueri etiam publice id permissum. LAMPRIDIVS *in vita eius cap. XXVII.* tradit, senatoribus (alii *senibus* legunt) frigoris caussa pænulam permissam in vrbe, additque, *quum id vestimentum semper itinerarium, aut pluuiæ esset.* Materia pænulæ diuersa; pleraque autem lanea, aut

p) Pænula erat tam ex corio, *scortea* dicta, quam ex lana atque ita facta, vt, perinde ac toga, clausa quidem, ea vero angustior & breuior esset, & vtroque brachio subduceretur. De ea pluribus commentantur: IO. BAPT. DONIVS *de vtraque pænula, tom. VI. thes. ant. Rom. Græuii,* p. 1149. IAC. SPONIVS *miscell. erud. antiquitatis* p. 313. CLAVD. SALMASIVS *not. ad Tertull. de pallio* p. 80. & *not. ad Lampridium tom. I. script. hist. Aug.* p. 774. & 925. seq. BARTH. BARTHOLINVS *de pænula:* LAZAR. BAYFIVS *de re vestiar. cap. XVI.* aliique plures.

Landesbibliothek Oldenburg

aut gausapina. Vide MARTIALEM *lib. XIV. epigr.* 145. Erat etiam scortea: ibidem *epigr.* 130.

CAP. XI.

DE TVNICA. q)

§. I.

TVNICA pressa vestis, & corpori adstricta, græce χιτών. Non erat vnica, sed multiplicari poterat, ideoque distincta inter interiorem & exteriorem. Interior vocabatur etiam *subucula*, r) item *interula*. Exterior autem erat,

q) Vide ALD. MANVTIVM *de tunica Romanor. tom. VI. thes. ant. Rom.* p. 1203. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Tertull. de pall.* p. 71. OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. part. I. lib.* 3. *cap.* 1. RVBENIVM *lib. II. elect. cap.* 20. SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 335. aliosque.

r) Ea respondebat nostris *camisiis*. Gestabatur sub tunica, quod HORATIVS *lib. I. epist. I.* v. 95. innuit:

Si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ.

Antiquo tempore vnica tantum tunica Romani vtebantur, vt ex VARRONE apud NONIVM constat; postea vero, quum molliorem & delicatam vitam gerere paullatim adsuescerent, duplicare cœperunt hoc vestimentum, atque a pristina simplicitate, quam vt moribus, sic etiam habitu olim significabant, recedere. Prudentiores tamen & frugaliores semper improbarunt hunc corruptum gentis suæ morem, ac pro signo luxurioſi hominis reputarunt; ex quo verba seruatoris intelligere possumus, discipulos suos *Marc. VI. v.* 9. adhortantis: μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας, *ne induerentur binis tunicis*,

erat, cui toga superiiciebatur. SVETONIVS *in Augusto cap. LXXXII: hieme quaternis cum pingui toga tunicis & subuculæ thorace laneo muniebatur.* De interiore tunica VALERIVS MAXIMVS *lib. VII. cap. 4. exempl. 5.* in Q. Metello consulatur.

§. II.

Longæ ac talares tunicæ virorum in opprobriis erant, quasi mollitiem & effeminatum animum significantes: dictæ HORATIO *lib. I. satyr. 2. v. 25. tunicæ demissæ.* Pariter manicatæ tunicæ, siue manuleatæ improbantur, vt non tantum ex GELLIO *lib. VII. cap. 14.* constat, verum etiam ex CICERONE *Catilin. II. cap. 10.* vbi in delicatis & luxuriosis Catilinariis notat *manicatas & talares tunicas*, ad quem locum etiam GELLII verba adscripsimus.

§. III.

Præstantiorum hominum, id est, senatorum & equitum, tunica clauis purpureis erat distincta, pro senatoribus latis, pro equitibus angustis. Hinc tunica vel laticlauia, siue lati claui, qua senatores vtebantur; vel angusticlauia, seu claui an-

quoniam duarum tunicarum vsus, signum intemperantis ac prodigi hominis esse, eo tempore credebatur: adde IO. AVG. GROEBELIVM *de duabus tunicis, in miscellan. Lipsi. tom. XII.* p. 137. vbi ostenditur, quid per χιτῶνα sit intelligendum, & quæ eius forma apud veteres fuerit. In sola tunica publice incedere, abiectum & inhonestum habebatur apud Romanos: conf. SVETONIVM *vit. Aug. cap. XXIV.* Fila & flocci dependentes, infimæ tunicarum parti adsutæ, *fimbriæ* nomen habebant, eæque in diuitum vestibus sæpe aureæ erant.

Landesbibliothek Oldenburg

anguſti, quam geſtabant equites. s) PLINIVS *lib. VIII. epiſt. 23. num. 2: latum clauum in domo mea induerat*, id eſt: tunicam lati claui ſenatoriam. Adde *lib. II. epiſt. 9. num. 2.* HORATIVS *lib. I. ſat. 6. v. 28:*

- - - latum demiſit pectore clauum.

SVETONIVS *in Auguſto cap. XCIV: ſumenti virilem togam, tunica lati claui reſuta ex vtraque parte ad pedes decidit.* Hic vero puer extra ordinem ab auunculo maiore Iulio Cæſare ſenatoriam togam acceperat. Anguſticlauii (ab anguſti claui tunica ita adpellati) erant equites. VELLEIVS PATERCVLVS *lib. II. cap. 88.* de Mæcenate, qui noluit in ſenatum cooptari: *vixit anguſto clauo bene contentus, nec minora conſequi potuit, ſed non tam concupiuit.*

SECT. II.

DE VESTIBVS MILITARIBVS.

§. I.

VESTES militares erant breuiores agilitatis

s) ALB. RVBENIVS *in egregio ſuo de re veſtiaria* commentario primus nos veram clauorum in tunicis Romanis formam monſtrauit. Fuſe enim ibi probauit, clavum non rotundum ad capitis claui formam, ſed oblongum inſtar lineæ purpureæ fuiſſe, quæ per totam tunicam a ſumma ad imam oram extenderetur; tunicam ſenatoriam vno tantum lato clauo, equeſtrem vero duobus iisque anguſtis ornatam eſſe; ſenatoriam tunicam inde *claui* & *purpuræ*; equeſtrem vero *clauorum* & *purpurarum* in multitudinis numero habuiſſe nomen; in veſte palmata & purpurea clauum hunc aureum exſtitiſſe; mappas clauatas pari modo factas, ac linea purpurea in ora præditas fuiſſe.

Landesbibliothek Oldenburg

tis causſa. Nec interiores militum vestes a ceteris erant distinctæ, sed tantummodo exterior, quam generali nomine adpellabant *sagum*, t) quod togæ opponebatur, vt hæc pacis, illud belli signum esset. NONIVS: *sagum, vestimentum militare.* Dicitur etiam *sagulum* frequenter diminutiui forma, quia breuius, quam toga erat. VIRGILIVS *Aeneid. lib. VIII. v.* 660:

Virgatis lucent sagulis.

& SVETONIVS *in Augusto cap. XXVI: centurio princeps legationis reiecto sagulo ostendens gladii capulum.* Hinc dicuntur *sagati & sagulati.* CICERO *Philipp. XIV. cap. I: cras sagati prodeamus.* SVETONIVS *in Vitellio cap. XI: sagulatis comitibus.* Nec in bello tantum & castris sagorum vsus erat, sed belli etiam tempore grauioris periculosioris-que in vrbe ciues omnes sagati erant. Vid. *epit.* LIVII *lib. LXXII.* de Italico bello, quod etiam *Marsicum*, seu *sociale* dicitur: *saga populus sumsit; & epit. lib. LXXIII: ob eam victoriam Romæ saga posita sunt.* u) §. II.

t) Sagum apertum & fibula instructum toga breuius, tunica vero paullo longius fuit: conf. FERRARIVS *de re vestiar. part. II. lib.* 13. *cap.* 8. *seq.* Eo vtebantur non solum gregales & manipulares milites, sed etiam ipsi ordinum duces, quemadmodum de centurionibus & tribunis ex SVETONIO *vit. Aug. cap. XXVI.* & LIVIO *lib. VII. cap.* 34. liquet. Vestes eiusmodi apertæ, vt sagum fuit, ne de humeris caderent, fibula nectebantur, de cuius figura OCTAVIVM FERRARIVM *de re vestiar. part. II. lib. I. cap.* 16. adeas.

u) Adde hæc VELLEII verba *lib. II. cap.* 16. §. 4: *tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt per biennium*

§. II.

Paludamentum ducis erat, siue imperatoris vestimentum exterius, qui inde *paludatus* dictus. PLINIVS *lib. XXII. cap.* 2. dixit *imperatoria paludamenta.* LIVIVS *lib. IX. cap.* 5. de consulibus in furculis caudinis: *paludamenta detracta.* Origo ostenditur a FLORO *lib. I. cap.* 5. qui & *lib. IV. cap.* 2. Iulii Cæsaris paludamentum memorat. CICERO *lib. XV. epist.* 17: *Pansa noster paludatus profectus est.* Græci dicebant *chlamydem*, quæ eadem ac paludamentum, x) vt NONIVS MAR-

nium continuum duo Romani consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, vtque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Pro materia eamque præparandi ratione pretium sagorum differebat: militum enim gregalium & manipularium saga crassiora ac viliora iis fuerunt, quibus ordinum duces vtebantur. A sago Romano, Gallicum, Germanicum & Hispanicum secundum formam paullulum differebat. Plura edisserit memoratus FERRARIVS *libro laudato.*

x) Multi putant, sagi & chlamydis nullam fuisse differentiam apud veteres. Sed discrimen satis patet ex TREBELLIO POLLIONE *vit. Claud. cap. XIV.* p. 385. vbi *sago-chlamydis*, siue vestis, cuius forma ex sagi & chlamydis figura simul composita fuit, fit mentio, ad quem locum SALMASIVS obseruat, sagum quadratum, chlamydem vero rotundam fuisse. *Sagum* militum, *paludamentum* imperatorum proprium fuit; *chlamys* vero in antiquis ingenii monimentis & militibus & eorum ducibus adscribitur. Satis hoc patet ex veterum testimoniis, quæ apud PITISCVM *lex. ant. Roman.* vocibus *chlamys*, *paludamentum* & *sagum* leguntur: adde LAZA-

RVM

CELLVS obseruauit. Inde CICERO *pro Rabirio postum. cap. X. chlamydatum* Luc. Sullam imperatorem dixit. Raro autem Latini vtuntur voce *chlamydis*.

SECT. III.

DE VESTIBVS MVLIERVM.

§. I.

VESTIS mulierum præcipua & propria erat stola & palla. *Stola* ad talos vsque, siue plantas demittebatur, y) multis rugis ac plicis constricta. HO-

RVM BAYFIVM *de re vestiar. cap. II. & XIV.* OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. lib. II. cap. 3. seq.* & IVST. LIPSIVM *de milit. Rom. lib. II. cap. 12.*

y) Stola manicata & talaris fuit plerumque limbis purpureis atque aureis ornata: conf. PHIL. LVDOV. HANNEKENIVM *de cur. domest. Rom. diss. I. cap. 3. §. 9. p. 40.* Matronæ purpureas stolas gerebant; in luctu vero albæ erant, quamuis id alii de atro colore sibi persuaderent. Stolam cingebat *zona*, quapropter ea a MARTIALI *lib. XIV. epigr. 131.* ad muliebria refertur ornamenta. Stolæ loco in luctu *ricinium* sumebant, de quo vestimenti genere OCTAV. FERRARIVS *analect. de re vestiar. cap. IX.* CONR. RITTERSHVSIVS *ad leg. XII. tab. class. I. cap. 4.* & 10. KIRCHMANNVS *de funerib. Romanor. lib. II. cap. 17. p. 236.* seq. legendi sunt. Gerebant etiam *amiculum*, quæ vestis fuit superior, teste LIVIO *lib. XXVII. cap. 4. lib. XXXIV. cap. 7.* *Mitra* muliebre capitis tegumentum erat: vid. CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian.* p. 392. De *calantica*, etiam a mulieribus capiti imposita, ANDR. TIRAQVELLVS *not. ad Alex. ab Alexandr. lib. V. cap. 18*; *de reticulis & vittis*, quibus feminæ comam co-

HORATIVS *lib. I. sat. 2. v. 99.* & MARTIALIS *lib. III. epigr. 93. v. 4.*

§. II.

Palla superior mulierum vestis dicebatur, stolæ superaddita & itidem in talos dependens. Vnde etiam *longa* VIRGILIO vocatur *Aeneid. lib. XI. v. 576.* Vide ibidem SERVIVM. A palla differt *pallium*, quod virorum erat in Græcia & philosophorum. z)

cohibebant, GER. IO. VOSSIVS *etymolog.* voc. *reticulum*, & LAZAR. BAYFIVS *de re vestiar. cap. XX.* videndi sunt. De *calceamentis* feminarum THOM. DEMPSTERVS *not. ad Rosin.* p. 946. aliique plures exponunt. De veste muliebri, quæ *cyclas* dicebatur, CLAVD. SALMASIVS *not. ad Vopiscum, vit. Saturn. cap. IX.* & *ad Tertullianum de pallio* p. 110. consulendus est. Horum vestimentorum materia, ex qua ista constabant, ornatus, color ac modus texturæ maxime differebant. Memorantur enim apud antiquos scriptores vestes linteæ, sericæ, holosericæ, holoueræ, subsericæ, purpureæ, amethystinæ, auro pertextæ, conchyliatæ, floridæ, herbidæ, papaueratæ, pellucidæ, vitreæ, pexæ, plumeæ, plumatæ, pelliceæ, soriculatæ, virgatæ, vndulatæ cet.

z) Merito reliqua vestimentorum Romanorum genera, a nostro auctore omissa, addi debent. Pertinent huc:

1) *Caracalla*, quæ lucernæ fere formam habebat & ad talos vsque defluebat. Antoninus Caracalla vestem hanc ex Gallia Romam traduxit, & ex ea cognomen quoque suum obtinuit. Consule CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartianum vit.* eius *cap. IX.*

2) *Cucullus*, quo tempore pluuiæ ac tempestatis caput & tergum obtegi solebat: vide OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. part. II. lib. I. cap. 22.*

3) Co-

3) *Colobium*, siue tunica sine manicis, & lato clauo ornata. Differit de eo CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plin.* p. 751. & *not. in Tertull. de pallio* p. 85.

4) *Gausapa*. Vestimentum fuit ex pingui ac densa lana confectum & ex vna parte villosum: conf. OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. part. II. lib. I. cap.* 8.

5) *Endromis*. Villosa fuit vestis, quam post cursum induebant veteres, ne frigus corpori, ex sudore madido, officeret: conf. CLAVD. SALMASIVS *not. ad Tertullian. de pall.* p. 310.

6) *Amphimallum*, quod vestis vtrimque villosa & ad frigus depellendum facta erat: legas LVDOV. CÆL. RHODIGINVM *lib. XVI. lection. antiqu. cap. II.* Huius generis & *amphitapæ* erant, quæ dormientibus potissimum supponebantur.

7) *Subarmale* fuit sagulum crassum, quod sub armis ponebatur, ne eorum durities corpori incommodum adferret.

8) *Pallium*, quod peregrina vestis aperta fuit, & quidem ita comparata, vt omnibus reliquis vestimentis iniici eoque totum corpus inuolui potuerit: conf. OCTAV. FERRARIVM *de re vestiar. part. II. lib. IV. cap.* 1-18. vbi copiose de hoc vestis genere differit, cui CLAVD. SALMASIVS *not. ad Tertullianum de pallio* adiungi potest.

9) *Dalmatica*, quæ tantum a chlamyde differebat, quantum tunica a pallio. Erat manicis & angusto clavo ornata: conferas SALMASIVM memoratis in *Tertullianum de pallio obseruationibus* p. 85.

10) *Birrhus*, qui post togarum vsum in consuetudine Romæ fuit, a christianis quoque, iis potissimum, qui sacro ordini adscripti erant, retentus. Plura SALMASIVS *loco indicato* p. 88. dabit.

11) *Thorax*. Fuit vestimenti genus, quod ex ære, ferro, vel corio fiebat, & pectus ad ictus repellendos muniebat. Eo Augustum esse vsum, SVETONIVS *vit.* eius *cap. LXXXII.* testatur.

12) *Pileus*. Is per ordinem ex lana coacta compone-

Landesbibliothek Oldenburg

nebatur. Forma pileorum Romanorum diuersa erat. Alii rotundi & ad galeæ formam efficti, alii pyramidis fere figura ornati, alii altiores, alii denique depressiores erant. Plerumque Romani nudo capite incedebant; nec pileis vtebantur, nisi in saeris, saturnalibus, peregrinationibus ac militia. Præterea adsunt etiam exempla, ægros, senes ac nouos libertos in signum libertatis pileum gessisse. De *pileo* commentatus est singulari *libro* ANSELMVS SOLERIVS, sub quo ficto nomine THEOPHILVS RAYNAVDVS latet, Lugd. Batav. MDCLV. Amstelod. MDCLXXI. *tom. VI. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1213. vbi & reliqua capitis tegumenta veterum Romanorum percensentur.

13) *Capillamentum.* Erat id capitis tegumentum, ex alienis capillis longioribus consutum: conf. SVETONIVM *vit. Calig. cap. XI.* PETRONIVM *cap. LXX.* TERTVLLIANVM *de cultu feminarum cap. VII.* & ex recentioribus ANSELMVM SOLERIVM *de pileo, sect. III.* WOWERIVM *not. ad Petronii memoratum locum*, ADR. IVNIVM *de coma cap. VII.* & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 527. Apud Romanos per ordinem pueri comati, viri vero tonsi erant, quamuis postea & isti, quum in dies delicata ac mollis vita crescceret, comam alerent, calamistro intorquerent & in gradus formarent, quemadmodum ex SVETONIO *vit. Tiberii, cap. XLVIII.* & QVINCTILIANO *lib. I. institut. orator. cap.* 6. aliisque testimoniis, a CASAVBONO *not. ad* hunc *locum Suetonii* collectis, p. 174. videmus, cui IAC. GRASSENVS *in antiquit. Nemausens. tom. I. thesaur. Sallengriani* p. 1078. adiungendus est, vbi de ratione veterum, comam cristandi, disserit. Diuinus legatus Paullus 1. *epist. ad Corinth. cap. XI. v.* 14. sine dubio verbis ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ ἀτιμία αὐτῷ ἐστι ad Græcorum opinionem respexit, qua viris, comam alere, turpe habebatur: vid. IAC. PERIZONIVM *not. ad Aelian. lib. IX. var. histor. cap. 4.* In luctu comam depositam a veteribus fuisse, satis notum est. Omnia, quæ ad antiquitates de coma spectant, nemo diligentius perse-

quutus est CLAVD. SALMASIO *de cæsarie & coma*, cui ii addi possunt, quos IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar. cap. XVIII.* §. 6. p. 564. laudat. De barba veterum Romanorum & de variis istam alendi ac deponendi consuetudinibus consulendus est ANTONIVS HOTTOMANNVS *dial. de barba*, qui Antwerpiæ MDLXXXVI. prodiit & a SAM. PITISCO *tom. I. lex. ant. Rom.* p. 252. translatus est.

14) *Chirothecæ.* Iis Romanos nonnunquam ad arcendum frigus vsos esse, PLINIVS *lib. III. epist.* 5. docet. Differebant partim *forma*, quum aliæ digitos omnes exprimerent, inde *digitalia* vel *digitabula* dictæ; aliæ vero sine digitis essent: partim *materia*, quæ lana coacta, texta, sericum cet. erat: conf. IO. NICOLAI *libro* singulari *de chirothecarum vsu & abusu*, Giessæ MDCCI.

15) *Femoralia*, *tibialia* & *perisceliden*. Braccarum vsus a moribus Græcorum & Romanorum maxime alienus fuit, sed earum loco fasciis, quibus pedes, crura & femora inuoluebant, vsi sunt. Aegroti atque imbecilles primi eiusmodi fascias adhibebant, a quibus postea & ad alios, mollem ac delicatam vitam amantes, transierunt, id quod Ciceronis potissimum æuo factum est. Errant, qui sibi persuadent, subligacula ad braccarum nostrarum similitudinem accessisse. Ista enim nihil aliud, quam pannum fuerunt, quo luperci currentes, scenici, athletæ cet. pudenda velabant. Vsum ipsum braccarum postea Romani a Gallis braccatis, Germanis, Gothis aliisque populis septentrionalibus didicerunt. Fuse de eiusmodi femoralibus veterum Romanorum differit ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Suet.* p. 260. seq.

16) *Calcei*, qui primum ex corio, deinde ex aluta, immo quoque ex linteo conficiebantur. Patriciorum calcei altiores erant, & ad medium fere crus adscendebant, habebantque quatuor corrigias, siue ligulas. Varii coloris eiusmodi erant calcei. *Mullei*, singulare calceorum genus, rubri, coccinei, purpurei & punicei

co-

coloris ac elegantibus figuris ornati plerumque reliquis calceis paullo altiores erant. Alii albi, alii prasini, alii viridis coloris fuerunt. Patriciorum calceis *lurula* adsuta erat, siue nota *numeri centenarii*, quoniam initio centum patricii fuerunt senatores. A calceo *solea* differt. Ille enim totum pedem, hæc plantam tantum tegebat, ac superior eius pars habenis ac loris vinciebatur. Græcorum *sandalia* a Romanorum soleis initio haud diuersa erant; succedente autem tempore Romani sandaliis superius quoddam integumentum addiderunt, idque in eo a calceo Romano diuersum fuit, quod corium calcei longius esset & ad mediam extenderetur tibiam, sandalium vero superiorem tantum plantæ partem tegeret, quemadmodum BALDVINVS, mox excitandus, docet. Quando enim Romanorum sandalia a soleis non diuersa fuissent, quomodo veteres scriptores dicere possent, ea coloribus & auro ornata fuisse, quemadmodum ibidem BALDVINVS probat. De discrimine inter soleas & crepidas auctores dissentiunt. Nonnulli nullum plane admittunt; alii vero soleas a crepidis ita distinguunt, vt illæ simpliciores ac leuiores, hæ vero crassiores fuerint, & alii denique differentiam in eo ponunt, quod soleæ iugum habuerint, siue corium supra digitos pedum, crepidæ vero eo caruerint. *Soccus* corium erat sine ligno & subere, quod superiorem & inferiorem pedis partem tegebat. De caliga & ocrea iam supra actum est. Calcei altiores, ex crudo corio conflati, *perones* dicebantur. Cothurni itidem calcei altiores erant, tragœdorum potissimum proprii, quorum statura in illis longior & procerior videbatur. *Cambagus* genus caligarum fuit, ex barbaris gentibus Romam delatum. Constabat ex solea & loris ac corrigiis, quæ, inter se opere reticulato flexa, ad medium vsque crus pertingebant. *Tzangæ* adpellabantur imperatorum posterioris æui pretiosa calceamenta, quibus gemmæ & aureæ figuræ, inprimis aquilæ, intextæ erant. De *phæcasiis*, *sicyoniis*, aliisque calceamentorum generibus, a barbaris Romam deductis, breuitatis caussa nihil commemorabo.

memoro. Plura de his calceamentorum generibus exhibent: BENEDICTVS BALDVINVS *de calceo antiquo & mystico*: ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. II. cap.* 1. vbi *de calceo senatorio* exponit: SALMASIVS *in excerptis de calceo ex eius commentario ad Tertullianum de pallio*, quæ editioni paullo ante indicati libri Balduini a IOH. FRIDERICO NILANTIO Amstelodam. MDCCXI. emissæ, vna cum NIGRONII libro *de caliga veterum*, & laudata RVBENII *diatrib.* addita sunt: OTTO SPERLINGIVS *de crepidis veterum*, *tom. IX. thes. ant. Græcarum Gronouii*, p. 961. aliique apud IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiquar. cap. XVIII. §.* 10. p. 574.

Huc & quodammodo *scabella*, siue *scabilla* referenda sunt; de quibus vero eruditorum sententiæ valde differunt. Fuerunt illa instrumentum musicum, quod pedibus pulsabatur; quomodo autem id confectum fuerit, certe dici haud potest. Plurimi credunt, *scabella* hæc soleas ferreas, aut ligneas fuisse, parte anteriore ita fissa, vt, si pedibus adligata fuerunt, concuti possent, & ex concussione crepitus ac sonitus excitaretur. Ab hac sententia SALMASIVS *not. ad Vopiscum vit. Carin. cap. XIX.* discedit, ac putat, scabellum illam partem instrumenti vocatum fuisse, quæ soleis ferreis ac ligneis, pedi adligatis, tacta fuerit. Figuram eiusmodi scabillorum exhibent ALB. RVBENIVS *de re vestiar. lib. II. cap.* 17. & SAM. PITISCVS *not. ad Sueton.* p. 615. quibus IVL. CÆS. BVLENGERVS *de theatr. lib. II. cap.* 19. VAL. CHIMENTELLIVS *de honor. bisell. cap. XXIX.* DONIVS *diss. de scabillis*: IAC. SPONIVS *miscell. erud. antiqu. sect. I. tab.* 45. & FRID. ADOLPH. LAMPE *de cymbal. vet. lib. II. cap.* 21. addendi sunt.

His & alia addi possunt, quæ ad caput hoc de vestitu Romanorum referri debent. Pertinet huc:

1) *Zona*, siue cingulum, quo vestes discingere veteres solebant. Iis potissimum puellæ & virgines vtebantur, itemque milites, qui ex eiusmodi cingulis gladios suspendebant.

2) *Cru-*

2) *Crumenæ*, siue sacculi, a collo dependentes, in quos pecuniam, ex mercibus venditis acceptam, immittebant Romani: conf. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Theophrast.* p. 219.

3) Infantibus quoque adpendebantur *amuleta* ad auertenda mala, de quibus MARTIN. LIPÆNIVS *de strenis cap. III.* §. 11. videndus est: itemque infantibus expositis *crepundia*: conf. IO. SCHEFFERVS *de antiquor. torquib. cap.* 5.

4) Memoranda quoque hic sunt *periscelia*, *inaures*, *armillæ*, *torques*, *annuli*, aliaque ornamenta veterum pretiosa, de quibus scriptores suppeditat IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu. cap. XVIII.* §. 8.

LIB. X.

DE FVNERIBVS ROMANORVM. d)

SECT. I.

DE EXSEQVIIS.

§. I.

DEDVCTIO funeris ex funesta domo ad locum sepulturæ certis ritibus fiebat, quorum præcipuos CICERO indicat *pro Milone*

a) De hoc argumento commentati sunt: CLAVD. GVICHARDVS *de funeribus apud Romanos, Græcos aliasque gentes*: FRANC. PERRVCCIVS *in pompis funebrib. omnium gentium*: IOSEPHVS LANZONVS *de luctu mortuali veterum, tom. III. thes. ant. Rom. Sallen-*

lone cap. XXXII. & quos nunc breuibus explicare animus est, si hoc prius præmonuerimus, non de quouis nobis, sed sollemniore exsequiarum ritu sermonem esse.

§. II.

Igitur facta *conclamatione* b) & peractis reliquis,

lengriani, p. 782. LILIVS GREGOR. GYRALDVS *libr. de sepulcris & vario sepeliendi ritu:* IO. FAES *not. ad hunc Gyraldi librum:* IO. ANDR. QVENSTEDTIVS *de sepultura veterum:* IO. MEVRSIVS *libr. de funere:* PETR. MORESTELLVS *in pompa ferali, tom. XII. thes. ant. Rom. Græuii*, p. 1354. IAC. GVTHERIVS *de iure manium eod. tom. huius thes.* p. 1077. IO. KIRCHMANNVS *de funerib. Romanor.* aliique plures. Veteres, & speciatim Romani, summo studio mortuorum suorum funera rite efferenda, & vel cadavera, vel ossa eorum sepelienda curarunt, quoniam existimabant, insepultorum animas, ex corpore euolantes, ad quietas sedes non admitti, easque ad minimum per centum annorum spatium apud Stygiam paludem oberrare debere; quam in rem VIRGILIVS *lib. VI. Aeneid.* consuli potest. Quapropter Romani in eo elaborarunt, vt, quum adhuc in vita essent, de sepulcro sibi prospicerent, vt ex variis apud GRVTERVM *inscriptionibus* satis patet.

b) Ante ipsam conclamationem varii cum moribundis ritus peragebantur. Quum iam in eo esset, vt animam ægrotus efflaret, amici & propinqui eum amplecti morientemque osculari solebant, eo potissimum fine, vt emigrantem animam exciperent, quippe quam ex ore, tamquam ex ianua, discedere & corpus ita derelinquere, existimabant; quemadmodum ex CICERONE *orat. Verrin. V. cap.* 45. VIRGILIO *lib. IV. Aeneid.* v. 684. QVINCTILIANO *declam. VII.* & PEDONE ALBINOVANO

quis, quæ in tali luctu iusta existimabantur, procedebat funus ita, vt imagines maiorum præ-

fer-

VANO *de morte Drus.* v. 95. patet. Eumdem morem etiam obseruabant, quando mortui in rogum deferebantur, vt ex PROPERTIO *lib. II. eleg.* 10. v. 29. & TIBVLLO *lib. I. eleg.* 1. v. 75. liquet: conf. IO. KIRCHMANNVM *de funerib. Rom. lib. I. cap.* 5. p. 38. IAC. GVTHERIVM *de iur. man. lib. I. cap.* 12. & IO. MEVRSIVM *de funere cap. III.* His peractis, mortuo oculos claudebant, testibus OVIDIO *lib. IV. trist. eleg.* 3. v. 43. *heroid. epist. X.* v. 119. LVCANO *lib. III. pharsal.* v. 737. & VALERIO MAXIMO *lib. II. cap.* 1. *Conclamatio* ritus erat, quo mortuum nomine suo tribus aut quatuor repetitis vicibus vocabant, partim vt exeuntem animam retardarent, partim vt eam, in corpore adhuc commorantem, expergefacerent; lege PROPERTIVM *lib. IV. eleg.* 7. v. 25. & SERVIVM *not. ad Virgilium lib. VI. Aeneid.* v. 218. ex recentioribus autem IO. KIRCHMANNVM *de funer. Rom. lib. I. cap.* 13. p. 103. PETR. MORESTELLVM *in pompa feral. cap. IX.* & ARN. HENR. WESTERHOFIVM *not. ad Terent. eun. act. II. scen.* 3. v. 56. Post conclamationem iterum varii peracti sunt ritus, ex quibus hi præcipui fuerunt:

1) Ante domum, in qua mortuus erat, piceam & cupressum collocabant, quemadmodum ex PLINIO *lib. XVI. cap.* 10. & *cap.* 33. discimus. Cupressus enim Diti sacra fuit, vt idem PLINIVS monet. SERVIVS *ad Virgilii lib. III. Aeneidos* v. 64: *moris Romani*, inquit, *fuerat, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quis pontifex per ignorantiam polluueretur ingressus*; quare vero cupressum elegerint, FESTVS ita docet: *cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia huius generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil iam est sperandum, quam ob caussam in tutela Ditis patris esse credebatur.* Non tamen Romæ consuetudo

hæc

ferrentur, cantusque & neniæ præficarum audirentur. Vide SERVIVM *ad Virgilii Aeneid. lib. VI. v.* 218. PLINIVM *lib. XXXV. cap.* 2. HORATIVM

hæc tam antiqua esse potuit, quoniam, vt notum est, cupressus peregrina arbor fuit, paullo ante Catonis ætatem ad vrbem delata. Eandem ob caussam ea haud vulgaris ac communis erat, sed a diuitibus tantum ante ædes figi solebat, vt LVCANVS *lib. III. pharsal.* v. 442. docet.

II) *Corpus*, humi depositum, aqua calida abluebatur, quemadmodum ex ENNIO obseruat SERVIVS *ad Virgilii lib. VI. Aeneid.* v. 219. eo fine, vt spiritus vitales, si forsitan essent sopiti, nec plane exstincti, iterum reuiuiscerent: conf. IO. MEVRSIVM *de funerib. cap. IV.* & IAC. OISELIVM *not. ad Minuc. Felic.* p. 108.

III) *Membra*, si quæ in vltimis conuulsionibus detorta fuerant, *extendebantur* ac rite componebantur, vt PEDO ALBINOVANVS *de morte Drusi* v. 139. testatur.

IV) *Corpus vngebatur*, putredinis auertendæ caussa, vt ex PLINIO, tam maiore, *lib. XIII. hist. nat. cap. I.* quam minore, *lib. V. epist.* 16. ex APVLEIO *apolog.* p. 416. aliisque patet. Vtebantur hac in re potissimum sale, nitro, cedro, asphalto, melle, cera, myrrha, balsamis, gypso & calce, quemadmodum ex veterum scriptorum testimoniis KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. I. cap.* 8. p. 62. ostendit. Omnia hæc, quæ ad funus spectarunt, curanda in se suscipiebant mulieres, *funeræ* dictæ, quæ, vt idem KIRCHMANNVS ostendit, mortuos non solum lauabant, sed etiam vngebant, & testibus SENECA *ad Heluid. cap.* 11. & PLVTARCHO *Phoc.* p. 579. ossa post concremationem in sinum suum colligebant. Ditiorum ac nobiliorum funeribus non mulieres, sed *libitinarii* adhibebantur, a Libitina dea, defunctorum præside, ita dicti, qui non solum mortuorum per totum annum nomina in tabulas referebant,

sed

TIVM *epod. VIII. v.* II. SVETONIVM *in Cæsare cap. LXXXIV. Augusto cap. C.* LVCANVM *lib. VIII. v.* 734.

sed etiam ad id constituti erant, vt funera curarent, omniaque ea, quæ hic necessaria erant, rite disponerent. Cum his propinqui contrahebant, iisque pro certa promissu mercede totum exsequiarum adparatum committebant. Legas IO. KIRCHMANNVM *de funerib. Rom. lib. I. cap. 9.* PETR. MORESTELLVM *de pomp. funebr. lib. I. cap.* 15. & IO. FAES *not. ad Lil. Greg. Gyraldum de var. sepel. rit. cap. I.* Hi libitinarii in Libitinæ templo ea coëmebant, quæ ad funus rite efferendum pertinebant; per pollinctores corpus vnguendum, per vstores rogum parandum ac comburendum, & per alios alia peragenda curabant, quæ in elatione funeris a Romanis obseruabantur. De his pollinctoribus LAVR. PIGNORIVS *de seruis* p. 76. CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plinian.* p. 745. *not. ad Vopiscum vit. Aurelian. cap. XIV.* & IO. FAES *not. ad Lil. Greg. Gyraldum de var. sepel. ritu, cap. IX.* videndi sunt.

V) *Cadauer* lotum & vnctum *veste ornabant*, eaque honestissima, quam mortuus habuerat, dum inter vivos fuerat versatus. Mortui de plebe per ordinem toga, magistratus vero & senatores prætexta ornati erant. Pro conditione enim defunctorum mox viliores, mox pretiosiores vestes adhibebantur.

VI) His peractis, *cadauer floribus ac coronis ornabatur*, præsertim, si essent, quibus corona, vt victoriæ ex ludis ablatæ signum, data fuerat, idque ex *lege XII. tabularum*, quæ a PLINIO *lib. XXI. cap.* 3. recitatur. Præterea non solum cadauera mortuorum, sed etiam lecti ferales, vrnæ, in quibus ossa & cineres seruabantur, ac ipsa sepulcra iis illustrari solebant. Ipsæ coronæ componebantur ex rosis, myrto, liliis, amarantho, aliisque floribus; conf. CAROL. PASCHALIVS *de coronis*

v. 734. CICERONEM *de legibus lib. II. cap.* 24. & FESTVM *in præsicis.*

§. III.

ronis lib. IV. cap. 6. IO. KIRCHMANNVS *de funerib. Rom. lib. I. cap. II.* p. 87. & CONR. RITTERSHVSIVS *lib. VII. sacrar. lection. cap. I.*

VII) Tum *in os mortui obolum immittebant*, *quem* Charon, inferorum portitor, pro vectura acciperet. Is enim nauta erat, qui per Stygiam Acherontemque paludem animas mortuorum in naui traducebat: conf. CHRIST. EHRENFRID. SEIFFERTVM *diatr. de nummis in defunctorum ore repertis*, & CHRYSANDRVM *epist. ad Pertschium de naulo Charontis*, Helmst. MDCCXLV.

VIII) Vt ab omnibus cerni posset *mortuus*, is ex interiori ædium loco *in vestibulo collocabatur*, adposito custode, ne ab inimicis aut creditoribus ipsi iniuria fieret. Principum funeribus pueri adstabant, vt muscas amouerent. Ponebatur mortuus vel humi, vel in alto lecto, floribus ornato, ita vt facies ac pedes eius ad ianuam essent versi. Rituum horum testimonia atque exempla adferunt IO. KIRCHMANNVS *de funerib. Rom. lib. I. cap.* 12. p. 94. & CHR. FRID. ZEIBICHIVS *meletemat. de collocat. mortuorum in lecto ferali*, Witteb. MDCCXLV. Lecti funebris imaginem exhibet IO. SCHEFFERVS *lib. II. de re vehicular.* p. 89.

IX) Nonnulli etiam solebant, anteaquam mortuus efferebatur, ipsi *digitum abscindere* ac domi adservare, vt apud istum, quoties luctum renouare ac defuncti memoriam celebrare volebant, iusta fieri possent, secundum hæc FESTI verba: *membrum abscindi mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur, ad quod seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto;* alii vero loco digiti ossa mortuorum collecta in domum suam transferebant, quæ tamen consuetudo iam in legibus decemuiralibus vetita fuit: conf. IO. KIRCHMANNVS *lib. III. cap.* 7. p. 358.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Tum laudatio funebris pro rostris a proximo agnatorum, vel, si deesset ex his, qui tale officium præstare defuncto posset, a clarissimo aliquo ac doctissimo viro habebatur, eaque finita, promotum inde funus extra vrbem in eum deducebant locum, vbi vel humandum erat, vel igne comburendum. SVETONIVS *in Cæsare cap. VI. Tiberio cap. VI.* PLINIVS *lib. II. epist. I. num. 6.* & CICERO *de legibus lib. II. cap. 23.*

SECT. II.

DE COMBVSTIONE. c)

§. I.

ROMANI vt plurimum cremabant mortuos. Paucæ enim gentes aut familiæ erant, quibus

c) Fiebat elatio funeris ac combustio cadaueris octauo plerumque die post mortem, quum per septem, vt videtur, dies publice ad spectandum in vestibulo domus positum fuisset, vt ostendit IO. KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. II. cap.* 1. vbi tamen recte obseruat, consuetudinem hanc apud Romanos non vniuerse susceptam, sed alios citius, alios tardius elatos fuisse. Anteaquam funus ad combustionem efferebatur, varii obseruati sunt ritus. Præco voce clara funus indicebat, hisque circiter verbis, L. TITIO EXSEQVIAS IRE, QVIBVS COMMODVM EST, IAM TEMPVS EST, OLLVS EFFERTVR, ad exsequias populum conuocabat ac rogabat, vt magna frequentia adesset. Primis temporibus funera noctu efferebantur, vt ex DONATO ac SERVIO probat IO. KIRCHMANNVS *indicato loco* p. 111; hæc vero consuetudo in nobiliorum exsequiis

bus concedebatur defossio integri corporis, vt gens Cornelia, ex qua Sulla, ius talionis veritus, quod quiis postea mutabatur, ac viliores solum nocturno ef ferebantur tempore; cereorum tamen, facium ac candelarum vsus, etiam lucente sole, est retentus, nec id solum in ipso funere, sed in annuis quoque parentalibus. In ipsa pompa ferali, quam designatores disponebant, incedebant:

1) *Siticines*, qui instrumentis singularibus lugubrem edebant sonum. Ii duplicis erant generis. Nonnulli tibicines, alii tubicines erant; illi tibias, hi tubas canebant; vtraque vero instrumenta ceteris, per ordinem vsitatis, latiora ac laxiora, & ita facta erant, vt lamentabilem ac tristem efficerent cantum: conf. KIRCHMANNVM *de funer. Rom. lib. II. cap.* 4. & 5. BARTHOLINVM *de tibiis lib. II. cap.* 15. & OISELIVM *not. ad A. Gellium lib. XX. cap.* 11. De hoc veterum ritu varia scriptorum testimonia excitat 10. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu.* p. 662.

2) *Præficæ*, quæ ad tibiarum ac tubarum sonum lugubre canebant carmen, atque in isto defuncti laudes ac virtutes mirum in modum extollebant: conf. PETR. MORESTELLVM *pomp. feral. lib. II. cap.* 29. IAC. GVTHERIVM *de iure man. lib. I. cap.* 14. 10. MEVRSIVM *de funer. cap. XVIII.* & 10. FAES *not. ad Gyraldum libr. indicat. cap. XII.* Carmen, quod cantabatur, *næniarum* habuit nomen. Præficas in funeribus, indictiuis sollemnioribus, nonnumquam scurras ac mimos sequutos esse, ostendit 10. KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. II. cap.* 7. p. 155.

3) *Serui pileati*, si qui essent, quos moribundus dominus per testamentum libertatis iuribus ornauerat. Pileus enim libertatis habitum est signum: lege 10. KIRCHMANNVM *indicato loco.*

4) *Maiorum imagines*, quæ, ex cera factæ, in ædium atriis ornatus caussa ad parietes thecis ligneis imponi

quod C. Marii cadauer eruerat, testamento contra consuetudinem gentis cremari se iussit. CI-

poni & exsequiarum tempore depromi ac funeribus illustrium virorum præferri solebant, vt LACTANTIVS *lib. II. de falſ. relig. cap. II.* PLINIVS *lib. XXXV. cap.* II. & PROPERTIVS *lib. II. eleg.* 13. v. 19. aliique testantur. Imaginibus sæpe in illustrium ac principum funeribus insignia honorum, & quidem inuersa, spolia hostium, ornamenta triumphalia cet. addita sunt, vt ex PEDONE ALBINOVANO *de mort. Druſ.* v. 141. TACITO *lib. III. annal. cap.* 2. SVETONIO *vit. Cæſ. cap. LXXXIV.* aliisque liquet.

5) *Lectuli.* Sæpe maioris ostentationis caussa ante eum lectum, in quo mortuus positus erat, lectuli præferebantur, de quibus, præter alios, laudatus IO. KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. II. cap.* 7. p. 159. consulendus est.

6) *Ipse defunctus*, in lecto positus, qui, si illustris ac summa dignitate erat præditus, humeris efferebatur a magistratibus, quum pauperes in sandapila *vespillones* portarent. Legas SVETONIVM *vit. Cæſ. cap. LXXXIV. vit. Aug. cap. C.* HERODIANVM *lib. IV. IV. cap. I.* aliosque. De sandapila, siue feretro pauperiorum, videas IO. MEVRSIVM *de funer. cap. XX.* CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian.* p. 848. & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. vit. Domitian. cap. VII.* De *vespillonibus*, siue iis, qui tenuioris sortis homines in sandapila efferebant, IAC. GVTHERIVS *de iur. man. lib. I. cap.* 14. & IO. FAES *not. ad Lil. Greg. Gyraldum de var. ſepel. rit. cap. X.* agunt. De lectis & lecticis, quibus defuncti imponebantur, præter ceteros, IO. KIRCHMANNVS *libro memorato* p. 173. consuli potest. Sandapila, vt LIPSIVS *lib. I. elector. cap.* 19. obseruat, a quatuor; lectica vero, ditiorum propria, modo a sex, modo a quatuor, modo a pluribus viris por-

ta-

CERO *de legibus lib. II. cap.* 22. & PLINIVS *lib. VII. cap.* 54.

§. II.

tabatur. Ipsi mortui in lecticis & sandapilis, vel tectis vel apertis, efferebantur apud Romanos, vt memoratus KIRCHMANNVS *loco excitato* ostendit. Facies itidem vel aperta, vel vestibus inuoluta, vel larua tecta erat, pro ipsa mortui conditione, prout videlicet facies post mortem vel pulcra vel fœda fuit.

7) Funus sequebantur *propinqui* & amici mortuorum, habitu lugentium, vestibus nimirum atris, passis crinibus & puluere adspersis, sine ornamentis & annulis, velato capite, vel, vbi filiæ erant, nudo, & habitu albo, immo & sciſſis vestibus, quæ in luctu consuetudo Iudæorum propria quidem erat, ab illis tamen & ad alias gentes transiit. Omnes hi comites funerum flebilem præ se ferebant speciem ac tristes incedebant, cum profusione lacrimarum, additis nonnumquam contra deos querelis, ob triste hoc, quod permiserant, familiæ pariter ac totius vrbis fatum. In funeribus eorum, qui de republica optime meriti fuerunt, non cognatorum solum & amicorum turba, sed tota prope ciuitas mortuum sequebatur eumque comitari solebat. Nec viri solum, sed etiam feminæ exsequiis intererant. Patent hæc ex PLVTARCHO *quæst. Rom. XIV.* p. 267. PROPERTIO *lib. IV. eleg.* 12. v. 97. LIVIO *lib. IX. cap.* 46. SENECA *de tranquillit. vitæ cap. XII.* PLINIO *lib. XXXV. cap. II.* OVIDIO *lib. I. de pont. eleg.* 10. IVVENALI *sat. XIII.* aliisque multis. Crines in luctu tonsos rasosque defuncti vel pectori vel tumulo imponebant, vt IO. KIRCHMANNVS *de funer. Rom.* p. 218. seq. probat. Omnia, quæ de pompa funebri iam obseruaui, de illustrium ac diuitum exsequiis intelligenda sunt. Per se enim apertum est, pauperiorum ac viliorum funerum

§. II.

Ritus combustionis erat, vt rogus exstrueretur, cui defuncti corpus in lecto imponebant cum aromatum odoribus aliisque pretiosis, quæ defuncto cara fuerant. Tum post factam conclamationem postremam aliquis agnatorum face rogum accendebat. SERVIVS *ad Virgilii Aeneid. lib. VI. v.* 218. *seq.* SVETONIVS *in Cæsare cap. LXXXIV. seq.* & PLINIVS *lib. IV. epist. 2. num.* 3. & *lib. V. epist.* 16. *num.* 7. d)

rum adparatum non tam splendidum ac honorificum fuisse.

8) Tum funus ad forum cum toto comitatu procedebat, vt ibi pro rostris laudes mortui recitarentur. De his *laudationibus* vide IO. MEVRSIVM *de funerib. Roman. cap. XXXIV.* IO. FAES *not. ad Lil. Greg. Gyraldum de var. sepel. ritib. cap. VI.* IAC. GVTHERIVM *de iure manium lib. I. cap.* 25. & SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium vit. Cæs. cap. LXXXIV.* ad quem locum, vbi de Cæsaris funere est sermo, plura de ritibus in foro apud funera illustrium virorum obseruatis disserit. Iam apud Aegyptios orationes eiusmodi funebres in vsu fuisse, MARSHAMVS *chronic.* p. 273. obseruat, quamvis alii eas a Romanis primum inuentas fuisse credant.

d) Infantes, infra septimum mensem mortui, itemque serui, per ordinem non cremabantur; vt obseruant IO. KIRCHMANNVS *de funerib. Romanor. lib. I. cap.* 3. & IAN. RVTGERSIVS *lection. Venusin. cap. XVIII.* Non certe dici potest, quo tempore hæc, corpora defunctorum comburendi, consuetudo inceperit, & quando apud Romanos desierit. A plurimis statuitur, eam vsque ad extrema Antoninorum tempora durasse. Christianæ enim professionis homines, quemadmodum ex

TER-

SECT. III.
DE SEPVLTVRA.

§. I.

COMBVSTIONE peracta, e) quæ reliqua erant, id est, cineres & ossa, fictili vrnæ in-

TERTVLLIANO aliisque cognoscitur, in eo elaborarunt, vt paganum hunc ritum abrogarent, & quo magis religio christiana sese diffundebat, eo magis consuetudo hæc euanuit.

e) Combustio in *pyra*, quæ, vbi ardebat, *rogus* adpellabatur, facta est. Componebatur ea ex lignis facile ignem concipientibus, ita, vt latera quatuor æqualia haberet. Ligna antiquo æuo rudia, postmodum vero polita & picta erant, circumfusis cupressis, vt cadauerum fœtor exstingueretur. Per ordinem ex quatuor tabulatis constabat eiusmodi pyra, vt superiora, instar pyramidis, decrescerent & minora essent. In inferiore tabulato stramina, in proximo flores, in tertio thura & aromata, & in quarto vestes pretiosæ aliaque dona, ab amicis congesta, ponebantur. Altitudo pyræ pro defunctorum conditione differebat. Tenuiorum enim rogi depressiores; nobiliorum autem altiores exstiterunt. Propinqui pyram, pretiosis liquoribus & vnguentis conspersam, auersa facie accendebant, & nihil magis in voto habebant, quam vt, suborto vento, consumtio cadaueris acceleraretur. De pyra hac exponunt IO. KIRCHMANNVS *de funer. Rom. lib. III. cap.* I. IO. NICOLAI *de luctu Græcor. cap. XIII.* IO. MEVRSIVS *de funer. cap. XXV.* IO. FAES *not. ad Gyraldum de var. sepel. rit. cap. XII.* aliique plures. Mortui, in rogo positi, oculi iterum aperiebantur: conf. PLINIVM *lib. XI. hist. natur. cap.* 37. & VIRGILIVM *lib. IV. Aeneid.* v. 244. & *lib. IX.* v. 37. Locus ipse, vbi cadavera cremabantur, *vstrina* & *vstrinum* dicebatur, qua de

indita in sepulcro vel monumento condebantur. SVETONIVS *in Augusto cap. C.* DIO *lib. LXXVII. p.* 868. & EVTROPIVS *lib. VIII. cap.* 2. *num.* 17.

de re IO. MEVRSIVM *de funer. cap. XXV.* & *XLI.* IO. KIRCHMANNVM *de funerib. Romanor.* p. 314. THOM. REINESIVM *inscript.* p. 818. & IAC. SPONIVM *misc. erudit. antiqu.* p. 290. adeas. Cadauere igne consumto, & fauilla vino vel aqua conspersa, ab amicis & propinquis, lotis manibus, ossa & cineres, lacrimis, vino, lacte ac variis odoribus humidi, in vrnam colligebantur. Nec difficile erat, cineres mortui a favilla distinguere, quoniam cadauer in igne non disturbabatur, omnesque partes per ignem solutæ post concremationem fere vt integræ videbantur: conf. IO. ANDR. QVENSTEDTIVM *de sepultura vet.* p. 171. IO. KIRCHMANNVM *de funerib. Romanor. lib. III. cap.* 6. & IAC. GVTHERIVM *de iur. man. lib. I. cap.* 26. qui hæc, a me dicta, veterum scriptorum testimoniis confirmant. Eiusmodi vrnæ etiam nunc haud raro in effossa reperiuntur terra. Earum figuram exhibent, præter multos alios, a IO. ALB. FABRICIO recitatos, MICH. AVG. CAVSSEVS DE LA CHAVSSE *dans le grand cabinet Romain, part. V. art. I.* PETR. SANCTIVS BARTOLIVS *monumentis veterum sepulcral.* cum explicationibus IO. PETR. BELLORII *Rom. MDCXCI.* editis: PASSERII *diss. de vrnis sepulcralib. & de tegulis sepulcral.* quæ *tom. III. musei Goriani* exstat. De ipsis veterum Romanorum sepulcris, tam hereditariis, siue gentilitiis, quam familiarum propriis, eorumque structura, partibus, ac variis, quibus ornata erant, picturis, conferatur, præter ANT. BOSIVM & PAVL. ARINGHVM, PET. SANCTIVS BARTOLIVS, supra laudatus, *in sepulcris veterum*, seu *mausoleis Romanorum & Etruscorum, cum observationibus Italicis* IO. PETR. BELLORII, ab ALEX. DVKERO in latin. lin-

§. II.

Sepulcra vt plurimum ad vias erant, vt viatores etiam titulum legerent memoriamque defuncti conseruarent. Nam cippos erigebant, seu marmora, quibus nomen & honores defuncti cum nomine eius, qui posuerat, inscripserant. Vide NEPOTEM *de Attico cap. XXII. num.* 4. qui iuxta viam Appiam ad quintum lapidem sepultus fuit, & adde HORATIVM *lib.* I. *sat.* 8. *v.* 12. Alia exempla IOANNES KIRCHMANNVS, qui fuse *de funeribus Romanorum* scripsit, *lib. II. cap.* 22. ad-

linguam translatis, *tom. XII. thes. ant. Græc. Gronouii.* Aliam eiusdem operis versionem, additis nouis quibusdam obseruationibus, iuris publici fecit LAVR. BEGERVS Berolin. MDCCII. Huic adiungendæ sunt eiusdem BARTOLII *lucernæ sepulcrales*, ex cauernis & specubus subterraneis vrbis Romæ collectæ, a IO. PETR. BELLORIO obseruationibus illustratæ & in memoratum *tom. XII. antiquitatum Græc. Gronouii* translatæ. Et *picturæ antiquæ sepulcri Nasoniorum in via Flaminia, delineatæ & æri incisæ ab* eodem BARTOLIO, *tom. XII. thes. ant. Rom. Græuii*, p. 1021. Præter hos, IVL. MINVTOLI *diss. de Romanor. sepulcris, tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani*, p. 126. seq. digna est, quæ legatur, vbi etiam, præter memoratos a FABRICIO *bibliogr. antiquar.* p. 663. plures de hoc argumento scriptores percensentur. De arcis sepulcralibus, sarcophagis, cet. fuse quoque disserit CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plinian.* p. 1203. seq. De lucernis sepulcralibus, flammam perennem seruantibus, euoluendi sunt: FORTVNIVS LICETVS *de lucernis antiquor. reconditis*, OCTAV. FERRARIVS *diss. de lucernis reconditis veterum*, & IOACH. FELLERVS *diatr. de lucernis antiquor. subterraneis*, Lipsiæ MDCLXI.

adfert: vt de via Aurelia, Flaminia, Lauicana, Laurentina, Ostiensi, Prænestina, Salaria, Tiburtina. ee)

§. III.

Aream quoque sepulcrorum fuisse certa pedum mensura descriptam & consecratam, ex CICERONE *Phil. IX. cap. 7.* discimus. *Coronas* etiam & *serta* iisdem adhibebant ornatus gratia, quod prisci christiani auersabantur, posteriores autem admittebant. Vide MINVCIVM FELICEM *cap. XII. num. 6.* & quæ nos ibi ex PRVDENTII *cath. hymno X. extremo* adnotauimus.

SECT. IV.

DE RITIBVS QVIBVSDAM POST SEPVLTVRAM.

§. I.

RITVS præcipui, sepulturam subsequentes, fuerunt inferiæ, epulæ & ludi funebres. *Inferiæ*, vt FESTVS definit, erant sacrificia, quæ diis manibus non tantum exsequiarum die inferebant, sed anniuersariis etiam sacris ad sepulcrum repetebant. De his iam supra egimus.

§. II.

Epulæ populo Romano datæ publice in memoriam & honorem defunctorum, & interdum carnes etiam distributæ, quæ *visceratio* dicebatur.

ee) Adde IO. DOVGTÆVM *analect. sacr. ad Luc. VII, 20.* & IO. IAC. CHIFFLETIVM *Gemin. matr. sacror. tit. sepulcral. explicat.* p. 25.

Landesbibliothek Oldenburg

tur. SVETONIVS *in Cæsare cap. XXVI.* & LIVIVS *lib. XXXIX. cap.* 46. f)

§. III.

Ludi funebres ob eamdem cauſſam editi : præſertim gladiatorii, de quibus ſupra expoſuimus. LIVIVS *epit. lib. XVI.* VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap.* 4. *num.* 1. & quæ nos ad CICERONIS *lib. II. epiſt.* 3. *num.* 1. notauimus.

SECT. V.

DE CONSECRATIONE PRINCIPVM. g)

§. I.

ROMANI imperatores, bene de republica meriti, poſt mortem in numerum deorum cer-

f) De epulis feralibus, tam *ſilicerniis*, quam *cœna funebri*, amicis data, commentantur: IAC. GVTHERIVS *de iur. man. lib. I. cap.* 25. PETR. MORESTELLVS *pomp. funebr. lib. VIII. cap.* 16. GVIL. STVCKIVS *lib. I. antiqu. conuiual. cap.* 26. IAN. GVILIELMIVS *lib. III. veriſimil. cap. VIII.* GABR. MARQVARTVS & WOLFG. CASP. TROPPANEGERVS *diſſertationibus de epulis gentilium ſepulcralibus*, aliique plures.

g) De ritu hoc conſecrationis videantur præter IO. KIRCHMANNVM, ONVPHR. PANVINIVM, IAC. GVTHERIVM aliosque plures, IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar.* p. 268. laudatos : IO. MENCKENIVS *de auguſtorum auguſtarumque conſecratione ex nummis illuſtrata* p. I. eius *diſſert. academic.* CONSTANT. LANDVS *explicat. in D. Antonin. conſecrationem, & Claud. Neronis Cæſ. decurſion. Caſtorisque & Pollucis nu-*

Landesbibliothek Oldenburg

certis ritibus relati atque *diui* adpellati sunt. Exempla passim apud historicos latinos occurrunt. Sic EVTROPIVS *lib. VII. cap. 5. num.* 15. de Augusto: *moriens*, inquit, *diuus adpellatus est*; & *cap. VIII. num. 6.* de Claudio: *post mortem consecratus est diuusque adpellatus*; & *cap. XIII. num.* 9. de Vespasiano, *cap. XIV. num.* 11. de filio, *lib. VIII. cap. I. num.* 4. de Nerua, & *cap. II. num.* 17. de Traiano: *inter diuos relatus est.* Idcirco templa eis exstructa flaminesque constituti, quorum passim mentio in *inscriptionibus.*

§. II.

Non vero semper id ex vera deuotione factum, sed aliis de caussis politicis, quas detexit PLINIVS *panegyr. cap. XI. num.* 1. & 2. Neruæ consecrationem, a Traiano factam, inde separans: *quem tu*, inquit, *lacrimis primum, ita vt filium decuit, mox templis honestasti: non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. Dicauit cælo Tiberius Augustum, sed vt irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, vt dei filius, hic, vt frater videretur. Tu sideribus patrem intulisti, non*

ad

numism. PAVLL. ALEX. MAFFEI *part. III. gemmar. vet. illustrat.* p. 208. CLAVD. GVICHARDVS *de funerib. apud Roman. Græc. & alias gentes lib. I. cap.* 13. p. 164. PHILIPP. BVONAROTTI *de Romuli apotheosi in vet. diptycho* expressa, *tom. XXVIII. giornal. d'letter. d'ital.* p. 9. BERN. DE MONTFAVCON *dans l'antiquité expliquée tom. V. part. I. lib. IV. cap.* 9. p. 151. 10. DAN. SCHOEPFLINVS *comment. historic. de apotheosi seu consecratione imperator. Rom. P. I.* eiusdem *commentationum historic. & critic.*

Landesbibliothek Oldenburg

ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis.

§. III.

Ritum consecrandi adcurate HERODIANVS descripsit *lib. IV. cap. 2. num. 2: ceream imaginem consecrandi principis in vestibulo palatii lecto eburno ac vestibus aureis instrato impositam, quasi ægrotaret, per septem dies omnium conspectui patuisse. Deinde vbi iam visus diem obiisse: lectum nobilissimos viros tulisse in forum, hymnos cantantibus pueris & feminis nobilissimis. Quibus peractis, tulisse lectum extra vrbem in campum martium & rogo imposuisse singulari ratione constructo, factisque circa illum ludis equestribus, facem illatam esse a successore principe. Mox ex cellula rogi* (nam in partes distinctus erat) *aquilam emissam esse, quæ vulgo crederetur animam principis in cælum deferre. Ex eo tempore defunctum pro deo habitum, cultumque fuisse templis, pulvinaribus, flaminibus.*

§. IV.

Nec tantum ipsi imperatores sic honorati fuerunt; verum etiam augustæ feminæ, vxores, matres, sorores principum. Cuius rei exempla multa in nummis antiquis prostant cum inscriptione: CONSECRATIO, & appellatione DIVI vel DIVÆ: adposita est templi figura, aut aquilæ, aut, in feminarum consecratione, pauonis.

§. V.

Consuetudo hæc ita inualuit, vt vix sub imperatoribus christianis primis abrogari posset, quamvis

vis illi maxime abhorrerent. Putabatur enim pars maiestatis esse & honoris, qui principibus deberetur. h) EVTROPIVS *lib. X. cap.* 9. de Constantino, *inter diuos*, inquit, *meruit referri*, quod PÆANIVS *metaphrastes* interpretatus est ita, vt non meritis, sed ipso facto & opere talem crediderit, συνηριθμήθη, aiens, τοῖς θεοῖς. Nec aliter EVTROPIVS Constantii, Constantini filii, & Ioviani suprema descripsit, de illo referens, vt de patre: *meruit inter diuos referri*; de hoc: *benignitate principum, qui ei successerunt, inter diuos relatus est.* Huius autem rei nihil habet AVRELIVS VICTOR, siue veterem illum consulas, & olim vulgatum, siue quem ANDREAS SCHOTTVS primum in lucem protraxit. De Valentiniano tamen AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XXX.* extremo: *post conclamata imperatoris suprema corpusque curatum ad sepulturam, vt missum Constantinopolim inter diuorum reliquias humaretur.* Ex huius, vt EVTROPII, verbis non inepte quis coniiceret, paganum illum ritum non abolitum fuisse, quum respublica ad christianos principes peruenisset. Quod ipsum de Constantino videtur numisma probare, ab EVSEBIO *lib. IV. cap.* 73. *de vita Constantini* laudatum,

h) Quæ hic de consecratione principum christianorum sequuntur, depromta sunt ex *programmatibus* auctoris nostri Lips. MDCLXXXIX. editis, p. 244, cuius hac de re verba eo minus hic describere dubitaui, quo accuratius argumentum hoc ibi traditur, & quo maiorem lectoribus iucunditatem breuis hæc commentatio affert.

Landesbibliothek Oldenburg

tum, siquidem hunc μακάριον, *beatum* principem referebat ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλὴν χήματι, *capite obuoluto*: ex altera parte eundem repræsentabat ἐφ' ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχῳ τρόπον ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον, *quadrigis instar aurigæ insidentem, & manu cælitus demissa exceptum.* Sane non vno tempore sublata fuerunt, quæ aduersa erant christianorum legibus; sed multa diu longeque tolerata, vel ex diuturna consuetudine, quæ vim legis habere videtur, vel rebellionis metu, quod ita plebs superstitionibus addicta erat, vt auocari inde non posset, nisi mora temporis, quod corrigit pedetentim, quæ non possunt impetu & violentia emendari. Etenim Constantinus iam per nouennium christianus legem sanxit, qua haruspices consulendi, & nominatim de fulguris tactu, potestatem tum senatui, tum priuatis dedit. Adi *legem* I. *codicis Theodosiani de pagan. sacrif. & templ.* vt & *legem* I. & II. *de maleficis*, & harum interpretem eruditissimum IACOBVM GOTHOFREDVM. Vt nulla calumnia sit, quod ZOSIMVS *lib. II. cap.* 29. scripsit: ἐχρῆτο ἔτι τοῖς πατρίοις ἱεροῖς οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον, ἢ χρείας, *patriis adhuc sacris vtebatur, non tam religionis, quam necessitatis caussa.* Ipse quoque EVSEBIVS *lib. X. historiæ eccles. cap.* 5. inter βασιλικῶν διατάξεων ἀντίγραφα etiam hoc refert, ἑκάστῳ ἐξουσία δοθεὶη τῷ διδόναι ἑαυτῷ τὴν διάνοιαν ἐν ἐκείνῃ τῇ θρησκείᾳ, ἣν αὐτὸς ἑαυτῷ ἁρμόζειν νομίζει, *vt integrum cuique esset, religionem sequi, quam sibi con-*

consentaneam esse existimaret. Quod ipsum etiam suo tempore Valentinianus obseruauit, quem AMMIANVS *loco citato* tradit *inter religionis diversitates medium stetisse, nec quemquam inquietasse, neque, vt hoc coleretur, imperasse, aut illud;* quod ipse de se quoque fatetur *lege IX. codicis Theodosiani de maleficis.* Proinde dubium nequaquam est, quin tolerarint aliquid pii & christiani principes, quod a fide ipsorum atque moribus alienum esset, sicut Saluiani æuo, vt *lib. VI. de gubernatione Dei* conqueritur: *consulibus adhuc pulli, gentilium sacrilegiorum more, pascuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur.* An vero ἀποθέωσις etiam gentilis relicta fuerit, incertior res est. EVTROPII stilus videtur id referre, quod vulgus, deorum cultui adsuetus, fieri credebat in exsequiarum pompa, aut vt fieret, dignum iustumque propter principis defuncti virtutes existimabat. Nummus Eusebii christianus potius, quam gentilis est, cuius figuram exhibet clarissimus OISELIVS *tabula CIV. numismatum thesauri*, in quo minime sollemnis inscriptio, CONSECRATIO, aut ÆTERNITAS, neque aquilæ deportantis, aut aræ figuræ conspicitur, sed præter id, quod EVSEBIVS recensuit, quatuor litteræ S. N. N. I. reperiuntur. *Diuorum* nomen, quod MARCELLINVS christianis attribuit, ita inualuerat, vt pars maiestatis imperatoriæ crederetur, perinde ac *pontificis maximi* titulus seruatus quoque a principibus christianis fuit. Recte, an irreligiose hoc factum fuerit, disputat

GEORGIVS CASSANDER, qui, *diui* vocabulum a christianorum nominibus abigendum esse, summopere contendit, quod a nemine in primitiua ecclesia cælites & beati *diui* adpellati sint, sed ethnicus mos nostro demum seculo reuixerit, vt *diuus Paullus*, *diuus Nicolaus* & sic alii dicantur, quos veteres *sanctos*, *beatos*, *beatissimos* laudauerint. Quid multa? ne vestigium quidem eius ritus, quem DIO CASSIVS *in Augusto*, HERODIANVS *in Seuero* describunt, *in historia augusta* adparet, quum exsequiæ meritissimorum principum, Constantini, Constantii, Iouiani, Valentiniani, Theodosii enarrantur, quod argumento est, licet nomen huius rei cum aliis reliquiis paganismi seruatum aliquamdiu fuerit, rem ipsam tamen longius abfuisse ab animo sanctorum hominum.

LIB. XI.

DE INSCRIPTIONIBVS ET RE NVMMARIA ROMANORVM.

SECTIO I.

DE INSCRIPTIONIBVS. i)

§. I.

INSCRIPTIONES veterum eumdem vsum habent, quem numismata antiqua. Seruiunt hi-

i) Inter eos, qui veteris Romæ inscriptiones collegerunt, pri-

historiæ, geographiæ, genealogiæ, variorumque rituum cognitioni; immo ipsi litteraturæ, id

 est,

primum sibi vindicat locum CYRIACVS ANCONITANVS, quem IO. MARCANOVA, ANDR. MANTINEAS, IO. IVCVNDVS VERONENSIS, PETR. SABINVS, FRANC. PHILIPP. PEDEMONTIVS, SEBASTIAN. MACCIVS, IO. ZARATINVS CASTELLINIVS aliique sequuti sunt; quorum autem collectiones vel nunquam adhuc viderunt lucem, vel inceptæ quidem, sed non absolutæ & ad finem perductæ sunt. Primus, qui typis inscriptiones exprimendas curauit, IO. MAZOCHIVS, academiæ Romanæ bibliopola fuit, & anno MDXXI. *vrbis Romæ epigrammata* edidit. Hunc exceperunt BARTHOLOMÆVS AMANTIVS, LANDSPERGIANVS BOIVS & PETR. APIANVS, qui suppeditatas a doctis viris inscriptiones MDXXXIV. in lucem emiserunt: IANVS DOVZA, in cuius manus collectæ a Martino Smetio per totam Italiam inscriptiones inciderunt, quæ iussu ordinum Hollandiæ a IVST. LIPSIO MDLXXXVIII. Lugd. Bat. editæ sunt. Smetianum hunc thesaurum postea locupletatum edendum in se suscepit IOS. SCALIGER, vocato in subsidium IANO GRVTERO, atque ex horum duumuirûm indefesso labore eximium illud *Gruterianum inscriptionum corpus* enatum est, cuius editio splendidissima & maxime ex Gudianis potissimum schedis aucta & ornata, cura IO. GEORG. GRÆVII, EDVARDI HOLTHERI Amstelod. MDCCVII. duobus voluminibus prodiit. SCALIGERVM & GRVTERVM postea sequuti sunt THOMAS REINESIVS, qui *syntagma inscription. antiquar.* edidit: eruditi *Angli*, qui *marmora Arundelliana & Seldeniana* atque ex his conflata *Oxoniensia* litteris describenda curarunt: IAC. SPONIVS *miscellaneis eruditæ antiquitatis*: RAPHAEL FABRETTVS *explicat. antiquar. inscriptionum*: IAC.

PHIL.

est, orthographiæ, grammaticæ, & vocabulorum scientiæ, quia multa ex lapidibus discuntur, quæ in libris etiam antiquis frustra quæsiueris.

§. II.

Tales inscriptiones ediderunt vasto opere IANVS GRVTERVS, Francofurti MDCI. 4. & MDCXVI. folio: alias, a Grutero prætermissas, THOMAS REINESIVS *in syntagmate inscriptionum Romæ veteris*, Lipsiæ MDCLXXXII. folio; IACOBVS SPONIVS *in miscellaneis eruditæ antiquitatis*, Lugduni MDCLXXXV. folio, &

PHIL. THOMASINVS *inscriptionibus Patauinis:* SERTORIVS VRSATVS *in monumentis Patauinis:* PHILIPPVS A TVRRE *monument. vet. Antii.* Plures eiusmodi inscriptionum collectores silentio transeo, recensitos a THOM. REINESIO *præf. ad syntagma* eius *inscriptionum:* PETR. BVRMANNO *præf. ad Gruteri inscriptiones*, & ANT. FRANC. GORIO *præf. ad partem tertiam inscript. antiqu. quæ in Etruriæ vrbibus exstant.* Nostra ætate de horum studiorum genere optime meruerunt LVD. ANT. MVRATORIVS & iam laudatus ANT. FRANC. GORIVS, ille per egregium *thesaurum veter. inscriptionum in præcipuis earumdem collectionibus hactenus prætermissarum*, Mediolani editum; hic vero non solum per *museum Etruscum, exhibens insignia veterum Etruscorum monumenta æneis tabulis C. edita* & eiusdem *obseruationibus illustrata*, sed etiam per *inscriptiones antiquas Græcas & Romanas, quæ in Etruriæ vrbibus exstant.* Vtrumque opus, quorum hoc tribus constat voluminibus, Florentiæ editum est. Reliquos, qui singularibus commentationibus quasdam inscriptiones, vel nondum editas, vel ex memoratis his collectionibus depromtas, illustrarunt, prætereo.

& recentissimus RAPHAEL FABRETTVS Romæ MDCLXXXXIX. folio. Singuli hi magna volumina inscriptionum collegerunt.

§. III.

Plures sunt, qui singulares inscriptiones exposuerunt : vt idem SPONIVS in *itineribus* suis *per Dalmatiam*, *Græciam*, *Asiam*, etiam in gallico tractatu, quem vocat *recherches curieuses d'antiquité*, Lion MDCLXXXIII. 4. LIPSIVS in *monumento Ancyrano*, PATINVS in *commentario in tres Smyrnenses inscriptiones*, Patauii MDCLXXXV. 4. ANTONIVS VAN DALE de *antiquitatibus & marmoribus*, Amstelodami MDCCII. 4.

§. IV.

In Græcis inscriptionibus, vt antiquissima, ita vtilissima etiam in antiqua historia sunt *marmora Arundelliana*, quæ, aliis aucta, nunc *Oxoniensia* a loco adseruationis & editionis dicuntur. Prodierunt Oxonii cum variorum notis cura HVMPHREDI PRIDEAVX MDCLXXVII. fol.

§. V.

Sunt etiam mixta opera gemmarum & numismatum, in quorum editione, tamquam integrorum antiquitatis cimeliorum, laudem promeruit LAVRENTIVS BEGERVS, primum *thesauro Palatino*, Heidelbergæ MDCLXXXV. fol. publici iuris facto; deinde *Borusso-Brandenburgico*, quem tribus voluminibus nuperrime vulgauit Coloniæ March. MDCXCVI. MDCC. MDCCI. fol. Qui *solas gemmas* exposuerunt, in iis præcipuus est LEONH. AVGVSTINVS, Lugd. Bat. MDCLXXXV. 4.

§. VI.

In lapidibus figuratis & nummis certis ac inscriptionibus multis PHILIPPVS A TVRRE se eruditis probauit, quum Romæ MDCCIV. 4. edidit *monumenta Antiana*, quibus nihil est eruditius.

SECT. II.

DE NVMMIS. k)

CAP. I.

DE VARIIS NVMMORVM GENERIBVS.

§. I.

RADIX nummariæ rei est cognitio ASSIS, exiguæ monetæ, quæ vix integros tres nummos, *Pfennige*, vt nos vocamus, valebat, & in duo-

k) De re nummaria & pecuniaria veterum Romanorum monetarumque valore ac pretio generatim exposuerunt: IVST. LIPSIVS *de pecunia vet. Rom. tom. I. operum* p. 1466. IOACH. CAMERARIVS *de moneta vet. Græc. & Latinor.* ERYC. PVTEANVS *libr. de pecuniæ Romanæ ratione*, qui Louanii MDCXX. *Antuerp.* MDCXXVIII. prodiit & in CHIFFLETII *opusc. de numism. antiquo* relatus quoque est: ANDR. SCHOTTVS *tabul. rei nummariæ Rom. Græcorumque:* IO. SELDENVS *libr. de nummis, in quo antiqua pecunia Romana & Græca mensuratur:* IO. FRID. GRONOVIVS *de pecun. vetere:* LVD. SAVOTVS *diss. de nummis, tom. XI. thes. ant. Rom. Græuii*, p. 1832. MARQVARD. FREHERVS *lib. II. de re monetar. vet. Romanor.* IO. CHR. WAGENSEILIVS *de re monetali vet. Romanor.* ac multi reliqui, quorum breuitatis caussa non mentionem facio.

Landesbibliothek Oldenburg

duodecim partes, siue vncias, tam in nummis, quam ponderibus diuidebatur. l)

§. II.

Ex asse compositus est *Sestertius*, quasi sesquitertius, id est, asses duo & dimidius. *Sestertium* autem neutro genere erant mille sestertii. Atque his maximas summas per tonnas & milliones numerandas describunt, maxime, si aduerbialiter loquuntur. Nam alia ratio est, si per nomina numeralia id efferunt. Sestertios etiam *nummos* sæpe vocant absolute. m)

§. III.

Quatuor sestertii faciunt *denarium*, id est, denos asses, qui, si argenteus est, *drachmam* pondere valet. n) Sæpe denarii mentio est, etiam in

l) Præter BALBVM, GLAREANVM, MÆCIANVM & HEINISCHIVM in primis commendandus est GVIL. BVDÆVS *libro de asse & partibus eius*, qui Parisiis, Venetiis, Coloniæ, Lugduni aliisque locis sæpe impressus est.

m) Conf. ALDVM MANVTIVM *de sestertiis*, *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani*, p. 833. IO. FRID. GRONOVIVM *de pecun. vet. lib. I. cap.* 3. IOACH. CAMERARIVM *histor. rei nummar. tom. X. thes. ant. Græc. Gronouii*, p. 1429. & p. 1566. aliosque, quos memorat FRANC. ERN. BRVCKMANNVS *biblioth. numismat.* p. 109. & 111.

n) De denario videndus est præ ceteris multis, a SAM. PITISCO *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 24. laudatis: IOANNES GREAVES *in discourse of the Romane foot and denarius*, Londin. MDCXLVII. CLAVD. SALMASIVS *respons. ad Milton.* p. 269. recte obseruat, nummum hunc Romanum, cuius & in sacris tabulis

Matth.

sacris, vbi dicitur diurna merces fuisse operarii. Nonnunquam denarii plus, quam decem asses valuerunt, quod non obscure colligitur ex TACITO *annal. lib. I. cap.* 17. vbi milites §. 4. queruntur, quod singuli *denis in diem assibus animam & corpus æstiment*; postea §. 6. addit: *vt singulis diebus denarium impetrarent.*

§. IV.

Solidus est noua moneta, posteriori sæculo in vsu, ita dictus, quod ex solo auro constaret, intus nihil haberet vilioris metalli. Non enim argenteus dabatur solidus, sed aureus fuit tantummodo, vt copiose GRONOVIVS probauit *de sestertiis.* In legibus Romanis eius mentio crebra, sed posterioribus. VLPIANVS *leg.* 1. §. *hoc autem digest. de fugitiuis: multa*, inquit, *centum solidorum statuta in magistratus.* Et MACER de *Seuero & Antonino Caracalla l. c.* 34. *digest. de iure fisci: quingentos solidos fisco inferre iussus es.* o) §. V.

Matth. XVIII, 28. *XX*, 2. *XXII*, 19. *Marc. VI*, 37. *XIV*, 3. *Luc. VII*, 41. *Io. VI*, 7. *XII*, 5. *Apoc. VI*, 6. fit mentio, a didrachmis *Matth. XVII*, 24. probe distinguendum esse: adde HARDVINVM *oper. select.* p. 629. qui refert, Tiberium eiusmodi denarios cum vultu suo cudendos curasse, vt a Iudæis in singula capita vnus horum solueretur. Eiusmodi nummos exstare apud EZECH. SPANHEMIVM *de vsu & præst. numism. tom. II.* p. 326. memorat PETR. ZORNIVS *opusc. sacr.* p. 37. cui CLAVD. SALMASIVM *de modo vsurar. cap. II. VI. & VII.* & IO. FRID. GRONOVIVM *de pecun. vet. lib. I. cap.* 4. *lib. II. cap.* 6. & 7. & IOACH. CAMERARIVM *tom. IX. thes. ant. Græc. Gronouiani* p. 1421. adiungere potes.

o) *Semissis* erat dimidia; *tremissis* vero quarta pars solidi.

De

§. V.

De valore solidi non vna est sententia, nec ferri facile vna potest pro diuersitate temporum. Aliquando & plerumque solidus & aureus idem erant, vt BRISSONIVS *de verborum significatione* probauit: aliquando & differentia interceſſit, vt solidus maior esset, quam aureus. Nec *aureus*, quod nomen antiquius est, quam solidi, semper idem valuit, sed pro arbitrio imperantium comparatio inter aurum & argentum, nunc hoc, nunc illo modo, constituta fuit. Olim, vt GRONOVIVS *p.* 365. probat, XVII denarii faciebant aureum, sed vnius drachmæ pondus habentem, vt docet *p.* 364. DIO CASSIVS *lib. LV. p.* 555. XXV denarios requirit ad aureum. Tempore Arcadii & Honorii, vt est *l. un. cod. de collatione æris*, constitutum est, vt pro viginti libris æris vnus auri solidus reddatur. CASAVBONVS *not. ad Lampridii Alexandrum cap.* XXXIX. dicit, solidum pondere duas drachmas æquasse, & ibidem satis luculenter probat. Quod si est, duplo maior erit solidus, quam illo tempore, de quo GRONOVIVS loquebatur.

§. VI.

Quod posteriores vero per *solidos* numerabant,

De nummo hoc omnium copiosissime disputat IO. FRID. GRONOVIVS *de pecun. vet. lib. III. cap.* 6. & *lib. IV. cap.* 13. & 14. cui ROB. CENALIS *de vera mensurarum ponderumque rat. tom. XI. thes. ant. Rom. Grœuii*, p. 1547. OTTO SPERLINGIVS *de nummis non cusis cap. VI.* CLAVD. CHIFFLETIVS *de anr. numism. lib. I. cap.* 10. aliique plures addendi sunt.

veteres fecerunt per *sestertios*, aut *sestertia*, iisque maximas etiam summas exprimebant. Id vero diuerso modo fiebat, in numerali voce obseruato. Si enim numerale forma nominis dicendum erat, si millia addebantur, genitiuo *sestertiûm*, aut, quod vsitatius erat, *nummûm*. Nummus enim & sestertius sæpe idem sunt. Hinc PLINIVS *lib. XXXIII. cap.* 2. ad equestrem dignitatem requirit censum *sestertia quadringenta*, id est, 10000 thaleros graues, quales hoc tempore sunt cruce signati (*) & similes, decem denariis Romanis (**) censendi. Iunior autem PLINIVS *lib.* I. *epist.* 19. *cap.* 2. municipi & condiscipulo, decurioni comensi & propter id officium non minus quam *centum millia* possidenti, offert ad implendas equestres facultates *trecenta millia nummûm*, hoc est, trecenta sestertia.

(*) *Creutzthaler.*

(**) *Dreyssig gute, oder Meissnische Groschen; so dass* 10000 *Creutzthaler* 12500, *oder* numero rotundo hodiernum valorem magis exæquante 12000 *ausmachen.* Vide infra *appendicem priorem.*

§. VII.

Alia ratio est, numerandi per aduerbia numeralia: *quinquies*, *decies*, *vicies*, *quadragies*, cetera. Tum enim, si sestertia in neutro vsurpantur cum aduerbio, centenarius nummus subaudiendus est, ita, vt *decies sestertium*, recto & nominatiuo casu singularique numero, sint 25000 thaleri graues; *quadragies sestertium*, tonna auri, vt vocant; *sexagies sestertium*, tonna cum dimidia; *centies sestertium*, duæ tonnæ cum dimidia;

dia; *quadringenties sestertium*, decem tonnæ, siue millio; *millies sestertium*, 25 tonnæ, siue milliones duæ & dimidia.

§. VIII.

Libræ nomen etiam occurrit & *pondo*. p) *Pondo*

p) Apud Romanos libra potissimum in ponderibus vsitata fuit, quæ pariter atque as in duodecim partes diuidebantur. In quas enim partes assem, in easdem & libram veteres Romani distinguere solebant, vt ex hac tabula cognosci potest:

as	$\frac{12}{12}$	valebat vncias	XII.
deunx	$\frac{11}{12}$	- -	XI.
dextans	$\frac{2}{6}$	- -	X.
dodrans	$\frac{3}{4}$	- -	IX.
bes	$\frac{2}{3}$	- -	VIII.
septunx	$\frac{7}{12}$	- -	VII.
semis	$\frac{1}{2}$	- -	VI.
quincunx	$\frac{5}{12}$	- -	V.
triens	$\frac{1}{3}$	- -	IV.
quadrans	$\frac{1}{4}$	- -	III.
sextans	$\frac{1}{6}$	- -	II.
sescuncia	$\frac{1}{2}$	- -	$I\frac{1}{2}$.
vncia	$\frac{1}{12}$	- -	I.

vnciæ partes:

semuncia erat pars vnciæ $\frac{1}{2}$ & pars assis $\frac{1}{24}$

duella - -	$\frac{1}{3}$	- -	$\frac{1}{36}$
sicilicus - -	$\frac{1}{4}$	- -	$\frac{1}{48}$
sextula - -	$\frac{1}{6}$	- -	$\frac{1}{72}$
scripulum - -	$\frac{1}{24}$	- -	$\frac{1}{288}$

Ad mensuras quod attinet, fuerunt illæ triplicis generis:

I) *Men-*

Pondo & *libra* idem; si vero iunguntur, aut pondo alii monetæ adiicitur, tum vertenda vox *am*

I) *Mensuræ liquidorum*, vt 1) *culeus*, qui continebat XX. amphoras: 2) *amphora*, vigesima pars culei, capiebat II. vrnas, siue VIII. congios, qui XLVIII. sextarios comprehendunt: 3) *vrna*. Dimidia erat pars amphoræ, hacque ratione culeus ex XL. vrnis constabat, quarum quælibet quatuor congios complectebatur: 4) *congius* erat centesima & sexagesima culei pars, octaua pars amphoræ, quarta vero vrnæ: 5) *sextarius* erat quarta & quadragesima pars amphoræ & quarta & vigesima pars vrnæ, & duas heminas capiebat: 6) *hemina*, vt modo indicaui, dimidia pars sextarii fuit & duodecimam congii partem continuit: 7) *quartarius* dimidia heminæ erat pars, siue quarta sextarii: 8) *acetabulum* quarta heminæ & secunda quartarii pars fuit: 9) *cyathus* sextarii duodecima; heminæ vero sexta & quartarii tertia pars fuit: 10) *ligula* pars sexta acetabuli; cyathi vero quarta erat.

II) *Mensuræ aridorum*. Eadem fere ratio harum mensurarum fuit, quam illarum, quibus fluida Romani metiri solebant: 1) *modius*, qui tertiam amphoræ complectebatur partem: 2) *sextarius* sextam & decimam modii continebat partem: 3) *hemina* secunda pars sextarii & trigesima secunda modii erat: 4) *quartarius* secunda: 5) *acetabulum* vero quarta heminæ, siue secunda pars quartarii fuit: 6) *cyathus* quartarii tertia, & 7) *ligula* duodecima huius pars exstitit.

III) *Mensura interuallorum*. Octo stadia referebantur ad vnum *milliare*. *Stadium* continebat CXXV. passus, hinc ad vnum milliare M. passus requirebantur. Cubiti tres, addita tertia parte quarti cubiti, *passum* constituebant. Quarta pars passus *palmipes* dicebatur. Pes vnus cum dimidio *cubitum* faciebat. *Palmus* quarta pars pedis fuit; quum vero tres vnciæ ad palmum pertinerent, sequitur inde, duodecim vncias pedem vnum com-

am Werth und Gewicht. De quibus plura tradit GRONOVIVS *d. l. Libra* autem *argenti* eodem interprete sunt centum denarii, seu quadringenti sestertii. *Libra* autem *æris* fere est sestertius.

§. IX.

Peregrini nummi Romanis scriptoribus etiam, quando de rebus Græcorum agunt, nominati, sunt potissimum *drachma* & *talentum. Drachmam* diximus octauam partem thaleri esse, seu denarium (*ein Quentchen*). Hinc fit *didrachmum*, id est, duæ drachmæ, quadrans thaleri, cuius in sacris

complexum esse. Palmus quatuor habebat *digitos*; hinc vero conficitur, ad pedem vnum XVI. digitos relatos esse. *Sicilicus* quarta pars vnciæ fuit, quumque vncia quatuor & viginti scripulos contineret, patet inde, *scripulum* sextam partem sicilici fuisse.

De ponderibus & mensuris veterum Romanorum commentati sunt, præter multos alios, in LABBEI *bibliotheca nummaria*: FABRICII *bibliogr. antiquar.* & PITISCI *lexic. antiqu. Rom.* recitatos, MICH. NEANDER *libr. de ponderibus, mensuris & nummis*: IO. BAPT. VILLALPANDVS *comm. in Ezech. tom. III.* p. 433. vbi copiose de ponderibus ac mensuris Iudæorum, Græcorum & Romanorum disputat: BARTHOLOM. BEKERINVS *synt. de ponderibus & mensuris*, quod primum in Italia, deinde Lipsiæ MDCCXIII. cura venerandi patris prodiit: ROB. CENALIS *de vera mensurarum ponderumque ratione, tom. XI. thes. ant. Rom. Græuii* p. 1436. in quo & LVCÆ PÆTI *lib. V. de mensuris & ponderibus Romanis & Græcis* exstant. His addendi sunt: EDVARD. BERNARDVS *lib. III. de mensuris & ponderibus antiquis*, Oxon. MDCLXXXVIII. & IO. CASP. EISENSCHMIDIVS *disquisit. de ponderibus & mensuris veterum Romanorum, Græcorum & Ebræorum*, Argent. MDCCXXXVII.

Landesbibliothek Oldenburg

sacris etiam habetur mentio apud *Matthæum XVII*, 24. *Talentum* autem diuersum erat; quod autem potissimum in auctoribus respicitur, est *talentum atticum*, quod constabat sexaginta libris argenti, siue 750 thaleris, (*) vt vocantur, *imperialibus*. Vide, quæ *ad* CVRTII *lib. VII. cap.* 5. §. 27. notauimus.

(*) *Reichsthaler von 24 guten Groschen.*

§. X.

Hactenus de valore numismatum & variis nominibus, etiam de supputandi ratione: sequuntur nunc ipsi antiqui nummi variæ ætatis, secundum materiam, formam, figuram, inscriptiones & alia signa considerandi.

§. XI.

PECVNIAM dicunt a *pecude* nomen habere, quod olim fuerunt boues, oues, porci, & similia animalia impressa. q) Quædam gentes etiam postea suis

q) Vetustissimi Romani antiquis temporibus nullam habuerunt pecuniam, sed solum merces inter se commutarunt. Postea rerum pretium ex solo rudis metalli pondere æstimare, & tum demum, æs signare edocti, pecuniæ vsum introducere incipiebant, & quidem solius æneæ. Pyrrho deinde deuicto argenteæ, ac denique aureæ: conf. PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cura domestica Romanor.* p. 147. Aeris rudis vsus vsque ad Seruii Tullii tempora durauit. Hic enim, vt videtur, primus Romæ metallo certas quasdam imprimendas curauit notas, quamuis alii alias hac in re tueantur sententias. Eiusmodi metallum, siue æs rude, *æris grauis* nomen habebat, vt ostendit IAC. PERIZONIVS *diss. de ære graui*, Lugd. Bat. MDCCXIII. con-

tra

ſuis nummis figuram animalium inſcripſerunt: equum, hircum, ouem, vt de auibus taceamus. r)

§. XII.

Materia nummorum veterum vel *aurum* eſt, vel *argentum*, vel *mixtum* quoddam *metallum*. *Aurei* nummi rariores ſunt, nec etiam tanti, niſi quod materia pretioſa ſit, æſtimantur, quam ceteri, quia id genus facile falſari poteſt, & alienum arte & fraude ſupponi. *Argenteorum* magna ſupereſt copia, ſed & hic ſæpe falſi pro veris ſupponuntur. *Aenei* nummi, propter æris ſingularem mixturam, etiam quod plurimis addita *ferniſatio*, vt vocant, quam itidem imitari non poſſumus ad antiquum modum, plurimi ſunt veri & genuini. s)

§. XIII.

Forma diuiditur in *tres modulos: maximum*, *medium* & *minimum*. Nec vero tam adcurate id vbique ſeruatur; nec ſemper eiusdem magnitudinis modulus vnus eſt, & ipſa maximi moduli numiſmata

tra LVDOLPH. KVSTERVM, qui contendit, omnes aſſes æreos dictos fuiſſe *æs graue*, ad differentiam nummorum argenteorum & aureorum, qui ipſi *æris* habuerint nomen.

r) Sic IO. PETR. BELLORIVS *notas* exarauit in *numiſmata tum Epheſia, tum aliarum vrbium, apibus inſignita, quæ tom. VII. theſ. ant. Rom. Græuii*, p. 401. exſtant. Huic LAVR. BEGERVS adiungendus eſt, qui edidit *diſquiſitionem de nummis Cretenſium ſerpentiferis*, Colon. MDCCII. De his animalibus, in nummis expreſſis, præter multos alios, diſſerit IOBERTVS in *notitia rei nummariæ* gallice edita, p. 102. edit. German. quæ Lipſiæ MDCCXVIII. prodiit.

s) Vide IOBERTVM *libro indicato* p. 23. ſeq.

smata inter se differunt magnitudine, quod ad oculum demonstrari potest IOSEPHI MONTERCHII *libello de maximi moduli numismatibus*, Amst. MDCLXXXV. 12. Sic etiam est in ceteris modulis, qui itidem inter se differunt & variant ratione magnitudinis & paruitatis. t)

§. XIV.

Ratione *temporis* diuiduntur in *consulares* nummos, hoc est, in libera republica sub consulibus cusos, & in nummos *factos sub Cæsaribus*, siue *Cæsareos*.

§. XV.

A figura impressa etiam varie denominati sunt, præsertim consulares, vt *victoriati*, *bigati*, *quadrigati*, *ratiti*, a signo victoriæ, quod continebant, vel bigarum, quadrigarum, ratis, siue nauis.

§. XVI.

Ratione *loci* etiam numismata distincta fuerunt, quia plurima cusa fuerunt in prouinciis a ciuitatibus, quibus id concessum fuerat a Romanis, quemadmodum integri libri de talibus nummis prostant, vt HARDVINI *de nummis populorum & vrbium*, VAILLANTII *de nummis coloniarum secundum Cæsarum seriem*. u)

CAP.

t) Lege eumdem p. 44. seq.

u) Plures scriptores, qui de nummis populorum, vrbium ac ciuitatum commentati sunt, recensentur apud ANSELMVM BANDVRIVM *biblioth. nummar.* p. 236. ed. FABRICII. Huc & pertinet: HVB. GOLTZII *Sicilia & Magna Græcia, siue historiæ vrbium & populorum Græciæ ex antiquis numismatibus restitutæ liber primus*, Bru-

Cap. II.

DE COGNITIONIS NVMMARIÆ VSV.

§. I.

Vsvs veterum numismatum est in historia supplenda, in chronologia corrigenda, in orthographia ad certas rationes reuocanda, in antiquitatibus variis, sacrificiorum, triumphorum, consecrationis, structuræ templorum, formæ nauium, vestimentorum & similium rerum; quod demonstratum est vberrime ab illustri viro EZECHIELE SPANHEMIO singulari libro *de vsu & præstantia numismatum.* x)

§. II.

Brugis Flandr. MDLXXVI. & Antuerp. MDCXVIII. cura IACOBI BIÆI. Similem operam GOLTZIVS & reliquis Græciæ populis ex numismatum antiquitate illustrandis consecrare, totumque opus per IV libros rite digerere, secum constituerat; morte vero præuentus inceptam telam pertexere minime potuit. Ipsa numismata, quæ reliquis libris reseruauerat, post mortem eius, qui anno MDLXXX. contigit, laudatus BIÆVS curauit, vt cum LVDOVICI NONNII *commentario* Antverp. MDCXX. prodirent; qui tamen non vbiuis partibus boni atque adcurati nummorum veterum interpretis satisfecit, vt EZ. SPANHEMIVS *de vsu & præst. numism. diss. II. tom. I.* p. 109. & TRISTANVS *commentar. tom. I.* p. 26. & 77. recte iudicant.

x) De vsu & præstantia numismatum legi quoque merentur ANTONII AVGVSTINI *dialogi*, Italice Romæ & Venetiis aliquoties editi, & postea in linguam latinam translati; quibus LVD. DEBIELII *vtilitas rei nummariæ*, Viennæ MDCCXXXVII. emissa, adiun-

§. II.

Vtilitati addenda etiam est iucunditas, si selectos nummos perlustramus, & inde oculis subiicimus varias res, quas animus ex historia vel descriptione non satis poterat capere.

§. III.

Neque vero Latini tantum nummi cognoscendi sunt, sed Græci etiam sub Romano imperio in Asia cusi, aut aliis locis, vbi Græca lingua obtinebat, etiam a regibus Græcæ originis, antequam gentes illæ in Romanorum potestatem venirent, vt sunt nummi Seleucidarum in Syria y): Ptolemæorum in Aegypto z): Arsacidarum in Parthia a): Archæmenidarum in Ponto, Bosporo, Thra-

genda est. De vtilitate, quam rei nummariæ cognitio sacrarum litterarum interpreti adfert, commentatur AEGIDIVS LACARRY in *adpendice posteriore*, eiusdem *Rom. histor. per numismata & marmora testatæ & illustratæ, addita.*

y) Reges Syriæ ex nummis illustrarunt: IO. HARDVINVS in *operibus selectis*, Amst. MDCCIX. AEGID. LACARRY in *adpendice priori* eius *historiæ memoratæ*, IO. FOY-VAILLANTIVS in *Seleucidarum imperio, siue historia regum Syriæ ad fidem numismatum adcommodata*, Lutetiæ MDCLXXXI. SPANHEMII aliorumque haud mentionem facio.

z) Videatur, præter BEGERVM & SPANHEMIVM, IO. FOY-VAILLANTIVS *histor. Ptolemæor. Ægypti regum, ad fidem numism. adcommodata*, Amst. MDCCI. cui CAR. CÆS. BAVDELOTIVS in *histoire de Ptolemée Auletes* adnumerandus est, quæ Paris. MDCXCVIII. prodiit.

a) Historiam eorum itidem IO. FOY-VAILLANTIVS singulari opere persequutus est; quod vero demum post mor-

Thracia & Bithynia, quos historica serie descripsit iam laudatus VAILLANTIVS.

§. IV.

Nummi autem veteres, vt nostri etiam, duas facies habent, quarum prior *recta* est, & vt plurimum caput seu imaginem continet, posterior dicitur *auersa*, quæ plerumque aliquod signum continet cum aliqua inscriptione.

CAP. III.
DE REI NVMMARIÆ SCRIPTORIBVS.

§. I.

IN nummis demonstrandis vtendum est libris, qui nummos accurate delineatos habent cum eruditorum hominum explicatione. Pro ipsa introductione generali b) possunt vsui esse Iesuitæ

mortem eius in lucem emissum fuit. Reliqui scriptores, qui historiam regum ac regnorum fata Bithyniæ, Cappadociæ, Macedoniæ, Siciliæ, Thraciæ cet. illustrarunt, recensiti leguntur apud supra memoratum ANSELM. BANDVRIVM p. 236.

b) Ii, qui singularibus libris aditum ad cognitionem rei nummariæ patefecerunt, duplicis sunt generis: alii ipsos scriptores scientiæ huius, eosque, qui nummos veteres illustrarunt, recensuerunt, ac diiudicarunt; alii vero introductiones ad studium hoc exararunt, ac præcepta, iis obseruanda, exhibuerunt, qui operam suam litteris his consecrare student. Ad priorem classem varii pertinent, qui itidem pro diuerso rem tradendi modo inter se diuersi sunt. Nonnullis in recensione scriptorum rei nummariæ ordo, quem *alphabeticum* dicimus, placuit, quo RVDOLPH. CAPELLVS

in

IOBERTI *notitia rei nummariæ*, Lipsiæ expressa latine MDCXLV. 12. & CAROLI PATINI *introductio ad historiam numismatum* Amstelodam. MDCCXXXIII. 12. præcipue autem EZECHIELIS SPANHEMII supra laudatus *liber de vsu & præstantia numismatum*, Lond. MDCCVI. fol.

§. II.

Plurimi, qui curam veterum nummorum habent, cogitant solum de imperatorum nummis c), parum

in *nummophylacio Luederiano antiquo & recentiori*, PHILIP. LABBEVS *bibliotheca nummaria* & FRANC. ERNEST. BRVCKMANNVS in *bibliotheca numismatica* pertinent: alii classes certas obseruarunt in percensendis scriptoribus, vt BVRC. GOTTH. STRVVIVS in *bibliotheca numismatum antiquiorum*: alii denique temporis rationem habuerunt, & scriptores pro chronologico enarrarunt ordine, quam viam præter reliquos ANSELMVS BANDVRIVS potissimum ingressus est in *bibliotheca nummaria*, a IO. ALB. FABRICIO Hamburgi MDCCXIX. iterum edita. Ad posteriorem classem pertinent: LVDOV. SAVOTVS in *discours sur les medailles antiques*: CLAVD. CHIFFLETIVS *libro* posthumo *de numismate antiquo*: CAROL. PATINVS dans *l'introduction à la connoissance des medailles*: IOS. MARIA SVCRESIVS *diss. de numismat. & nummis antiquis*: IO. EVELYNVS in libro anglico, ita inscripto: *numismata, a discourse of medals ancient and modern*: LVD. IOBERTVS dans *la science des medailles antiques & modernes*, qui liber a CHRIST. IVNCKERO in germanicam linguam translatus, & cura FRID. BENED. CARPZOVII Lipsiæ aliquoties editus est.

c) Inter eos, qui numismata imperatorum Romanorum collegerunt, ac ex istis Romanæ historiæ lumen accenderunt, sibi vindicant locum: LAVR. BEGERVS, ANT. AV-

parum solliciti de consularibus aut vrbium per varias prouincias numismatibus; quum tamen ex illis plus sæpe, quam imperatoriis, pro historia, geographia, chronologia & antiquis ritibus cognosci

 possit.

AVGVSTINVS, ANSELMVS BANDVRIVS, IO. PET. BELLORIVS, SEB. ERIZZO, HVBERT. GOLTZIVS, IO. HARDVINVS, LÆVINVS HVLSIVS, ADOLPH. OCCO, CAROL. PATINVS, PAVLLVS PEDRVSI, OCTAVIVS DE STRADA, IO. TRISTANVS, IOANNES FOY-VAILLANTIVS, aliique plures, quorum ANSELM. BANDVRIVS libro supra laudato mentionem fecit. Vti vero hi generatim omnium imperatorum nummos persequuti sunt, eosque pro regiminis ordine exhibuerunt; ita alii scriptores speciales memorandi sunt, qui singularium imperatorum vitas resque gestas ex antiquis numismatibus illustrarunt. In hanc classem cadunt: LVD. NONNII *commentarius in numismata Imp. Iulii, Augusti & Tiberii*: IOANN. SEOBALD. FABRICII, *Iulius Cæsar numismaticus*: STEPHANVS SOVCIET ad *nummum C. Iul. Cæsaris* in *memoriis Treuoltinis* mens. Decembr. ann. MDCCXIII. p. 2145: auctor *disquisitionis de numismatibus quibusdam abstrusis Neronis imperatoris per epistolas Patini & Eggelingii*, Brem. MDCLXXXI. VLRIC. OBRECHTVS *diss. de Domitiani nummo Isiaco*: GRAVERALLIVS *de nummo Græco imperatoris Traiani*: NICOL. TOINARDVS *dissertationibus de nummis quibusdam Galbæ, Traiani, Caracallæ & Commodi*: CLAVD. NICASIVS *de nummo Pantheo Adriani imperatoris*: MEDIOBARBVS & IO. CHRIST. OLEARIVS *epistolis de duobus nummis Seueri*: LVDOV. IOBERTVS, LVD. DE VALLEMONT & TVRNEMINE *commentationibus de nummis Gallieni*: HENR. NORISIVS *de nummis Diocletiani & Licinii*, aliique plures, quorum commentationes partim separatim prodierunt, partim in *memoriis Treuoltinis* typis descriptæ sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

possit. Nihilo minus cæsareorum inspectio suum vsum habet singularem, vbiuis explicatum ab eruditis. Commendari ex his in primis meretur CAROLVS PATINVS magno opere Argentorati MDCLXXI. fol. impresso, quia explicationes addit singulis nummis & imperatoribus eruditissimas. Huic adiungi potest IEAN VAILLANT, qui *Cæsarum* etiam *nummos* duobus tomis edidit, priore æneos, posteriore argenteos, vtrobique secundum seriem imperatorum, Paris. MDCLXXXI. fol.

§. III.

Qui exotica amat, FRANCISCI ANGELONII *historiam augustam* italica lingua Romæ MDCXLI. & MDCLXXXIV. fol. editam, adeat, qui selectissimos imperatorum nummos interpretatur. Ex gallicis libris opera IO. TRISTANI commendanda sunt, quæ itidem secundum seriem imperatorum sermone gallico rariſſimos nummos & elegantissimos explicant & interpretantur, Paris. MDCXXXV. MDCXLIV. MDCXLVII. fol.

§. IV.

Nec vero prætermittendus est HVBERTVS GOLZIVS, qui vasto opere vel omnem rem nummariam exhausisse videtur, Antwerp. MDCXLIV. fol. Quod vero nummos sæpe adfert adhuc inuisos, de fide eius a multis viris eruditis dubitatum est. Et ADOLPHI OCCONIS imperatorum numismata, a MEDIOBARBO BIRAGO copiosius Mediolani MDCLXXXIII. fol. edita sunt; qui vero solas inscriptiones refert, figuras non exhibet, sed tantum describit.

§. V.

§. V.

Consulares nummi d) & denarii descripti sunt a FVLVIO VRSINO, auctius editi a CAROLO PATINO adiunctis nummis ANT. AVGVSTINI, ex quibus gentes & familiæ Romanorum optime condisci possunt. Auxit iterum copiosissime IEAN VAILLANT tribus tomis Amstel. MDCCIII. fol. expressis.

§. VI.

Nummos ad geographiam pertinentes illustrarunt IO. HARDVINVS egregio tractatu *de nummis populorum & vrbium*, Paris. MDCXLVIII. 4. & modo laudatus VAILLANT opere, quod inscripsit: *numismata ærea imperatorum in coloniis, municipiis & vrbibus iure latio donatis, ex omni modulo percussa*, Paris. MDCLXXXI. fol.

§. VII.

Elegantissimi autem sunt libri, qui selecta numismata exhibent cum explicatione, cuius generis sunt CONSTANTII LANDI *selectiorum numismatum expositiones* Lugduni MDLIX. 4. editæ & MDCXCV. Lugduni Batauorum recusæ, &

d) Huc spectant quoque IO. HVTTICHII *iconia consulum*, eiusdem *imperatorum & cæsarum vitis* addita: ABR. GORLÆI *thesaurus numismat. aureor. argenteor. æreor. ad famil. eius vrbis spectantium*: IOANNES SMETIVS in *antiquit. Neomagensibus*: IAC. PERIZONIVS *respons. ad epistolas Andr. Morelli de variis consular. famil. Rom. numism.* EZ. SPANHEMIVS *diss. X. de vsu & præstant. numism.* FRANC. CAMELI, SEB. ERIZZO, PETR. SEGVINI aliorumque haud mentionem facio.

PETRI SEGVINI *selecta numismata antiqua*, Paris. MDCLXV. 4. Et ex recentioribus IACOBI WILDII *selecta numismata*, Amstel. MDCXCII. 4. & ANDREÆ MORELLII *specimen vniuersæ rei nummariæ antiquæ*, Paris. MDCLXXXIII. 8. quod maxime peregrinos nummos, non solos romanos, continet. Nam ad illos etiam respiciendum est: quemadmodum idem (*) VAILLANT *Syromacedonum historiam* Paris. MDCLXXXI. 4. & filius *historiam Ptolemæorum ex nummis* edidit Amstel. MDCCI. fol. e)

§. VIII.

(*) Prodiit etiam ex eiusdem VAILLANTII opere postumo *historia Arsacidarum & Achæmenidarum*, Paris. MDCCXXV. 4.

e) Ex magna scriptorum horum copia memorasse sufficiat: IAC. OISELIVM *thes. selector. numism. antiqu.* CAROL. HEIDANVM *thes. elegantiss. veter. numismatum:* GISBERT. CVPERVM tam *libr. IV. obseruationum*, quam *monimentis antiquis ineditis:* LAVRENTIVM BEGERVM *obseruat. & coniect. in numismat. quædam antiqua:* PAVLLVM, ALEXAND. MAFFEI libro ita inscripto: *le gemme antiche figurate:* CHRIST. WOLTERECKIVM *electis rei nummariæ:* BAVDELOTIVM, CAMELVM, CHAMILARTVM, EVELYNVM, VEYRELIVM, MENESTRIERIVM aliosque tacitus prætereo. Alii religionem veterum Romanorum ex nummis illustrarunt. Notæ sunt BALTHAS. BEBELII *dissertationes de theologia gentili ex antiquis nummis eruta*, cui GVIL. DECHOVL dans le *discours de la religion des anciens Romains, illustrée des medailles* aliique adiungendi sunt. Deorum dearumque capita ex nummis exhibent ABR. ORTELIVS, IAC. DE WILDE & PETR. SEGVINVS. Alii speciatim de quibusdam diis ex-

§. VIII.

Taceamus specialissimos nummos, cum explicatione editos singulariter. Sæpe vnus tantum, aut perpauci exhibentur, cuius generis est dissertatio OCTAVII FALCONERII *de nummo Apamensi, deucalionæi diluuii typum exhibente*, Romæ MDCLXVIII. 8.

§. IX.

Constantinopolitanum imperium etiam suos nummos habuit descriptos a CAROLO DV FRESNE *in historia Byzantina illustrata*, Paris. MDCLXXX. fol.

exposuerunt, eorumque cultum ex nummis demonstrarunt. Hoc modo de Ioue PETR. BVRMANNVS: de bono Euentu MOREAV DE MOVTOVR: de Iano & de deo Termino GROSEVS DE BOSE: de Marte cum scalis IO. CHRIST. OLEARIVS: de dea Moneta DAN. HOFFMANNVS: de Vesta EZECH. SPANHEMIVS: de Diana Ephesia CLAVD. MENETRIVS: de dea Salute GVIL. MVSGRAVE & laudatus DE BOSE: de Hilaritate, Lætitia, Pace, Munificentia, Securitate, Annona, Aequitate, alii commentati sunt. Reliquos consulto prætereo.

ADPENDIX PRIMA.

DE ASSE ROMANORVM.

§. I.

As nummi ærei genus erat, qui libralis primum cudebatur & graue æs (*vollwichtig*) perſæpe a ſcriptoribus dicitur: LIVIVS *libr. IV. cap.* 60. Poſt, quum Romanus populus ære alieno premeretur, ex ſingulis aſſibus libralibus ſextantarii, deinde vnciales, & tandem lege papiria ſemunciales facti ſunt: PLINIVS *libr. XXXIII. cap.* 3.

§. II.

Differentiam hanc cum variatis nummorum argenteorum pretiis & reliqua computandi ratione tabulis quibusdam & ſic vno quaſi conſpectu hic exhibebimus, vt pateat, quantum lucrata ſit hac aſſis diminutione res publica, & tirones quoque eo facilius intelligant, quæ clariſſimus auctor noſter hac de re ſuperius *cap.* 14. §. 1. ſeq. tradidit. Poſſent quidem deterrere animum ab eiusmodi conatu tam diuerſæ eruditorum in determinandis his pretiis ſententiæ; ſed ſtatuendum tamen aliquid videtur, ne prorſus fluctuent iuueniles mentes, quum præſertim neque iniurii in alios velimus eſſe, neque accuratiſſimos ipſi calculos polliceamur. Quodſi vero, quæ multorum ſententia eſt, denarium romanum, ſedecim aſſibus ſemuncialibus conſtantem, tribus groſſis miſnicis comparamus, in multis videbimur habere, in quo ſi non plane immoti, at tutiores tamen conſiſtamus. Sit igitur

TABVLA I.

DE ASSIVM VARIE DIMINVTORVM DIFFERENTIA.

	gr.	*pf.*
As libralis ad noſtram pecuniam exactus exæquat fere	4	6
As ſextantarius	-	9
As vncialis	-	$4\frac{1}{2}$
As ſemuncialis	-	$2\frac{1}{4}$

TABV-

TABVLA II.

DE ASSE LIBRALI SEV AERE GRAVI.

	thlr.	*gr.*	*pf.*
As libralis ad nostram exactus monetam exæquat	-	4	6
Semissis	-	2	3
Triens	-	1	6
Quadrans	-	1	1½
Sextans	-	-	9
Vncia	-	-	4½
Semuncia	-	-	2¼
Sextula	-	-	¾
Dupondius	-	9	-
Sestertius	-	11	3
Quadrussis	-	18	-
Quini æris	-	22	6
Deni æris	1	21	-
Centeni æris	18	18	-
Mille æris	187	12	-
Dena millia æris	1875	-	-
Centena millia æris	18750	-	-
Decies centena millia æris	187500	-	-

TABVLA III.

DE PRETIIS NVMMORVM ARGENTEORVM ILLO AEVO CVSORVM, QVO AS LIBRALIS ERAT.

Nummi argentei.		*thlr.*	*gr.*	*pf.*
Denarius æstimatus assibus	10			
exæquat	-	1	21	-
Quinarius	5	-	22	6
Sestertius	2½	-	11	3
Libella	asse 1	-	4	6
Sembella	semisse, id est ½	-	2	3
Teruncius	quadrante, id est ¼	-	1	1½

TABV-

TABVLA IV.
DE ASSE SEMVNCIALI.

	thlr.	gr.	pf.
As semuncialis exæquat - -		-	2¼
Dupondius - - - -		-	4½
Sestertius quatuor assibus constans		-	9
Quini æris - - -		-	11¼
Deni æris - - -		1	10½
Centeni æris - - -		18	9
Mille æris - -	7	19	6
Dena millia æris -	78	3	-
Centena millia æris	781	6	-
Decies centena millia æris	7812	12	-

Nota. Quatuor assibus hoc tempore æstimari sestertius cœpit, quemadmodum denarius sedecim; sed hic minus proprie vterque dicitur. Quodsi vero tamen placet more antiquo diuidere sestertium ita, vt duobus integris & dimidio constituatur:

	pf.
as vnus seu integrum vnum æquabit -	3⅗
dupondius - - - -	7⅕
semissis - - - -	1⅘
vt sestertii ex dupondio & semisse constantis summa sit - - -	9 *pf.*

TABVLA V.
DE PRETIIS NVMMORVM ARGENTEORVM ILLO TEMPORE CVSORVM, QVO AS SEMVNCIALIS FVIT.

Nummi argentei.			gr.	pf.
Denarius æstimatus assibus	16	exæquat -	3	-
Quinarius - -	8	- -	1	6
Sestertius - -	4	- -	-	9
Libella - asse	1	- -	-	2¼
Sembella - semisse, i.e.	½	- -	-	1⅛
Teruncius - quadrante, i.e.	¼	- -	-	9/16

TABV-

TABVLA VI.

De SESTERTIIS EORVMQVE COMPVTANDORVM RATIONE.

Sestertii exæquant *HS.*	*thlr.*	*gr.*	*pf.*	vel numero rotundiore secundum aliorum computum
1	-	-	9	thaleros numinos
4	-	3	-	siue im- cruce si-
33	-	1	9	periales gnatos,
100	3	3	-	*Reichsthlr.* *Creutzthlr.*
1000, i.e. sestertium	31	6	-	*von* 24 *gr.* *von* 30 *gr.*
Sestertia				
1	31	6	-	30 25
10	312	12	-	300 250
20	625	-	-	600 500
32	1000	-	-	960 800
40	1250	-	-	1200 1000
100	3125	-	-	3000 2500
1000 siue decies sestertium	31250	-	-	30000 25000

Sestertium siue *HS.*			
Decies	31250	30000	25000
Duodecies	37500	36000	30000
Quindecies	46875	45000	37500
Vicies	62500	60000	50000
Tricies	93750	90000	75000
Quadragies	125000	120000	100000
Quinquagies	156250	150000	125000
Sexagies	187500	180000	150000
Centies	312500	300000	250000
Ducenties	625000	600000	500000
Quadringenties	1250000	1200000	1000000
Millies	3125000	3000000	2500000
Bis millies	6250000	6000000	5000000
Decies millies	31250000	30000000	25000000

ADPEN-

ADPENDIX SECVNDA.

DE NOMINIBVS ROMANORVM EX CAROLO SIGONIO ET ONVPHRIO PANVINIO.

§. I.

Romanos homines duobus primum, post etiam tribus nominibus vsos esse reperimus; quorum vnum præcipue *nomen*, alterum *prænomen*, tertium *cognomen* aut *agnomen* appellauerunt. Quod vt eo melius intelligatur, exemplo PVBLII CORNELII SCIPIONIS AFRICANI declarabimus.

§. II.

Nimirum *nomen* originem gentis indicabat, vnde etiam gentilitium vocari solet, vt CORNELIVS.

§. III.

Prænomen differentiæ caussa nomini gentilicio præponebatur, vt scilicet a se invicem distinguerentur, qui eiusdem gentis erant, quale est in exemplo nostro PVBLIVS. Atque hæc discernendorum filiorum & nepotum caussa inuenta esse, VARRO auctor est.

§. IV.

Cognomen gentilicio nomini subiungebatur, vt SCIPIO. Et hanc quidem adpellandi rationem primum videntur excogitasse, vt eos, qui idem prænomen ac nomen ferebant, internoscerent; post autem, quum cognominum vsus increbuisset, etiam sine eiusmodi caussa seruasse. Potest hoc in gente Cornelia perspici, quæ cognominum varietate in multas familias est diffusa, vt Maluginenses, Cossos,

ſos, Scipiones, Lentulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas, & ſic porro, quum noua ſubdiuiſione opus eſſet, vt in Scipionibus, qui vel Africani, vel Aſiatici, vel Naſicæ dicebantur.

§. V.

A cognomine diſtinguunt nonnulli *agnomen*, tamquam extrinſecus addi ſolitum, & ex ratione aliqua aut euentu quæſitum; vt AFRICANVS. Sed contradicunt CAROLVS SIGONIVS & ONVPHRIVS PANVINIVS, locupletiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis comprobantes, omnia deinceps cognomina dici, quæ poſt nomen gentilicium collocantur. Atque ſic non tantum in huius P. Cornelii cognominibus cenſeri debet, quum vocatur SCIPIO AFRICANVS; ſed idem in nepote etiam, L. Aemilii Paulli filio, valet, qui adoptatus a Publio, Africani maioris filio, dicitur P. Cornelius Scipio Africanus ÆMILIANVS. Sed raro tria vſurparunt cognomina, rariſſime autem quatuor, vt Q. Fabius MAXIMVS VERRVCOSSVS OVICVLA CVNCTATOR.

§. VI.

Ex *prænominibus* alia a Romanis, alia a finitimis populis frequentius vſurpata ſunt. *Romana* ſex & quadraginta numerat ONVPHRIVS PANVINIVS: quæ ſunt Agrippa, Ancus, Appius, Arruns, Aulus, Cæſo, Caius, Cnæus, Coſſus, Decimus, Denter, Druſius, Egerius, Fauſtus, Hoſtius, Iulus, Lar, Lucius, Mamercus, Mamurius, Manius, Marcus, Nero, Numa, Numerius, Opiter, Paullus, Poſtumus, Potitus, Proculus, Publius, Quintus, Remus, Romulus, Sertor, Seruius, Sextus, Spurius, Statius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus,

bus, Volero, Voluſus, Vopiſcus. Erant autem ex his alia frequentiore in vſu, alia contra minus vſitata. Ex minus vſitatis quædam, quum ante cognomina eſſent, poſt longum temporis interuallum prænominis officio functa ſunt, vt Coſſus, Druſus, Iulus, Nero, Paullus, Potitus & Voluſus; quædam autem, quum ab initio eſſent prænomina, pro cognominibus aliquando ſunt vſurpata, vt Agrippa, Denter, Fauſtus, Poſtumus, Proculus, & Tullus. *Peregrina* ſunt Aimilius, Allius, Attius, Auentinus, Faunus, Fauſtulus, Herennius, Latinus, Lucumo, Metius, Numitor, Octauius, Ouius, Petro, Picus, Pompo, Septimius, Tallus, Turnus, Tutor, & ſimilia.

§. VII.

De romanis prænominibus hoc etiam obſeruare vtiliter tirones poſſunt: alia eorum per compendium ſingulis tantum, alia binis, alia ternis litteris ſcribi ſolita fuiſſe. *A.* enim Aulus erat, *C.* Caius, *K.* Cæſo, *D.* Decimus, *L.* Lucius, *M'.* Manius, *M.* Marcus, *N.* Numerius, *P.* Publius, *Q.* Quintus, *T.* Titus; *Ap.* Appius, *Cn.* Cnæus, *Op.* Opiter, *Sp.* Spurius, *Ti.* Tiberius; *Mam.* Mamercus, *Ser.* Seruius, *Sex.* Sextus, *Tul.* Tullus.

§. VIII.

Gentilicia nomina pæne innumera ſunt, & fere omnia deſinunt in *ius*, vt gentis origo deriuatione eiusmodi ſignificetur. Sic *iulia* gens ab Iulo dicitur, Aeneæ filio; *aimilia*, ab Aimilo, Iuli filio; *nautia*, a Naute; *antonia*, ab Antone, quoniam hi earum gentium auctores erant. Pauca tantum excepta ſunt, quæ in *us* terminantur, vt Peducæus, Poppæus & Nor-

Norbanus. Nam quod Cæcina, Perperna & alia quædam non in *ius* desinunt, potius eorum nescîri nomina existimandum videtur, quam nomina gentilicia fuisse, quæ omnino cognomina fuerunt.

§. IX.

Commemorandum autem hoc loco est, quid *gens* sit, a qua gentilicia nomina dicuntur, & qua ratione a *familia* differat. Nimirum illud inter vtramque interest, quod gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. Quare illa quasi totum videtur continere, hæc quodam modo partem. Exempli gratia Cornelii omnes vnius esse gentis dicuntur, quia vno nomine continentur omnes. At vero partes huius gentis sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt & familiæ vocantur: vt Maluginenses, Cossi, Scipiones, Lentuli, Merulæ, Cinnæ, Sullæ, Dolabellæ. Hinc recte Festus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficiatur. Quæ autem ratio est inter gentem & familiam, eadem etiam est inter genus & stirpem, eademque porro inter gentiles & agnatos. Quemadmodum enim familia aut stirps nos propius attingit, quam gens aut genus; sic agnati propiores, quam gentiles. Agnati enim sunt eiusdem familiæ, gentiles eiusdem gentis, vel, vt CICERO tradit, eodem inter se nomine.

§. X.

De *cognominibus* iam ante quædam dicta sunt. Alia cognominandi ratio supereſt, a patris (interdum etiam ab aui, vel proaui) prænomine, item a tribu, curia, aut censu desumta. Sic apud CICERONEM *lib. VIII. epist.* 8. *num.* 12. legimus: *scribendo adfuerunt L. Domitius* Cn. filius *Ahenobarbus*, *Q. Cæcilius*

cilius Q. F. *Metellus Pius* Scipio, *L. Villius* L. F Pomt. *Annalis*, *C. Septimius* T. F. Quirina, *C. Lucceius* C. F. Pup. *Hirrus*, *C. Scribonius* C. F. Pop. *Curio*, *L. Atteius* L. F. An. *Capito*, *M. Oppius* M. F. Terentina. Vbi *Pomtina*, *Quirina*, *Pupinia*, *Popilia*, *Anienſis*, *Terentina*, tribuum nomina ſunt, ſexto caſu poſita.

ADPENDIX TERTIA.

DE RITV CONVIVIORVM APVD ROMANOS. Ex Iuſto Lipſio a).

§. I.

Conuiuandi mos apud Romanos vt illuſtretur, tria ſunt dicenda, *tempus*, *locus*, *modus*. Ad *tempus* pertinet, quoties ſumſerint cibum, & quando. Antiqui, ſi FESTO credimus, ter ſumſiſſe cibum in die videntur: vnde *ientaculum*, ſiue prandiculum, cibus, qui mane; *prandium*, ſiue merenda, qui medio die; *cœna*, ſiue veſperna, qui ſub veſperam capiebatur. Si NONIO MARCELLO, quater, qui merendam a prandio diſtinguit, & poſt meridiem collocat. Sed equidem nomina potius iſta vſitata Romanis crediderim, præſertim comœdiis palliatis, quam rem ipſam. Bis enim tantum ſumſiſſe cibum videntur, prandio videlicet & cœna. Excipio pueros, &, ſi qui erant diſſoluti, luxus: quamquam & prandia ipſa modica erant, & ſemper ſolitaria, ſine conuiuis. SALLVSTIVS ad C. Cæſarem *de republica ordinanda*, oratione, id eſt, aſperis ver-

a) *tom. III. operum*, *p.* 1476.

verbis, notat eos, quibus *bis die*, inquit, *ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere, mos erat.* Et SVETONIVS in *Vitellio, cap. LIII.* tamquam rem summæ luxuriæ obseruat, quod epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in *ientacula, prandia, & cœnas, comessationesque.* Sed ne CELSVS *lib. I. cap.* 3. quidem prandium vt ordinarium agnoscit, & tenue id fuisse, indicat his verbis: *hieme*, inquit, *si quis prandet, vtilius est exiguum aliquid, & siccum sine carne siue potione sumere; æstate vero & potione & cibo corpus sæpius eget. Ideo prandere quoque commodum est.* Cœna igitur præcipua conuiuii pars, cuius hora eadem fere, quæ moribus nostris merendæ, scilicet hora nona. CICERO *epist. vlt. lib. IV. ad familiares*: *accubueram*, inquit, *hora nona, quum ad te exemplum harum litterarum*, cet. MARTIALIS:

Imperat exstructos frangere nona thoros.

A qua hora cœnæ dictam putant Grammatici *annonam*, res edules adcommodatas ad horam nonam. Quamquam homines frugales sæpe exspectabant occasum solis, contra homines voluptuarii horam nonam præcipiebant, vt illa apud IVVENALEM: *exsul ab octaua Marius bibit.* Quæ conuiuia festinata, ni fallor, antiqui *tempestiua* dixerunt, tamquam nimium tempori inita, & in vitio ponebant, vt CICERO *pro Muræna, pro Archia, lib. IV. ad Atticum*, & SENECA *lib. II. de tranquillitate cap. XXVIII.* sicut intempestiua illa, quæ protrahebantur in multam noctem, aut vsque ad diem, vel lucem. Hæc de tempore.

§. II.

Locus, in quo conuiuabant, *triclinium* dictus, scilicet

licet a numero lectorum, qui circa mensam vulgo sternebantur, etiam *biclinium*, apud PLAVTVM est & ἑξακλίνιον in ATHENÆO & MARTIALI legimus: *& testitudineum mensus quater ἑξακλίνιον, ingemuit citro non satis esse suo.* Vbi tale ἑξακλίνιον pro mensis ipsis positum videtur, vt triclinia apud PLINIVM *lib. XXXIV. cap. 2. & 3.* Pro triclinio posterior ætas cœpit vsurpare *sigma*, cuius forma videtur fuisse ἡμικύκλε, aut lunatæ testudinis, MARTIALIS:

Accipe lunata scriptum testudine sigma;

& alibi:

Septem sigma capit, sex sumus, adde lupum.

LAMPRIDIVS *in Heliogabalo: sigma de croco strauit, cum summos viros inuitasset ad prandium.* SIDONIVS:

Mos erat his dominis hibernum sigma locare.

Errat BRODÆVS *lib. III. miscellaneorum cap.* 4. qui mensam ipsam eo nomine dictam censet. Sed & locus, in quo cœnabant, *diæta* dictus est, a διαιτάομαι, id est, *viuo*, siue *versor*, vel, vt VARRO vult, *quod in ea per diem edatur.* SVETONIVS *in Claudio cap. X.* & iurisconsulti sæpe, vt *lib. XLIII. de legatis, libr. penult. de donationibus inter virum & vxorem:* PLINIVS *in epistolis:* LAMPRIDIVS *zetam*, vel *zeteculam* adpellant, pro *diæta*, more Græco scilicet, apud quos Dores ζ pro δι vsurpant, vt ζαβάλλω pro διαβάλλω.

§. III.

Nec plura de loco. Transeo ad *modum.* Romani initio sedebant ad mensam. SERVIVS ad illud VIRGILII:

Perpetuis soliti patres considere mensis;

maiores, inquit, *nostri sedentes epulabantur, quem mo-*

modum habuerunt a Laconibus & Cretenſibus, vt VARRO *in libro de vita populi romani* docet, & ſimilia ISIDORVS *lib. XX. cap.* 2. qui idem apud Græcos antiquitus fuiſſe, ex variis HOMERI locis adparet, & ATHENÆO *lib. VIII. cap.* 13. Sed paullatim creſcentibus deliciis exoleuit ſeſſio, & in eius locum ſucceſſit accubitus, non ſolum apud Græcos & Romanos, ſed etiam Afros & barbaros, quod diſcimus ex LIVIO *lib. XX.* de Scipione & Aſdrubale, cœnantibus apud Sypacem.

§. IV.

Porro *forma* accumbendi repræſentari ſic poteſt. In cœnaculo menſa collocabatur rotunda, magnitudine circiter quatuor pedum, raro amplior. Ex PLINIO *lib. XIII. cap.* 15. circa eam tres lecti, aulæis, purpura, aut alia veſte ſtragula intecti, pro opibus cuiusque. In eos conuiuæ recumbebant, ſed prius poſitis calceis, ne lectum conſpurcarent, quos iterum ſumebant abituri. Hinc illa apud PLINIVM *in epiſtolis: quam multi, quum lector aut comœdus introductus eſt, calceos poſcunt, vt non minori tædio cubant?* MARTIALIS:

Depoſitis ſoleis, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

In vno autem lecto terni, aut quaterni iacebant. HORATIVS:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si plures, ſordidum id habebatur & plebeium. CICERO *in Piſonem: nihil apud hunc lautum, nihil elegans.* Græci quini in lectulis ſtipati. Ita fiebat, vt ex vna communi menſa raro plures, quam XI. veſcerentur, vnde illa δωδεκάτεος cœna apud SVETO-

NIVM *in Augusto cap. LXX.* Immo viri principes, aut honestiores, in vno lecto soli, aut bini adcumbebant. Et notat in Traianum quasi nouum XIPHILINVS, quod sæpe quartus discumberet, id est, cum tribus aliis in vno lecto. Quodsi plures quam XII. conuiuæ vocarentur, plures mensas & triclinia sterni, moris erat, vt adparet ex MACROBIO *lib. III. Saturn. cap.* 13. & ex PLVTARCHO *in Cæsare*, qui ait: *populum Romanum ab eo triclinio rum viginti duobus millibus exceptum.*

§. V.

Modus accubitus hic erat: iacebant reclinata superiore parte corporis in cubitum sinistrum, inferiori in longum porrecta & iacente, capite leuiter erecto, dorso puluillis modice suffulto. Et primus quidem discumbebat ad caput lecti, cuius pedes porrigebantur iuxta dorsum secundi. Secundus pulvillo interiecto, decumbebat ad vmbilicum primi, pedes extendebantur ad dorsum tertii, & sic deinceps. Ex hoc decubitu manauit summus locus, medius & imus, quorum frequens mentio apud historicos & poëtas. Dignitatem si quærimus, dignissimus inter lectos medius, & in eodem lecto locus item medius. Inde VIRGILIVS *Aeneid. lib. I.*:

- - aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locauit.

SENECA *lib. II. de tranquillitate vitæ cap.* 10. eleganter: *sermonem meum irrisit, aut palam auersatus est, & non in medio me loco, sed imo locauit.* Et aliæ huiusmodi notæ. Post hunc honoratissimus locus summus: vilissimus, imus.

§. VI.

§. VI.

Et hæc quidem accumbendi ratio vulgata inter omnes fuit. Excipio pueros & seruos. Pueri enim ad fulcra lectorum sedentes, vescebantur. TACITVS de more Britannorum *lib. XIII. annalium:* SVETONIVS *in Claudio cap. XXXII. & in Augusto cap. LXIV.* Serui in subselliis iuxta lectum. PLAVTVS *Sticho: potius in subselliis ciuium accipiemur, quam in lecto;* & in *Persa: scis tu, me esse imi subsellii virum?* DONATVS *in vita Terentii: iussus*, inquit, *Cæcilio recitare, ad cœnandum quum venisset, quod erat contemtiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse, dicitur. Post paucos vero versus, inuitatus, vt adcumberet, cœnasse vna.* SENECA *lib. II. de tranquillitate vitæ cap.* 15. Sed & feminæ antiquitus vetabantur adcumbere. VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap.* 1: *feminæ*, inquit, *cum viris cubantibus sedentes conuivabant. Quæ consuetudo ex hominum conuictu ad deos penetrauit.* ISIDORVS *lib. XX. cap.* 1. Qui tamen mos iam ante *Ciceronis* tempora exoleuit, vt adparet ex *lib. V. ad Atticum epist.* 20. ex OVIDIO, PROPERTIO & poetis. Postremo etiam viri in luctu aut militia abstinebant adcumbere. PLVTARCHVS *in Catone Vticensi* obseruat, illum post bellum ciuile numquam, nisi sedentem, cœnasse. Et SPARTIANVS *in Hadriano* auctor est, illum triclinia omnia abstuliisse e castris. Etiam CÆSAR *lib. III. de bello ciuili* luxuriæ notam interpretatur, quod in castris Pompeii triclinia strata reperissent.

§. VII.

Hæc de adcubitu Romanorum. Addo corollarii loco, eumdem adcumbendi morem in Iudæa fuisse

Christi temporibus. Adparet clare ex IOANNE *cap. XIII.* scribente, *recubuisse se in sinu Iesu*, & LVCÆ *cap. VII.* de muliere peccatrice, quæ stans a tergo lauit pedes Christi, & eiusdem *cap. XXII*, 18. *cœnaculum stratum* nominatur, quod de lectis capiendum. Docent & verba ipsa, quibus in re conuiuali perpetuo vtuntur euangelistæ, τὸ ἀνακεῖσθαι, καὶ τὸ ἀνακλίναι.

****

ADPENDIX QVARTA.

DE NVPTIIS, SVSCEPTIONE, EDVCATIONE LIBERORVM, ATQVE ADOPTIONIBVS.

§. I.

QVAMVIS multi apud Romanos essent, qui vitam cœlibem omnium iucundissimam ac viro graui maxime dignam esse, existimarent; plurimi tamen rite cognouerunt, eam statui ciuili maxime noxiam esse, atque effecerunt, vt, singularibus hanc in rem sancitis legibus, haud spernenda iis proponerentur præmia, qui multos procrearent liberos, eo potissimum fine, vt orbitas plane ex Romanorum exterminaretur finibus, quemadmodum huius rei leges iulia & papia poppæa, ab HEINECCIO egregie illustratæ, insigne præbent documentum: conf. PHIL. LVDOV. HANNEKENIVM *de cura domestic. Roman.* p. 91. Inde honorificum existimabatur, maritum esse, & multis liberis augeri, matrimoniumque contrahere, vt ex CICERONE *de fin. lib. V. cap.* 28. & *lib. III. de leg. cap.* 3. satis patet. Ante ipsas nuptias *sponsalia* celebrabantur,

quæ

quæ erant mutua conuentio inter futurum maritum atque eum, in cuius poteſtate ſponſa adhuc fuerat, qua de re BARNAB. BRISSONIVM *de vet. rit. connubior.* ANT. HOTTOMANNVM *de vet. nuptiar. ritu* & FRANC. HOTTOMANNVM *de ſponſal. & ritu nuptiar.* conſulas.

§. II.

In ipſo matrimonio contrahendo ratio habebatur nationis, conditionis, gentis & ſanguinis. Supra enim iam obſeruatum eſt, ciuem Romanum cum ſponſa ciuitatis romanæ experte, ingenuum cum libertina, patricium cum plebeia, matrimonium inire non potuiſſe, quod & verſa vice mulieribus non permittebatur, ſi ciuitate Romana præditæ, ingenuæ & patriciæ, mariti vero libertini, plebeii & ciuitatis iuribus deſtituti erant. Conf. CAROL. SIGONIVS *de antiqu. iur. ciu. Rom.* p. 119. PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cur. domeſt. Rom.* p. 7. & HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. iurispr. illuſtr.* p. 154. De gradibus cognationis apud Romanos prohibitis exponit THOMASIVS *de vſu pract. inſt. de nupt.* p. 48. 49. In ſponſalibus ſponſæ a ſponſo arrhæ dabantur, & inprimis annulus pronubus, de quo IO. KIRCHMANNVS *de annulis cap. XVIII.* p. 181. conſulendus eſt. Præterea dos certa ſponſæ addicebatur, & in codicillis matrimonialibus obſignabatur, qua de re HENR. LINDENBROGIVS ad *leg. antiqu.* p. 1391. videatur, vbi obſeruat, dotem a ſponſo, non autem a ſponſa datam fuiſſe: adde CLAVD. SALMASIVM *de mod. vſurar. cap. IV.* p. 138. PERIZONIVM *triad. diſſ.* p. 113. & THOM. DEMPSTERVM *not. ad Roſin.*

lib. V. cap. 37. Sponſalibus rite peractis, diem certum nuptiis celebrandis conſtituebant, qua in re haud leuem prodiderunt ſuperſtitionem. Certi enim dies apud ipſos mala omnia nubentibus inferre credebantur, quemadmodum omnes calendæ, nonæ, idus, menſis maius, parentalia & ſaliorum feſtum fuerunt.

§. III.

Matrimonium ipſum apud Romanos triplici contrahebatur modo: 1) *confarreatione*, quum certis adhibitis verbis, teſtibusque decem præſentibus, ſollemnique ſacrificio, mulier in manum viri conveniebat: 2) *coemtione*, cuius ritum deſcribit NONIVS *de propriet. ſermon. XII.* 50. quamuis non deſint, qui confarreationem & coemtionem pro vno eodemque ritu habeant: 3) *vſu*, quando maritus ſine confarreationis & coemtionis ritu vxorem per integrum anni ſpatium vſucapiebat. Exponit hoc argumentum copioſe HEINECCIVS *libro indicato* p. 143. ſeq. cui HOTTOMANNVS, *de vet. rit. nuptiar. cap. XX.* CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 9. IVST. LIPSIVS *not. ad Tacit. lib. V. annal. cap.* 16. ac plures alii adiungendi ſunt.

§. IV.

Ex confarreationis & coemtionis ritu oriebatur 1) *ſacrorum communio.* In ipſis enim veterum ædibus penates, cuiuscumque familiæ proprii, colebantur, atque per id efficiebatur, vt vxor & maritus communibus fruerentur ſacris. 2) *Suſceptio liberorum patrimorum & matrimorum*, quorum magnum erat in ſacris priuilegium. 3) *Liberatio a*

pa-

patria poteſtate. Vxor enim per confarreationem fiebat materfamilias, ex patris poteſtate in mariti poteſtatem tranſibat, & filiæ loco habebatur, adeoque & eius heres erat. 4) *Poſſeſſio bonorum.* Maritus enim bona omnia vxoris nomine dotis accipiebat. 5) *Arctiſſimum coniugii vinculum.* Connubium enim tale, per confarreationem factum, non niſi diffarreatione, id eſt, per ſacrificia, adhibitis procul dubio pontificibus, diſſolui potuit. Tempore tamen imperatorum, ob certa incommoda, quæ inde emergebant, confarreatio hæc obſoleuit: conf. HOTOMANNVS *de vet. ritu nuptiarum cap. XX.* CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 9. LAVR. BEGERVS *contemplat. gemmarum quarumd. dactylioth. Gorlæi* p. 28. 10. GOTTL. HEINECCIVM *libr. laudato* p. 144.

§. V.

Die ipſo nuptiarum, captis rite auſpiciis, ſponſæ coma cuſpide dirimi; ipſa vero laneo cingulo, a ſponſo in nuptiali lecto ſoluendo, corona tunicaque recta ornari & flammeo obtegi ſolebat. Tum e gremio matris, vel proximæ cognatæ, in memoriam raptarum virginum Sabinarum, abripiebatur, atque miſſis ad deum Domiducum precibus, in mariti domum, lauro obſitam & floribus ornatam, a tribus paranymphis ducebatur, quorum primus facem præferebat; quamuis alii plures prælatas fuiſſe ſtatuant, quum ſub ineuntem noctem per ordinem Romanorum nuptiæ celebrarentur; reliqui autem duo ad latus eius ibant, ancillis comitibus, quæ cum colo, fuſo & ſtamine ſponſam ſequebantur. Pompam hanc amici & cognati cum donis

ornare

ornare solebant. Videantur: PLVTARCHVS *vit. Romul.* p. 26. OVIDIVS *lib. II. fastor. v.* 560. CATVLLVS *carm.* 61. & 62. APVLEIVS *metam. lib. IV.* p. 154. LVCANVS *lib. II. pharsal. v.* 359. IVVENALIS *sat. VI. v.* 224. AVGVSTINVS *de ciuit. Dei lib. XII. cap.* 13. *lib. XIV. cap.* 18. PLINIVS *hist. natural. lib. VIII. cap.* 48. & CLAVDIANVS *de nupt. honor. & Mar. v.* 286. quibus BVRMANNVM *ad Petron.* p. 87. addas. De coronis nuptialibus singularem scripsit librum MADERVS, cui RITTERSHVSIVS *lib. II. sacrar. lection. cap.* 9. adiungendus est. De Paranymphis HVGO GROTIVS *not. ad Matth. IX*, 15. euoluatur. Plura de his memoratis ritibus suppeditat HANNEKENIVS *libro memorato*, p. 19. seq.

§. VI.

Sponsa, ad mariti sui domum perducta, non ipsa eam ingrediebatur, sed a paranymphis super limen ferebatur, postquam prius ædium postes laneis vittis ornauerat & adipe lupino vel suillo vnxerat. Lege PLVTARCHVM *vit. Romul.* p. 26. *quæst. Rom. XXIX.* LVCANVM *lib. II. v.* 352. PLINIVM *lib. XXVIII. hist. natur. cap.* 9. & SERVIVM *not. ad Virgil. lib. IV. Aeneid. v.* 458. & HANNEKENIVM *de cura domestic.* p. 23.

§. VII.

His peractis, nouæ sponsæ claues tradebantur, simulque ei cura domestica committebatur. Adportari quoque solebat aqua & ignis, ad significandum, omnia ex humore & calore gigni. Lotis nubentium pedibus, cœna nuptialis parabatur, atque amici & cognati conuiuio excipiebantur, præsentibus

bus quoque tibicinibus ac pueris; illis, vt tibiis canerent; his vero, vt carmina quædam obscœna, *fescennina* dicta, recitarent. Conuiuæ *Talasium*, qui Græcorum Hymenæus est, inuocabant; nubentes vero nuces inter pueros spargebant. Testes habebemus CICERONEM *orat. Philipp. II. cap.* 28. OVIDIVM *fastor. lib. IV. v.* 792. LIVIVM *lib. I. cap.* 9. CATVLLVM *carm. LXII.* SERVIVM *ad Virgil. lib. I. v.* 655. & *lib. IV. v.* 167. IVVENALEM *sat. VI. v.* 209. aliosque; ex recentioribus autem IANVM GVILIELMIVM *lib. II. verisimil. cap.* 19. BARN. BRISSONIVM *de formul. lib. VIII.* p. 719. STVCKIVM *lib. I. antiquit. conuiual. cap.* 24. GABR. MARQVARDVM *diss. de cœna nuptiali*, & IO. CHRIST. BVSMANNVM *diatrib. de carminib. nuptialib.* Helmst. MDCCX.

§. VIII.

Finito conuiuio, nupta a pronuba in lecto geniali, floribus ornato, collocabatur. Amici abeuntes *apophoreta*, siue munuscula accipiebant. *Repotia*, siue epulæ postridie apud nouum maritum instituebantur, quibus amici conuiuium, viliores vero & pauperes *sportulam* nanciscebantur. Noua nupta tum a cognatis munera accipiebat; ipsa vero postea curam domesticam in se suscipere & sub eius auspiciis in domo viri sacra facere solebat. Consulas IVVENALEM *sat. VI. v.* 203. HORATIVM *lib. II. serm.* II. *v.* 60. & MACROBIVM *lib. I. saturn. cap.* 15.

§. IX.

Sponsalia *repudio*; matrimonia vero *diuortio* dissoluebantur. Lege Romuli diuortium viris tantum, non autem mulieribus permissum fuit, quando nimirum

mirum vxor veneficium circa prolem adhibuerat, liberos alienos ſuppoſuerat, adulterium commiſerat, &, viro inſcio, vino vſa fuerat. Dos in hoc divortio, ſi vxor cauſſa ipſius erat diuortii, marito reddebatur, tabulæ ſponſalitiæ frangebantur, vxorique claues adimebantur: lege HANNEKENIVM *de cura domeſtic. Rom.* p. 33. HOTOMANNVM *de ritu nuptiar. cap. I.* HENR. BROWERVM *de iure connubior. lib. II. cap.* 31. & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. vit. Cæſ. cap. I.* Neminem ante DXX. vrbis annum diuortium Romæ feciſſe, auctor eſt DIONYSIVS *Halicarnaſſeus lib. II.* p. 96. cui CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap.* 9. addendus eſt. Poſtea Romanos crebrius vxores ſuas dimiſiſſe, teſtes ſunt IVVENALIS *ſat. VI. v.* 20. & MARTIALIS *lib. VI. epigr.* 7. Formulas diuortii apud Romanos tradit BARN. BRISSONIVS *lib. VIII. de formul.* p. 722. De ſecundis nuptiis quid ſtatuerint veteres Romani pariter ac Græci, exponunt: 10. GERHARDVS *locis theolog. tom. VII. p.* 204. MATTH. BERNEGGERVS *quæſtion. CX. ad Tacitum*, CAMPEG. VITRINGA *de ſynagog. veter. lib. III. part. I. cap.* 4. p. 662. HVGO GROTIVS *tom. II. operum theolog.* p. 354. 10. BEVEROVICIVS *quæſtion. epiſtol.* p. 14. & HANNEKENIVS *loc. indicat.* p. 34. Polygamia apud veteres Romanos prohibita fuit, & Antonius primus ex Romanis exſtitit, qui duas duceret vxores. Quamuis poſtea Valentinianus iunior lege ſanxiſſet, vt liceret cuiuis viro, duas vxores ducere; ea tamen apud poſteros haud valuit: conf. HEINECCIVS *libr. memorato* p. 155.

§. X.

§. X.

De nuptiis veterum Romanorum fusius ediſſeruerunt: BARN. BRISSONIVS *de vet. rit. nuptiarum, tom. VIII. theſ. ant. Rom. Græuii* p. 1907. ANT. HOTOMANNVS *de veteri nuptiarum ritu:* FRANC. HOTOMANNVS *de ſponſalibus & ritu nuptiarum & matrimoniorum:* IO. BAPT. CASALIVS *de ritu nuptiarum ac de iure connubiali veterum:* PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cura domeſtic. Romanor. diſſ. I. cap.* 1. & 2. aliique plures.

§. XI.

Antiquitates puerperii THOM. BARTHOLINVS perſequutus eſt, cuius *antiquitates puerperii veterum* commentario ornauit CASP. BARTHOLINVS, THOMÆ filius, & IO. MEVRSIVS *ſyntagm. de puerperio veterum, tom. VIII. theſ. ant. Græc. Gronouii*, p. 1417. Liberi ipſi, a parentibus procreati, vbi ex iuſtis nuptiis geniti erant, *legitimi* dicebantur; reliqui vero omnes *illegitimi* adpellati ſunt, quorum quatuor diuerſa exſtiterunt genera. Alii erant *naturales*, ex concubina, vel vidua, aut virgine ſtuprata nati; alii *ſpurii*, ex meretrice; alii *adulterini*, ex adultera; alii denique *inceſtuoſi*, ex inceſtuoſis amplexibus geniti. Omnes iſti non infames quidem habebantur, a vulgo tamen ipſis quædam leuis notæ macula impoſita eſt, præſertim adulterinis atque inceſtuoſis: conf. IO. GOTTL. HEINECCIVS *ſynt. ant. Rom. iurispr. illuſtr.* p. 157.

§. XII.

Romani antiquiſſimis temporibus immanes nonnumquam fuerunt, & recens natos liberos ſuos expoſuerunt, vt ab aliis ſuſciperentur, quæ mala conſuetudo

ſuetudo & apud Græcos recepta fuit, exceptis Thebanis, apud quos eā legibus vetita fuerat. A Græcis ad Romanos inhumana hæc agendi ratio tranſiit, qui ſtatim, ac in lucem editus erat infans, & in terra collocatus, eum vel de iſta leuabant, vel extra ædes portandum curabant, vt ad ripam aut litus in vaſculo, de papyro facto, & bitumine illinito, deferretur. Quamuis hæc conſuetudo, quo manſuetiores in dies reddebantur Romani, magis magisque coerceretur; ea tamen haud penitus & ſub primis imperatoribus exſtirpari potuit. Inter eos, qui expoſitionem hanc publice abrogarunt, Valentinianus, Valens & Gratianus fuerunt. Vide *leg. II. cod. de infant. expoſit.* & adde GER. NOODTIVM *in* IVLIO PAVLLO *cap. I. ſeq.* BARTHOLINVM *de puerperio*, p. 85. IAC. OIZELIVM *not. ad Minuc. Felic.* p. 306. & CORNEL. BYNCKERSHOECKIVM *de iure occidendi, vendendi & exponendi liberos.* Eumdem fere morem veteres in expoſitione ægrotorum obſeruarunt, de qua præter ceteros expoſuit CAROL. FRID. HVNDERTMARKIVS *diſſert. de incrementis artis medicæ per ægrotorum apud veteres in vias publicas & templa expoſitionem*, Lipſiæ MDCCXXXVIII.

§. XIII.

Expoſitio infantum quemadmodum a pauperibus ac iis fiebat, qui omnem humanitatem ac naturalem erga liberos amorem depoſuerant; ita cultiores ſummam curam ad id adhibuerunt, vt liberos ſuos ſumma cura educarent: nec ſolum præceptoribus, qui prima litterarum elementa, nimirum artem ſcribendi, legendi & calculandi, ipſis tra-

tradebant, sed etiam pædagogis committerent, antequam extra limen ad ludos litterarios ac scholas publicas mittebantur, de quo argumento iam supra commentatus sum. Præter litterarum studia, etiam varia corporis exercitia habuerunt, de quibus HANNEKENIVS *de cura domestic. Rom.* p. 113. exponit. De patria in liberos potestate iam supra dixi.

§. XIV.

Quoniam quælibet Romana familia singularia ac priuata habuit sacra; ea vero sine relictis liberis interibant, ii, qui ex iustis vxoribus liberos haud nacti fuerant, extraneos adoptarunt, idque eo magis, quum iis, qui liberis præditi erant, varia eximia præmia constituta essent. Adoptiones duplicis erant generis: *adoptiones* videlicet, strictiori sententia sic adpellatæ, & *adrogationes*. Per *adrogationes* homines proprii sui iuris, per *adoptiones* vero liberi alieni in alterius potestatem, gentem, nomen & sacra transibant. Adrogationes in comitiis curiatis pontificum auctoritate fiebant, cuius rei causas HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurispr. illustr.* p. 165. aperit. Pontifices dispiciebant, quamnam ætatem adoptans & adoptatus habeat: quæ causa sit adoptionis, numque adoptio, vel adrogatio in salutem adoptati fieret, nec ne? Postquam vterque, & adrogatus, & adrogans, mutuum suum consensum declarauerat, sollemnis rogatio in comitiis curiatis sequebatur, cuius formulam A. GELLIVS *lib. V. noct. Attic. cap.* 19. exhibet.

§. XV.

Ipsi adoptati eodem loco habebantur, ac si proprii adoptantis essent filii, hincque adoptionem he-

reditas nominis, pecuniæ ac sacrorum sequebatur Immo patricii, a plebeio adoptati, ad ordinem plebeium; plebeii vero, a patricio adoptati, ad patricium transibant ordinem: conf. IOH. GOTTL. HEINECCIVS *comm. ad leg. pap.* p. 113. De adrogatione obseruandum præterea est: solos ciues Romanos, vt comitiorum participes, adrogasse; eam non ad cælibes, sed solum ad orbos spectasse, ac quidem tales orbos, qui non amplius prolem exspectare poterant; inde senibus tantum, sexaginta ad minimum annorum, adrogationem concessam fuisse; nec mutos & surdos, nec feminas, quoniam comitiorum iure destituebantur, adrogari potuisse; pupillos etiam non adrogatos esse, quum ipsi actores non fieri possent; omnemque adrogationem propter comitia curiata Romæ fieri debuisse: conf. HEINECCIVS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr.* p. 171.

§. XVI.

A primo hoc adoptationis genere, quod *adrogatio* dicebatur, alterum differebat, strictiori sensu *adoptio* vocatum, quo liberi in sacris paternis constituti, cuiuscumque sextus & ætatis, in aliam familiam transibant. Adoptandi hic ritus consistebat in trina venditione, adhibito ære & libra, præsentibus coram magistratu patre naturali, filio adoptando & patre adoptante, libripende, antestato & testibus, ita, vt pater filium suum adoptanti manciparet, is filium adprehenderet, æs teneret, libram eo percuteret, id patri naturali pretii loco exhiberet, hancque mancipationem tribus vicibus repeteret. Species adoptionis quoque fuit, quando Romani heredes sibi adsciscebant, non in bona tantum, sed etiam

in

in nomen suum; quoniam vero per hoc adoptionis genus alia familiæ iura haud sequebantur, sæpe fiebat, vt adoptionem, per testamentum factam, repeterent, ac per æs & libram istam renouandam curarent: conf. BARNAB. BRISSONIVS *de formul. lib. VII.* p. 601. & HEINECCIVS *loco indicato* p. 176. De adrogationibus quoque sciendum est, eam post liberam rempublicam, comitiis cessantibus, per rescripta principum concessam ac confirmatam fuisse.

§. XVII.

De adoptione hac plura edisserunt, præter BRISSONIVM & HEINECCIVM: PAVLLVS MANVTIVS *de legibus cap. XIV.* IAC. PERIZONIVS *triad. dissert.* p. 83. HENR. DODWELLVS *prælect. Cambd.* p. 506. 551. THOMASIVS *diss. de vsu pract. tit. instit. de adoptionibus*, & PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cur. domestic. Romanor.* p. 100.

ADPENDIX QVINTA.

DE ÆDIFICIIS AC SVPELLECTILI VETERVM ROMANORVM.

§. I.

ÆDIFICIA vrbis Romæ vel publica, vel privata fuerunt. Publica vel sacris, vel ciuilibus negotiis erant destinata. Vti ad illorum classem varia ædium sacrarum genera, templa, delubra, sacella cet. pertinent; ita ad hæc curiæ, basilicæ, porticus, theatra, amphitheatra, thermæ, odea, circi, cloacæ, aliaque ædificia referebantur. De his

nihil hoc loco addimus, quum ſpeciatim de priuatarum ædium ſtructura quædam adpendicis loco dicere conſtituimus. De ædificiis publicis, qui plura deſiderat, adeat ſcriptores de vrbe Roma, eiusque topographia, inter quos ALEX. DONATVS, BARTHOL. MARLIANVS, ONVPHR. PANVINIVS, GEORG. FABRICIVS, GVIDO PANCIROLLVS, IVL. MINVTOLVS aliique principem ſibi vindicant locum. His IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar. cap. VI.* adiungi poteſt, vbi ii recenſentur, qui de origine vrbis Romæ, de eius incrementis, quatuordecim regionibus, viis publicis, Capitolio, ſplendidis vrbis ædificiis, ornamentis, ruderibus ac reliquiis Romæ commentati ſunt.

§. II.

In Romanorum ædificiis primum de muris, eorumque tam materia, quam forma, quærendum eſt. Varia ædificandi genera apud ipſos vſitata fuerunt. Latera ædificiorum antiquiſſimo tempore ex tophis ſtructa fuiſſe videntur; tecta vero ex paleis ac viminibus. Parietes quoque ea ætate ex ligneis cratibus, aut cannis contortis & calce obductis efficiebantur. Poſtea Romani, ab Etruſcis, Samis Gabiisque fabris meliora edocti, lateribus ac lapidibus vtebantur. Lateres ex terra cretoſa, additis paleis minutis, ad leuitatem ipſis conciliandam, atque ex marmoris puluere fiebant. Non tamen lapides hos priſco æuo coxiſſe, ſed ſolum ad ſolem exſiccaſſe videntur. Erant triplicis magnitudinis apud Græcos pariter, quam apud Romanos. *Didoron* enim vno pede latum & ſeſquipede longum erat: *tetradoron* ex quatuor; *pentadoron* autem ex quinque pla-

palmis quaqua verſum conſtabat. Loco laterum etiam lapides cæſi ſumebantur, atque ex iis muri exſtruebantur; qui tamen iterum inter ſe diuerſi erant. Antiquiſſimum ſtruendi muri lapidei genus a VITRVVIO *incertum* dicitur, quod ex lapidibus, magnitudine & figura inter ſe inæqualibus, componebatur; ita tamen, vt omnia quoad latera atque angulos adcurate ſibi reſponderent. Poſtea in vſum veniebant ſtructiones ex lapide quadrato; quas tamen iam regum tempore Romanis haud inuſitatas fuiſſe, alii probarunt. *Reticulatum* opus Vitruuii ætate maxime commune erat, vt ipſe fatetur, ita comparatum, vt non latera, ſed anguli lapidum inter ſe connecterentur, & alter angulus cum altero proximi lapidis angulo cohæreret. Structiones cæmentitiæ ex lapide rudi quidem a veteribus componebantur; eæ tamen concinne factæ ac tam arcte lapides coniuncti erant, vt nullæ plane commiſſuræ obſeruarentur, ſed totus murus ex vno lapide conſtare videretur. De parietibus veterum formaceis PLINIVS *lib. XXXV. cap.* 14. & ISIDORVS *lib. XV. cap.* 9. exponunt. Adde IVL. MINVTOLI *de domibus tom. I. theſ. ant. Rom. Sallengrian.* p. 71. vbi ea, quæ hic breuiter dixi, fuſius exhibentur. De operibus veterum muſiuis, teſſellatis, vermiculatis, aliisque muroram exſtruendorum lapidumque ponendorum modis, de ratione eos cædendi cet. videndus in primis eſt IO. CIAMPINI *tom. I. vet. monument. cap.* 8. 10. 11. & 12. *ſeq.* cui LEO BAPT. ALBERTVS *lib. VII. architect. cap.* 2. & IAC. SPONIVS *miſcell. erud. antiquit.* aliique adiungendi ſunt.

§. III.

Ab vrbe condita vsque ad Gallicum incendium Romanorum domus maxime simplices & sine omni ornatu ac cultura, sed rudes casæ & tuguria rusticana, maximam partem ex canna, straminibus & tabulis ligneis, vel etiam lapidibus conflata erant, & ex sola fere area constabant, quemadmodum VITRVVIVS id quoque innuit *lib. II. cap.* 8. Post captam incensamque a Gallis vrbem ea politior quidem euasit; vici autem non rite dispositi, sed flexi, ipsæque ædes non ad rectam lineam collocatæ erant. Caruerunt quoque domus omnibus pretiosis ornamentis, marmoribus magnificis, ac spatiosis cœnationibus, cubiculis, cellis cet. sed omnia angusta & parva erant. Et si quoque nonnulli, vt Q. Cæcilius Metellus apud VELLEIVM *lib. I. cap.* 9. & Scipio Nasica apud eumdem *lib. II. cap.* 10. exstarent, qui magnificas domus ædificare susciperent; luxuriæ tamen atque intemperantiæ notam apud frugalem eo tempore populum haud effugere potuerunt.

§. IV.

Post Sullam magnificentia ac splendor ædificiorum Romanorum in dies creuit. Adhibebantur pretiosissimi marmorei Numidici lapides; domus columnis marmoreis ornabantur; tabulæ fiebant ex ebore; parietes marmore, tecta vero auro obducebantur; atria statuis magnificis instruebantur: ipsis domibus non solum maius spatium dabatur, sed ipsæ altitudine pristinas mirum in modum superabant, ita vt ad ipsam templorum formam hac ex parte fere accederent, & imperatores de coercenda hac consuetudine cogitarent & certam mensuram præscri-

ſcriberent, vt ex VALERIO MAXIMO *lib. IV. cap.* 4. §. 7. APVLEIO *de deo Socrat.* p. 699. SENECA *epiſt. XCIX. & CV.* PLINIO *lib. XXXVI. cap.* 7. LVCANO *lib. X. pharſ. v.* 114. ſatis patet, quibus ex recentioribus IVST. LIPSIVS *lib. III. de magnitud. Rom. cap.* 4. & 14. THYSIVS *de magnitud. Rom.* p. 308. STANISLAVS KOBIERZYKVS *de luxu Rom. lib. II. cap.* 8. aliique addendi ſunt. Auguſti tempore luxus hic in ædificiis ad ſummum adſcendit gradum, quippe qui, teſte SVETONIO *vit. Aug. cap. XXIX.* populum ad vrbem per magnifica ædificia adornandam excitauit; id quod & ſequentes non ſolum fecerunt imperatores, ſed etiam ipſi multam operam multasque impenſas ad id contulerunt, vt ædificia publica ſplendidiora redderent, vrbique maius decus conciliarent. Id ſolum fere auguſtæ huic vrbi deeſſe eo tempore videbatur, quod viæ anguſtæ atque valde inflexæ, paucis exceptis; domus vero ipſæ non æquales collocatæ, nec ad iuſtam & rectam lineam poſitæ eſſent; cui malo fatale illud Neronianum incendium medebatur, quod TACITVS *lib. XV. annal. cap.* 43. §. 1. his confirmat verbis: *ceterum vrbis quæ domus ſupererant, non, vt poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ, ſed dimenſis vicorum ordinibus & latis viarum ſpatiis, cohibita ædificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus, quæ frontem inſularum protegerent.* Poſt Neronem ſub Tito & Veſpaſiano itidem incendia quum ſuborirentur, tum haud ſegniores ſe geſſerunt Romani, vt non ſolum factam iacturam repararent, ſed & magis magisque ea perficerent, in quibus maiores eorum artis elegantiæ regulas haud obſeruaverunt.

verunt. Splendorem ac magnificentiam vrbs vsque ad Traiani tempora rite tueri potuit; post tempora vero illius paullatim augustum vrbis decus defloreſcebat, donec per Gothorum inuasiones omne fere exſpiraret: conf. IVL. MINVTOLI *libro indicato* p. 79.

§. V.

Quodsi domus ipsas spectamus, variæ earum partes hic memorandæ sunt. I) *Vestibulum*, quod fuit area inter domum & viam, siue locus ante ianuam domus vacuus, per quem a via aditus accessusque ad ædes erat, vt ex GELLIO *lib. XVI. noct. Attic. cap.* 5. & PLAVTO *mostell. act. III. scen.* 2. *v.* 130. patet. II) *Ianuæ*, quæ vel ex communi, vel pretioso ligno, vt cedrus, cupressus, vlmus, citrus, quercus erat, immo quoque ex ære & ferro ebore componi, aut auro obduci, introrsum flecti, antepagmentis, cælaturis, picturis, armis & spoliis flecti, statuis, coronis, frondibus ac inscriptionibus ornari, seris, obicibus, repagulis & claustris firmari, clauibus, quarum loco antiquissimo æuo funes habebant, aperiri, canibus ostiariis custodiri, velis intus obtegi, atque a ianitoribus, aut ianitricibus, si intrantes vel malleo, vel tintinnabulo, nonnunquam foribus adpenso, aduentum suum significauerant, aperiri solebant. Ianuæ partes erant: postes, cardines, quibus Carna dea præerat; limina, tam superiora, quam inferiora, & Vestæ sacra; claustra eorumque diuersæ species, seræ, obices, repagula, vectes & pessuli: conf. CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian.* p. 649. seq. ANTON. BORREMANSIVM *var. lection. cap. IX.* & in primis CASP. SAGITTARIVM *de ianuis veterum*, *tom. VI. thes. ant. Rom.* p. 417. III) *Atrium*,

atrium, quod ſpatium inter ædem ipſam atque oſtium fuit, quodque per ianuam introeuntibus primum patebat, vt ex PLINIO *lib. II. epiſt.* 17. GELLIO *lib. XVI. cap.* 5. & NEPOTE *præfat.* §. 6. liquet, qui id *primum ædium locum* adpellat. IV) *Tablinum*, quod nonnulli locum fuiſſe credunt, vbi tabulæ rationum & acta publica ſeruata fuerint, vt FRANC. POLLETVS *foro Rom. lib. I. cap.* 6. ſtatuit. Alii vero, vt IVL. MINVTOLI *loco indicato* p. 82, contendunt, tablinum locum ædium fuiſſe apertum, cum atrio arcte coniunctum, amœnum ac lucidum, in quo variæ picturæ, ſtatuæ aliaque ornamenta expoſita fuerint. Vtrumque conſtare poteſt, ſi diſcamus, in ipſo tablino armaria & ſcrinia eſſe potuiſſe, in quo eiusmodi tabulæ rationum repoſitæ fuerint. De eiusmodi ſtatuis ac picturis, in ædibus veterum collocatis, videndi ſunt ſcriptores de ſtatuis veterum Romanorum, quos IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. ant.* p. 650. recenſet. V) *Cauædium.* Ex tablino aditus ad cauædium patebat, qui locus cauus fuit, circa quem conclauia conſpiciebantur. Quodſi is locus amplus & columnis cinctus erat, *periſtylium*, ſique apertus, ita vt in illum plueret, *impluuium* dicebatur; quod quomodo a compluuio diuerſum fuerit, VARRO *de lat. lingu. lib. IV. cap.* 33. docet. In ædibus nobilium ſæpe tria hæc loca, cauædium, periſtylium & impluuium diſtincta erant. Cauædium inde ſecundum eius formam ac ornamenta VITRVVIVS *lib. VI. cap.* 3. in Thuſcanicum, Corinthium, tetraſtylum, impluuium & teſtitudinatum diuidit, vbi vocem *cauædii* late ſumit, & quemcunque locum cauum, vbi conclauia erant, intelligit: adde HENR. DODWELLVM *prælect. Cambd.* p. 675. VI) *Conclauia.* Hæc

varii erant generis: 1) *Cellæ*, quarum diuersæ itidem exstabant species, vt cellæ vinariæ, oleariæ, carnariæ, lignariæ, penuariæ, cisternæ, horrea cet. 2) *Equilia*, quæ silice potissimum, aut glarea strata & versus meridiem posita & testudine concamerata erant. 3) *Culinæ*, quas alii in ipso atrio, alii vero, quod probabilius est, non admodum procul a triclinio collocant: conf. STVCKIVS *antiquit. conuiual. lib. II. cap.* 13. VRSINVS *adpend. ad Ciaccon. de triclin.* p. 349. IVL. MINVTOLI *diss. de domib.* p. 86. 4) *Triclinia*, siue loca conuiualia, alias *cœnationes* dicta, vt aperte ex CICERONE *lib. XIII. epist.* 50. *ad Atticum* patet. Erant ista in inferiore parte ædium, quamuis diuites alia hiberna, alia æstiua haberent, vt ex VARRONE *de lat. lingu. lib. VII. cap.* 14. PLVTARCHO *vit. Lucull.* p. 518. constat. Immo luxuria Romanorum tanta erat, vt tempore æstiuo non triclinia solum, sed & totam supellectilem, & ea quoque, quæ ex auro argentoque conflata erant, mutarent, vt CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 248. docet. Nonnumquam cœnationes hæ, vt SVETONIVS *vit. Neron. cap. XXXI.* tradit, erant *versatiles*; id est, ita coagmentatæ, vt machinis quibusdem verterentur & subinde alia facies atque alia succederet, quemadmodum SENECA *epist. XC.* docet, cui STVCKIVS *ant. conuiual. lib. II. cap.* 14. STANISL. KOBIERZYKVS *de luxu Rom. lib. II. cap.* 7. VRSINVS *adpend. ad Ciaccon. de triclin.* p. 219. PITISCVS *not. ad hunc locum* p. 790. aliique addendi sunt. Cœnationibus his nomina deorum nonnunquam attribuebant, vt de Luculli cœna PLVTARCHVS *vit.* eius p. 519. testatur, vbi obiter hic obseruari velim,

ipsas

ipsas domos pariter ac vicos sæpe singularia apud Romanos accepisse nomina. Sic domus, in qua Domitianus natus est, *domus ad malum punicum* vocabatur, referente SVETONIO eius *vit. cap. I.* quem locum PITISCVS aliique interpretes male de vico, vbi Domitiani natale fuit solum, intelligunt, quod hæc eius verba abunde declarant: *domo, quam postea in templum gentis Flauiæ conuertit*, cuiusmodi exemplum etiam in *vita* GALBÆ *cap. I.* legitur. De triclinis commentatur PETR. CIACCONIVS *de triclin.* & FVLVIVS VRSINVS *adpend. ad Ciaccon.* IOH. BAPT. CASALIVS *de triclin. conuiu. hospitalit. & tesser.* aliique plures. Ab his triclinis, de quibus hic exposui, *lecti discubitorii*, eodem *tricliniorum* nomine insigniti, distinguendi sunt, & in quibus veteres, quum cœnarent, discumbebant; de quo accumbendi more legas IVST. LIPSIVM *lib. VII. lect. ant. cap.* I. p. 371. STVCKIVM *lib. II. antiqu. conuiual. cap. XXXIV.* & IVL. CÆS. BVLENGERVM *de conuiu. lib. I. cap.* 32. aliosque plures. 5) *Cubicula*, siue dormitoria conclauia, quorum alia hiberna, alia æstiua fuerunt; illa ampliora, hæc vero angustiora erant. Dormitoria feminarum plerumque in interiori domus parte, seruorum vero prope domus ostium exstiterunt, vt IVL. MINVTOLI *loco indicato* p. 68. obseruat, cui supra memoratus ALBERTVS *lib. V. architect. cap.* 17. adiungendus est. 6) *Exedræ*, quæ in nobilium præsertim domibus deprehendebantur, & loca spatiosa multis columnis, ornamentis ac sedilibus instructa & ad id facta erant, vt ibi dominus cum amicis conuenire, colloqui, disputare, ac meridiano potissimum tempore sese oblectare

lectare posset. 7) *Balnea*, quæ in ipsis domibus sæpe erant, & quidem, vt videtur, prope exedras. Scriptores de balneis veterum suppeditat IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiquar.* p. 649. 8) *Valetudinaria*, quæ a cubiculis ordinariis diuersa fuisse videntur: conf. SENECAM *epist. XXVII. & lib. I. de ira cap.* 16. ex recentioribus vero IVST. LIPSIVM aliosque interpretes ad hæc SENECÆ loca. 9) *Viridaria*, quæ loca arboribus consita & quidem iuxta exedras erant. Principes enim exedræ per ordinem in inferiori parte ædium collocatæ sunt: lege SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 486. 10) *Cœnaculum*. Ita vocabatur pars domus superior, ad quam scalis adscendebatur, & quæ per ordinem inquilinis & quidem pauperioribus locari solebat, vt ex VARRONE *de lat. lingu. lib. IV. cap.* 33. PLAVTO *amphitr. act. III. scen.* I. *v.* 3. MACROBIO *lib. I. saturn. cap.* 6. LIVIO *lib. XXXIX. cap.* 14. MARTIALI *lib. I. epigr.* 118. *v.* 7. & IVVENALI *sat. X. v.* 17. patet. In superioribus his domus partibus itidem conclauia, cubicula, exedræ cet. fuerunt. 11) *Tecta*, quæ ita erant conformata, vt in ea adscendere potuerint veteres. De tectis planis, pectinatis, laquearibus atque aliis vid. CLAVD. SALMASIVM *not. ad Spartian. Pescennin. cap. XII. exercit. Plinian.* p. 855. 12) *Specularia*, siue fenestræ. Antiquissimo tempore in ædibus sola aperta erant foramina, postea in vsu erant vela ad arcendum frigus & cohibendam pluuiam, ac deinde lapides speculares, nostris fenestris vitreis parum dissimiles; de quorum ratione CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plinian.* p. 183. & 771. OCTAV. FERRARIVS *electis* p. 42. & IVST. LIPSI-

VS

vs *centur. III. epiſt. 76. ad Belg. tom. II. oper.* p. 1041. videantur. Probabile quoque eſt, Romanos ex carbaſo aut Aegyptio papyro feneſtras habuiſſe. a) 13) *Camini.* Veteres tales fornaces, quales nos adhibemus, non habebant, ſed in cubiculum potius inferendas curabant fornaculas cum carbonibus ignitis, quæ conſuetudo antiquo tempore potiſſimum vſitata fuit. Poſtea imperatorum præcipue æuo alius modus inuentus eſt, vt videlicet camino ſub ipſo domicilio ſtructo, per tubas & canales, qui circum parietes in orbem ducebantur, calorem in domicilium ipſum deducerent ac deriuarent. b) Camini eius-

a) De feneſtris veterum ita diſſerit IVL. MINVTOLI laudata *de domib. diſſ.* p. 92: *opus templi Fortunæ Prænestinæ mihi humaniſſime demonſtrauit, vbi creberrimus viſitur feneſtrarum numerus; templum autem illud Sullæ temporibus exſtructum teſtatur Plinius. Ex quorum ſedula lectione inſpectioneque illud colligi poſſe videtur: feneſtras nempe primum luciferas tantum fuiſſe, ſeu ad ſolum lumen in conclauia admittendum, adeoque in eminentiori parietum ſitu; poſtmodum vero etiam perſpectiuas inque commodiori ad proſpectum loco, ſicut ex Eraſmo Encipaur laudatus Pacichellius ſubſcribit. Feneſtrarum figura multiplex fuit, quadrata, rotunda & oblonga, quarum poſtrema hæc frequentior, vt apud Baptiſtam Albertum videre eſt, licet Daniel Barbarus in laudatum Vitruuii locum quadratam figuram antiquis probatam dicat.*

b) Quodſi quæritur: num eiusmodi camini etiam fumariis, ſiue tubis, per quos fumus emittitur, inſtructi fuerint, an non? obſeruandum eſt, eruditorum ſententias hac in re maxime inter ſe differre. DAN. BARBARVS aliique exiſtimant, in ſuperioribus tantum ædium partibus eiusmodi fumaria collocata fuiſſe; inferiora vero conclauia iis caruiſſe. Alii, vt IVL. MINVTOLI *diſſ. memorat.* p. 89. IVST. LIPSIVS *cent. III. epiſt.* 76.

eiusmodi in cœnationibus potissimum erant; in reliquis autem conclauibus antiquum morem, fornaculas cum carbonibus inferendi, retinebant. De hoc argu-

76. PETR. BVRMANNVS *not. ad Petron.* p. 646. eiusmodi gulas, per quas fumus exit, veteribus plane abiudicant, ac inprimis id vrgent, quod nulla & ne minima quidem in antiquis ædificiorum reliquiis huius rei exstent vestigia, nec loca scriptorum vlla deprehendantur, ex quibus probari aut confici possit, quod fumariorum vsum Romani haud ignorauerint. His opponit se OCTAV. FERRARIVS *lib. I. elect. cap.* 9. nec solum ex variis rationibus, quas adfert, sed etiam ex testimoniis veterum scriptorum euincere nititur, fumariis non plane caruisse veteres; quam in rem ad hæc VIRGILII verba *eclog. I. v.* 83. prouocat:

Et iam summa procul villarum culmina fumant;

itemque ad PLAVTVM, quando *aul. act. II. scen.* 4. v. 20. canit:

Quin diuum atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier;
De suo tigillo fumus si qua exit foras;

cui non solum effatum ATHENÆI *lib. VI.* p. 236. sed & alia loca ex SENECA *epist. LXIV.* APPIANO *de bell. ciuil. lib. IV.* p. 596. atque aliis addit. Quæ, vbi considerantur, non negari quidem potest, culinas veterum habuisse quædam foramina ac breues gulas, per quas emittebatur fumus, & quæ per murum, foco in culinis proximum, exiisse videntur; sed inde non conficitur, caminos veterum quoque tubos illos oblongos, per quos fumus in aerem transit, habuisse. Ex veteribus auctoribus non probari poterit, priscis Romanis fornaces cum fumariis fuisse, hæcque, quod FERRARIVS tamen contendit, ab inferiori parte ædium per omnes contignationes ducta esse ac in tecto eminuisse. Virgilii adductus locus id non probat. Nam quando culinæ in vno alteroue domus pariete talia foramina, per quæ fumus emittitur, habuerunt; præterea vero

argumento plura disputant, præter IVST. LIPSIVM, OCTAVIVM FERRARIVM, IVL. MINVTOLI, & PETR. BVRMANNVM, MANVTIVS *not. ad Cicer. lib. VII. epist.* 10. *ad famil.* IAC. SIRMONDVS *ad Sidon.* p. 258. GER. IO. VOSSIVS *etymol.* voce *caminus:* ANDR. BACCIVS *lib. VII. de therm. cap.* 16. FRANC. MARIA GRAPALDVS *de part. dom. cap. IV.* aliique. De viuariis, piscinis, ostreariis diuitum Romanorum vid. STVCKIVM *lib. II. ant. conuiual. cap. II.* p. 169. De pristinis APVLEIVM *lib. VIII. metam.* p. 277. seq. ex recentioribus SALVAGNIVM BOESSIVM *not. ad Ouid. ibid.* p. 113. LAVR. PIGNORIVM *de seru.* p. 19. & VRSINVM *adpend. ad Ciaccon. de triclin.* p. 318.

Hoc loco quædam de vtensilibus ac supellectili veterum Romanorum addenda sunt. Varia eiusmodi vasa, ampullæ, lagunculæ in *tom. vlt. thes. Brandenb. Begeriani* visuntur, cui *interpretes Martialis apophoret.* siue *lib. XIV. epigrammat.* CAROL. ERRARDVS *in vasis antiquis aliisque veterum rebus æri incisis, &* LAZAR. BAYFIVS *libr. de vasculis tom. IX. thes. ant. Græc. Gronouii* p. 564. addendi sunt. De poculis vet. Rom. GVID. PANCIROLLVS *lib. I. var. lect. cap.* 58. exponit. De vasis murrinis præter ceteros videndus est IO. FRID. CHRISTIVS *diss. de murrinis veterum*, Lips. MDCCXLIII; de clauibus autem IOH. KIRCHMANNVS *de annulis* p. 19. CLAVD. SALMASIVS *exerc. Plinian.* p. 654. & inprimis CASP. SAGITTARIVS *de ianuis vet. cap. XV.* consulantur. De mensis veterum, ex cespite

vero fumus per fenestras & alia aperta loca penetrat & tecta, quum adscendere solet; poeta quoque canere potuit:

- - - *villarum culmina fumant.*

te & ligno communi factis, de acernis, citreis, eburneis, auro obductis, deque earum pedibus flexis & incuruis, de forma tam quadrata quam rotunda, aliisque huc spectantibus, legantur CASALIVS *de conuiu. vet. cap. I.* STANISL. KOBIERZYKVS *de luxu Rom. lib. II. cap.* 10. OCTAV. FERRARIVS *lib. II. elect. cap.* 9. & 17. MEVRSIVS *de luxu Rom. cap. IX.* VRSINVS *adpend. ad* Ciaccon. *de triclin.* p. 279. THOM. DEMPSTERVS *not. ad Rosin.* p. 358. aliique plures apud SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom. II.* p. 551. De sellis veterum, in quibus per vrbem & in itineribus potissimum a seruis vehi solebant, ac aliis sedilibus, 10. SCHEFFERVS *lib. II. de re vehicul. cap.* 4. IVST. LIPSIVS *lib. I. elect. cap.* 19. & VAL. CHIMENTELLIVS *de honor. bisell.* videndi sunt. De lectis veterum 10. ALSTORPHIVS scripsit, Amst. MDCCIV. Abacos veterum persequitur PETR. CIACCONIVS *de triclin.* p. 30. & VRSINVS *adpend.* p. 298. cui PHIL. RVBENIVS *lib. I. elect. cap.* 34. adiungendus est. De speculis veterum consulas EZ. SPANHEMIVM *not. ad Callim.* p. 544. IAC. ELSNERVM *obs. sacr. ad* 2 Cor. *III*, 18. *tom. II.* p. 142. & *tom. III. musei Etrusci Goriani*, vbi de speculo plumbeo agitur. De candelabris Romanorum ligneis Corinthiis, & quæ sigillis exornabantur, STEPH. KOBIERZYKVM *de lux. Rom. lib. II. cap.* 10. & CLAVD. SALMASIVM *exerc. Plinian.* p. 266. videas. Horologiorum veterum quæ ratio fuerit, monstrat *memorato loco* CLAVD. SALMASIVS p. 449. & IVST. RYCQVIVS *de Capitol. cap. XXXIX.* Horologium, ante aliquot tempus in Italia effossum, singulari commentario illustrandum promisit 10. LVC. LVZZERI. Denique de vita Romanorum rustica, de villis earumque structura, de prætoriis, quæ in illis erant, commentatus est GEORG. GREENIVS *comment. de rusticat. Romanor. & de villarum antiquar. apud eos structura, tom. I. thes. ant. Rom. Sallengrian.* p. 681. De agricultura aliisque rebus, quæ ad rusticas Romanorum antiquitates spectant, PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cur. domest. Rom. diss. IV. cap. I.* §. 8. seq. p. 134. CHRIST. SCHOETTGENIVS *de tritura veterum:* scriptores rei agrariæ GOESII: scriptores rei venaticæ KEMPFERI: rusticæ GESNERI, & *interpretes Columellæ*, Londini ante aliquot annos editi, videndi sunt.

INDEX



INDEX RERVM NOTABILIORVM.

A.

A absolutionis nota 335
littera in ferendis legibus vsitata 360
Abolla, vestis 508
Abrogare legem 360
Accensi 215
Accubitus ad mensam apud Romanos, eius forma 581 modus 582. etiam in Iudæa 583
Accusatores, in vna causa plures 338
Actionem edere 340
Actiones, certis formulis consignatæ 342
Adclamatio in triumphis 291
Administratio prouinciarum 320
Adoptiones apud Romanos 593. 594
Adrogationes 593
Adsessores prætorum 181 331
Adsessura 332
Aduocati 343. 346
Aduocationes 344
Aedes sacræ 154
Aedificia Romæ publica 595. seq. priuata 596. initio simplicia 598. postea magnifica *ibid.*
Aediles 186. plebeii ibid. *curules* ibid. horum origo *ibid.* officium & ornamenta 187. *cereales* 189
Aeditui 100
Aerarium, quid? 222 seq. eius administratio 223. differentia a *fisco* 224
Aesculapius 51
Aestimatio litis 345
Aetas consulatui præstituta 171
Aggeres 278
Agnomen 575
Agonalia 137
Ἀγορανόμοι 186
Albæ victimæ 140
Alcides 49

Aluei tiberini curatores 225
Ambaruales hostiæ 84
Ambarualia 111
Ambitus crimen 385
Amburbium 111
Amphimallum, vestis 520
Amphitheatra 478. 481
varia Romæ fuerunt 484
Amtruare, quid? 80
Amuleta, infantibus adpensa 525
Anagnostæ 447
Ancilia 79
Ancus Martius 159
Angeronalia 138
Angustus clauus, insigne equitum 398. 400. 514
Annæ Perennæ sacra 138
Annales s. *annariæ leges* 171
Anni, Romæ a consulibus nominati 172
Annulus aureus, senatorum & equitum signum 399
ferreus plebis *ibid.*
Antesignani 251
Antestatio 339
Ἀπογραφὴ 203. prima Augusti *ibid.*
Apollo 37. Delius & Cynthius vnde dictus 37. 38
tripus ipsi adsignatus 37
medicinæ habitus auctor 38. eius cognomina 39
Grannus & *Belenus* etiam adpellatus *ibid.*
Apophoreta 589
Ἀποθέωσις 54
Aquila, signum militare 273
Ara cespititia 151
Arena 490
Aries, machina bellica 276
Arma Romanorum, generatim 264. in ludis gladiatoriis 491
Armilustria 138
Aruales fratres 83
Aruspices 96
As Romanorum, exigua moneta 550. 570. eius valor 555. differentia 570
libralis 571. *semuncialis* 572
Asia citerior, huius prouinciæ diuisio 324. seq.
Astoreth 42
Athenæ, nobilis olim litterarum sedes 442
Athenæum 435
Auerrunci dii 9
Augures 65. eorum munus *ibid.* sacerdotes quoque dicti 67. scriptores de illis 68. seq.
Augustus, cur tribuniciam potestatem adsumserit 194. census ab eo institutus 203. prouincias nouo modo diuisit 327. bibliothecas constituit 448.

Landesbibliothek Oldenburg

Auſpicalis lapis 153
Auſpicia, quomodo petita 66. quoad loca erant triplicis generis 67
Axamenta 79

B.

Bacchæ 99
Bacchanalia 121
Bacchus 46. vocatur & *Liber pater* 49. ſeq.
Balliſta 280
Balnea 604
Barba veterum Romanorum 522
Baſilica Iulia 337. fuit in foro *ibid.*
Bellona 31. Ἐννὼ dicta 32
Bellonarii 100
Bellum ſociale 310
Bibliothecæ Romanorum 444. ſumtuoſiores 446 priuatæ bene multæ 444 publicæ fere inſtitutæ 447
Bidental 99
Birrhus, veſtimenti genus 520
Bona dea 48. eius ſacrum 134
Brachium, valli genus 277
Buccina 276

C.

C condemnationis nota 335
Cabiri, Vulcani ſocii 33
Cæſtus 474
Calantica 518
Calata comitia 381
Calcei Romanorum 522 ſeq.
Calendæ, Iunoni ſacratæ 124. *martiæ* Marti ſacræ *ibid.*
Caliga 268
Camilli & *camillæ* 100
Camini 605
Campus Martius 382
Cancellariæ 234
Candidati 383
Cantabrum 275
Canthus 280
Capi dicebantur virgines Veſtales 90
Capillamentum 521
Capita, vnde Minerua ſic dicta 20
Capite cenſi 202. 305
Capitolinus, Iouis cognomen 14. ſeq.
Capitolium, ſcholæ in eo inſtitutæ 435
Caracalla, veſtimenti genus 519
Carceres, tres eorum partes 353. locus in circo 470
Carmentalia 138
Caſtor 47
Catapulta 280
Catomidiari, quid? 82 ſeq.
Cauædium 601
Cauſſidici 342
Celeres 164. tribunus celerum *ibid.*

Cenſere, de ſenatoribus dictum 395
Cenſores 200. eorum officium & poteſtas 204. ſeq. vltimi 207
Cenſus, a Seruio Tullio inſtitutus 200. pro eo ciues in ſex claſſes diſtincti 201. ius illius 302
Cenſus Auguſti 203
Cenſus ſenatorius 390
Centumuirale iudicium 336. ſeq.
Centuriata comitia 379
Centuriones 261. eorum inſigne 262
Cerealia 123
Cerei, dono miſſi 119
Ceremoniæ ſacræ 140. ante ipſum cultum diuinum 140. in ipſo cultu 141
Cereris ſacerdos græca 99
Ceres 26. frugum inuentrix *ibid.* eius epitheta 28. ſeq.
Certamina gymnica, eorum variæ ſpecies 474
Cerui, inuentum bellicum 277
Ceſpititia ara 151
Chariſtia 138
Charon 46
Chiliarchæ 259
Chirothecæ 522
Chlamys 517
Cicero, eius iter litterarium 442. ſeq.
Circenſes ludi 464. numerus dierum 467. modus currendi 469. locus 470 factiones *ibid.* genera plura 474
Circumuallatio 284
Circus maximus 466. ſeq.
Ciues ingenui 297
Ciues Romani, pro cenſus modo in ſex claſſes diſtincti 201. eorum iura ac priuilegia 299
Ciuitas, pro iure ciuitatis ſumta 299. quando amiſſa fuerit 303. 304. communicatio eius in prouinciis 316
Ciuitates fœderatæ 316
Ciuitatis Romanæ ius 295 eius ortus & progreſſus *ibid. ſeq.* ſub regibus etiam peregrinis conceſſum 296 adimi non poterat 303 in municipiis 310. ſeq.
Claſſes ſex ciuium Roman. 201. 374
Claſſes maris, duæ perpetuæ 231
Claſſiarii, milites nauales 286
Claſſici 374
Claſſicum 275
Claui figendi ritus, peſtis tempore 114
Claui in tunicis, eorum forma 515

Cle-

Landesbibliothek Oldenburg

Clepsydra, cur in iudicio adhibita 341
Clibanarii milites 272
Cœnaculum 604
Cœnationes 603
Cognomen 574. 577
Cohors 247
Colobium, tunica 520
Collegia sacra 54. seqq.
Coloniæ 311. diuersi generis 313. ciuium Romanorum *ibid.* latinæ *ibid.* italici iuris *ibid.* prouinciales *ibid.*
Coloniam deducere 314
Coloniarum ius 311
Color albus, lætitiæ signum 503
Coma, in luctu deposita 521
Combustio mortuorum apud Romanos 531
Comes palatii 237
Comes rerum priuatarum 237
Comes sacrarum largitionum 237
Comitia 369. varia eorum genera 376. quisnam ea habuerit? 376. *curiata* 377. *tributa* 379. *centuriata* ibid. *calata* 381 eorum locus *ibid.*
Comitium, pars fori Romani 381
Commentarienses 196. 216
Communicatio ciuitatis in prouinciis 316
Comœdiæ 475. duplicis generis 477. locus 478 veteribus Christianis detestatæ 483
Compitalia 138
Conclamatio 526
Connubiorum ius apud ciues Romanos 300
Consecratio principum 54 540. etiam christianorum 542. seq.
Consecrationes 144
Consentes, dii maiorum gentium 4. 7. numero duodecim 4. 5. vnde dicti 4 eorum dies festi 136 seq.
Constantinopolitanum imperium in nummis 569
Consualia 123
Consulares, consulatu functi 178
Consulares nummi 567
Consularia comitia 175
Consules Romani, eorum nomen 166. numerus *ibid.* potestas & insignia 169 in illis ratio habita gentis 170. eorum ætas 170. seq. electio 174. seq. officium 177. *ordinarii* 172 *suffecti* 174. *designati* 175. *honorarii* sub imperatoribus 176
Consus, quis? 34
Conuiuia Romanorum, eorum ritus 578. tempus *ibid.*

Landesbibliothek Oldenburg

ibid. locus 579. modus 580
Corniculum 267
Corona, in capiendis vrbibus 284
Corona, præmium militare 286. *ciuica* 287. *obsidionalis* ibid. *muralis* ibid. *castrensis* 288. *nauales* ibid.
Corona aurea regum 163
Coronæ in sacrificiis 147
Correctores Italiæ prouinciarum 235
Crates 276
Crates Mallotes, insignis Criticus & Grammaticus 422. seq.
Crematio 352
Crinibus verrendi fana ritus 152
Crista 273
Crumenæ 525
Crupellarii 492
Crurifragium 352
Crux, seruorum supplicium 351
Cubicula 603
Cucullus 519
Culleus, instrumentum supplicii 352
Cunei 483
Curatores 100
Curatores aluei tiberini 225
- - *viarum* ibid.
Curia, locus senatus habendi 395
Curia Hostilia 395
Curiæ populi Romani 373 374
Curiata comitia 377. omnium antiquissima 379
Curiones 98
Currus falcatus, eius forma 279. seqq.
- - *triumphalis* 290
Curules ædiles 186-189
Custodia, quatuor eius genera 353. in carcere *ibid.* militaris 354. apud magistratus *ibid.* apud fideiussores 355
Custodia sempiterna 348
Cybele, mater deum 131 eius simulacrum quotannis lotum *ibid.*
Cyclas, vestis muliebris 519

D.

Dalmatica, vestimenti genus 520
Damnatio ad furcam 352
Damnum, pœnæ genus 347
Decanus 263
Decemuiri 178. seq. eorum munus 69
Declamationes, teutonicæ in scholis improbantur 438. apud Romanos triplicis generis 441
Dedicatio templorum 153
Dediticii 407. 410

Delatio nominis 345
Delubra 154
Denarius 551
Deportatus, a relegato differt 303
Depositio lauri in gremio Iouis 294
Derogare legem 360
Designatores 101
Deuotiones 145
Diana 35. eadem quæ luna *ibid.* venationibus præerat 36
Dictator 207. a *dicendo* adpellatus 208. seq. eius synonyma 209. potestas magna *ibid. seq.* in prouinciis 211
Dictator perpetuus Sulla factus 210. seq.
Dies, quibus senatus haberi poterat 396
Dies festi 101. seqq.
Dii, eorum ordo & diuisio 1. seqq. vanitas a sapientioribus agnita 3 scriptores de illis 3. 4 tria eorum genera 7 seq. interpretationes physicæ 10. seq. infima eorum sors 53. eorum nomina in precibus adloquebantur Romani 142
Dii litterarum & artium 10
- - *maiorum gentium*, in *consentes* & *selectos* distincti 4. 7
- - *minorum gentium* 5 6. 7. in eorum censu erant dii *rustici* & *plebeii* 6. 7. seq. 53. item *domestici* 6. aliæ eorum classes 7. *marini* & *aquatiles* 8. *inferi* 9
- - *peregrini* 8. 10
Dioscuri 47
Disci iactus 475
Diuinationum sex genera 66. seqq.
Diuisio prouinciarum 321
Diuortium 589
Diuus 54. 545. seq.
Do, *dico*, *addico*, formula prætoris 181
Dominium apud Romanos, quiritarium & legitimum 301. bonitarium & naturale *ibid.*
Domus apud Romanos, variæ earum partes 600
Drachma 551. 557
Duces exercitus 253. tabula ordinis illorum 254
Ductores equitum 263
Duumuiri capitales 211
- - *nauales* 211
- - *sacri* 100

Landesbibliothek Oldenburg

E.

Edicta prætorum 184. 368
generalia 184. ſpecialia *ibid.*
Edictum perpetuum 184 369
- - *tralaticium* 368
Eloquentia, princeps Romanorum ſtudium 436 quomodo eam ſibi comparauerint Romani 441
Endromis, veſtis villoſa 520
Ennius 422
Ἐννώ, Bellona dicta 32
Epheſia Diana 36
Ἐπιτροποὶ 229
Epulæ, ſacrificales 147. ferales 540
Equeſtris ordo 397
Equi, eorum vſus rarior in Italia 398
Equinia 137
Equites, eorum origo 397. ſeq. inſignia 398 diuiſi in *vrbanos* & *ruſticanos* 402. eorum ſtudia 403. annua transvectio *ibid.* cenſus *ibid.*
Equites militiæ 247. varia eorum genera 247. 248 263
Equitum ductores 263
Ergaſtula Romæ 354. 415 in Italia & Sicilia 415
Ἑρμῆς, Mercurius dictus 40
Euocationes 145
Exedræ 603
Expiationes 144
Expoſitio infantum apud Romanos 591. ſeq.
Exſecrationes 144. publicæ & priuatæ *ibid.*
Exſequiæ Romanorum 525
Exſilium, a relegatione differt 349

F.

Fabius Pictor, primus hiſtoricus Rom. 425
Factiones, circenſibus certantes 470
Fana 155
Faſces, conſulibus prælati 168. cur de illis ſecures ſublati 169
Faſti conſulares 172. ſeq.
Faunalia 129
Feciales 85. eorum officium 85. ſeq.
Femoralia 522
Feneſtræ veterum 605
Feralia 137
Feretrius dicitur Iupiter 13
Feriæ 101. ſcriptores de illis 102. erant vel *publicæ* vel *priuatæ* 102 publicæ erant ſtatiuæ, conceptiuæ & imperatiuæ 102
Feriæ latinæ 114. ſeqq.

Festi dies 101. eorum diuisio in *status* ac *generales* 101. seq. generales 103. seqq. specialiores 114. seqq. deorum consentium 136. selectorum 137. indigetum *ibid.* virtutum *ibid.* rusticorum *ibid.* imperatorum 138. *priuati* ibid.
Fideiussor 341. custodia apud illum 355
Fiscus, differt ab ærario 224
Flamen carmentalis 76
Flamen dialis 75
Flamines 73. sacerdotes erant 74. a Numa instituti *ibid.*
Flaminicæ, vxores Flaminum 75
Flaminii & *Flaminiæ* 100
Floralia 132
Fœdera, eorum species diversæ 296
Fœderatæ ciuitates 316
Fontinalia 138
Fordicidia 128
Forma s. *Formula* prouinciæ 318
Formulæ precum sollemnes 142
Fornacalia 138
Fornaces 605
Forum, locus iudiciorum 335. & legum ferendarum 358
Fratres aruales 83
Fugalia 138
Fullones 503
Fumaria 605. seq.
Funera Romanorum 525
scriptores de illis *ibid.*
Funeræ, mulieres 528
Funerum dies 139
Furiæ 9
Furinalia 138

G.

Galea 267
Galli, sacerdotes matris deum 99
Gallia cisalpina, vnde *togata* dicta? 317. transalpina *comata* vocata 323 eius diuisio 323. seq. literatura 459
Gausapa, vestimentum 520
Genii 44
Gens, qua ratione a familia differat 577
Gentilitatis ius apud ciues Romanos 300
Gentilitia sacra 138
Gladiatores, eorum varia genera 492. præmia 497
Gladiatorii ludi 465. eorum origo 488. arma 491
Gladius Hispaniensis 269
Gradiuus, poetis Mars dictus 30
Græcæ litteræ, ab iis Romani auspicabantur in scholis 437
Græcia, quomodo olim distributa? 324
Grammatici, triplicis generis 437

H.

Habet, form. gladiatoria 499
Hasta pura, præmium minorum ducum 287
Hastati milites 247. 251
Helepolis, genus militare 282
Hercules 49. vocatur & *Alcides* ibid. plures traduntur Hercules 51. eum Sabini *Sancum* adpellarunt 50
Hermathenæ, statuæ Mineruæ 23
Hilaria 138
Hispania citerior & vlterior 322. Tarraconensis, Bætica, & Lusitania 322. litteraturæ ratio in illa 458
Historia legum 363. seqq.
Historici Romani veteres 425. seq. 450. seq.
Hoplomachus 493
Hostiæ 147. earum genera diuersa 147. seq.
Hygæa, cur sic adpellata sit Minerua 23
Hymni, precibus ab ethnicis additi 143

I.

Iacula, duo eorum genera 279
Ianus 43. bifrons *ibid.* templum Romæ conditum 43. seq.
Ieiunia 113
Ignis perpetuus, cur Vestæ consecratus 92
Ignominia, pœna 349
Imperator, titulus Iouis 15
Imperatores, in numerum deorum relati 54. pontificatum maximum sibi reseruarunt 63. an plures simul pontificatum max. gesserint? 64. feriæ illis decretæ 138. tribunicia eorum potestas 194. post mortem *diui* adpellati 541 eorum numismata collecta 564
Imperatores, duces summi in exercitu 255. eorum insigne 256
Imperium Romanum, omnia magnitudine anteiuit 419 seq. caussa huius rei 420 seq.
Incubatio, in Apollinis æde peracta 113
Indigetes dii 5. 6 *semones* dicti 50. ad eos quinam pertinuerint? 52. eorum dies festi 137
Inferi dii 9
Inferiarum ritus 155. 539
Ingenui 407
Inscriptiones veterum 546 earum collectores *ibid. seq.*
Insignia regum Rom. 161. seq.
Institutio filiorum apud Romanos 432
Intercedere, quid? 194
Interregnum 164
Interrex, *ibid.*

In-

Interula 513
Inuſtio litterarum in fronte, pœna ſeruilis 416. a Conſtantino abrogata 417
Ire in ſententiam alicuius 392
Italicum ius 308
Iudæa, prouincia Romana 325
Iudex quæſtionis 344
Iudices Romanorum 328 ſeqq. eorum magnus numerus 331. ſedebant 333 non erant perpetui *ibid.* ex diuerſis ordinibus lecti *ibid.* eorum ſententiæ in tabella ſcriptæ 334
Iudicia, publica 180. 329 extraordinaria 180. populi 180. 328. priuata 180. 328. 343. quinam de iudiciis Romanorum ſcripſerint 328. varia eorum genera 328. ſeq. locus 335
Iudicium centumuirale 336
Iuno 16. illius epitheta varia 17. ſeq. & cognomina 19. ſeq.
Iupiter 11. eius epitheta & cognomina 12. ſeqq. 15. ſeq.
Iurisdictio & imperium, quomodo differant? 330
Iurisprudentiæ Romanæ fata 452
Ius, aliud priuatum, aliud publicum 180. 306. honorarium 184. ciuile illuſtrauit Seruius Sulpicius 451
Ius ciuium Romanorum 295 illius varia genera 299 ſeqq.
Ius coloniarum 311
- *Italicum* 308
- *Latii* 306
- *municipiorum* 309
- *præfecturarum* 315
- *Quiritium* 305
- *trium liberorum* 315
Iusiurandum 150. conſulum 176. militum 244 iudicum 333
Iuſtitium 103

K.

Kalatores 100
Καταποντισμὸς, pœna apud Græcos vſitata 352

L.

Labarum 275
Lacerna, veſtis militaris 510
Lacinia, Iuno dicta 18. infima pars togæ 506
Læna, veſtimenti genus 509
Laniſta 489
Lararia 138. 155
Lares 45
Latiaris ſeu *Latialis*, Iupiter ſic dictus 15
Latii ius 305. 306
Latomiæ 353
Latum clauum accipere 390
Lauatio matris deum 130 cauſſæ ritus huius 131. ſeq.
Laudatio funebris 531
Laudatores 347

Lecticuli lucubratorii 448
Lectisternium 102. ad præcipua festa sollemnia pertinet 104
Legati consulares 226. 258
- - *ducum* seu *præsidum* 257. eorum munus *ibid. seq.*
- - *legionis* 228
- - *prætorii* 258
Legatus principis 327
Leges Romanorum 354. generatim *ibid.* distinctio inter illas 357. ratio earum ferendarum *ibid. seq.* locus, quo latæ sunt 358 historia legum 363. seqq. catalogus eorum, quæ ab *auctore* nomen habent 365. seq. quæ in pandectis memorantur 367 quæ a *materia* denominantur *ibid. seq.*
Leges, victo populo præscriptæ 319
Leges decemuirales 178. seq. 364
Leges Valeriæ 167
Legio 247. eius diuisio 249 cognomina *ibid.* eiusdem diuisio respectu armorum & ætatum 251. seqq.
Lemuralia 138
Lemures 45
Lex, vocabulum amplæ significationis 354
Lex theatralis, pro equitibus 401
Libellenses 234
Liber pater 46
Liberalia 120
Liberi, legitimi 591. illegitimi *ibid.* horum quatuor genera *ibid.*
Liberi homines, eorum status 406. seqq.
Libertatis ius apud ciues Romanos 300
Liberti 407
Libertini 409
Libitinarii 528
Libra 555. seq.
Libri veterum 446. eorum vsus 447
Libri Sibyllini 69
Liburnæ naues 285
Lictor consularis 177
Lictores, eorum officium 163
Litatio 146
Litteræ, fronti fugitiuorum inustæ 416
Lituus 276
Liuius Andronicus, primus fabulam Romæ docuit 422
Locus iudiciorum apud Romanos 335. comitiorum 381
Lorica 271. plumata 272
Lucaria 138
Luci, cultui numinum consecrati 152
Lucina, Iuno dicta 18. item Diana 35
Lucta 474
Lucubratio matutina 126

Landesbibliothek Oldenburg

Ludi 463. seqq. publici & priuati 109. 465. placando numini facti 109. eorum causſa 463. seq. diuersitas 464-499. circenses 465. scenici 475. gladiatorii 487. funebres 540
Ludi seculares 135. auctores, qui de illis exposuerunt 136. seq.
Ludus Troiæ 475
Luna 45
Lupercal 83
Lupercalia 129
Luperci 82
Lustrationes 145
Lustrum conditum 202

M.

Machinæ bellicæ 276
Magister admissionum 237
- - *dispositionum* 235
- - *epistolarum* 234
- - *equitum* 212
- - *libellorum* 234
- - *memoriæ* ibid.
- - *populi* 208
- - *scriniorum* 233
- - *societatis* 205
Magistratus Romanor. 157 quinam de illis commentati sint 158. eorum quatuor iura 330. illis data est potestas comitia edicendi 376. *antiqui* 157 seqq. *noui* sub Cæsaribus 217. duo in prouincias missi 226. *posterioris ævi* 233
Magistratus prouinciarum 319
Magistratuum ac sacerdotiorum ius apud ciues Romanos 302
Magistri curiarum 213
- - *militum* 238
- - *officiorum* 236
Maia, vxor Vulcani 33
Manilia lex 355
Manipulus legionis 250
Manumissio, variis modis facta 408. seqq. per censum 408. per vindictam *ibid.* per testamentum 409. per epistolam 410. per amicos *ibid.* per conuiuia *ibid.*
Marius, græcarum litterarum expers 440
Mars 29. poetis dictus *Mavors* 30. item *Gradiuus ibid.* variis epithetis insignitus 30. seq.
Mater deum 130
Mathematum negligentes non erant Romani 454
Matralia 138
Matrimonium apud Romanos, triplici contrahebatur modo 586
Medicinæ status apud Romanos 456
Mensuræ 555. seq. liquidorum 556. aridorum *ibid.* interuallorum *ibid.*
Mercurius 40. Ἑρμῆς dictus *ibid.*

Me-

Pileus apud Romanos 520
eius forma 521
Pilum 270
Pinarii 100
Plautus 424
Plebeii 300
Plebeius ordo 404. eius iura 405. seq.
Plebiscitum 361. 406
Plebs & *populus*, quomodo differant? 404
Plinius iunior, mitis in servos 415
- - *maior*, præfectus classis 231. seq.
Plumæ 272
Pluto 45. seq.
Plutus deus 46
Pœnæ, octo earum genera 347
Pœnæ militum 242
Poetæ latini 422. seqq.
Πολιοῦχος, Minerua dicta 21
Pollicem premere 495. vertere *ibid.*
Pollinctores 529
Pollux 47
Πολυλογία in precibus, a Christo reprehensa 142
Pompeius, perpetuum theatrum Romæ exstruxit 479
Pondera veterum Romanorum 557
Pondo 556
Pontes, eorum varia in bello genera 278
Pontifex maximus 60. eius officia ac munera 61. iura & priuilegia 62. honorem hunc imperatores augusti sibi vindicarunt 63. an potestate comitia habendi præditus fuerit? 377. seq.
Pontifices, eorum collegium 57. numerus illorum a Sulla auctus 57. seq. maiores & minores 58. & *sacerdotes* dicti *ibid.* eorum cura & inspectio 59
Popæ, quinam? 59
Populifugia 138
Populiscitum 361. 362
Populus Romanus, varie distributus fuit 369. pars eius fuit *plebs* 404
Portoria 320
Postscenium 480
Postulationes 144
Postulatitii gladiatores 493 494
Postuliones 144
Potitii 100
Præceptores apud Romanos 433
Præciæ & *Præclamitatores* 100
Præcipitatio de saxo Tarpeio 350. de robore 352
Præcones 215
Præfecturæ, oppida 315
earum ius *ibid.*
Præfectus ærario 222
- - *annonæ* 213

Præfectas classis vtriusque 231
- - *prætorio* 218. 235
eius potestas 219. vicarii 26
- - *vrbi* 213. 220
eius munus 220
Præfectura ærarii militaris 221
Præficæ 100. 532
Præmia militiæ Romanæ 286
gladiatorum 497
Prænomen 574. 575. seq.
Præpositus cubiculi 238
Præs, sponsor 341
Prætexta puerilis 507
Prætor peregrinus 181. 330
vrbanus 183. 330.
Prætor edicit, vox in iure frequens 368
Prætor maximus, dictator dictus 209
Prætores 179. 330. quas ob causas instituti 179. eorum iurisdictio 180. seq. adsessores 181. 331. munus reliquum 182. seq. edicta atque insignia 184 late dicti, exercituum rectores 185. 253
Prætoria cohors 185. 253
- - *nauis* 286
Prætorium 185
Precationes 143
Preces, pars cultus deorum 141. *communes* ibid. *sollemnes* ac publicæ 143
Priapus 52
Primicerii, varia eorum genera 238
Primipilus, primus centurio 262
Principes milites 247. 252
Principum consecratio 540 seq.
Priuilegia 356
Priuilegia ciuis Romani 299
Procurationes 144
Procuratores Cæsaris 229 327. in prouincias missi 229
Prodere, sollemne verbum in creandis interregibus 164
Prodictator 213
Professio censualis, in prouinciis vsitata 202
Proletarii 202. 305
Promagistri 205
Proprætores 185
Proscenium 480
Proserpina 46
Prouinciæ, vnde dictæ 318 ciuitate Romana donatæ 316. earum ius 318. leges 319. magistratus *ibid.* administratio 320 diuisio 321. ab imperatoribus imperio Rom. adiectæ 326
- - *cæsaris* 228. 327
- - *populi* 228
Prouincialium studia 457
Puerperium 591

Landesbibliothek Oldenburg

Pugilatio 474
Pugna equestris & pedestris 476
Pullati 503
Pulpitum 481
Puteal 97
Pyra 536

Q.

Quæstiones seruorum 345
Quæstiones perpetuæ 183 344. publicæ 184
Quæstores 196. triplicis generis 196. seq. *vrbani* 196 198. 199. *prouinciales* 196 199. *capitales* 196. nullam habebant iurisdictionem 198
Quæstores principis, siue *cæsaris* 230
Quæstura, primus honorum gradus 196
Quatuoruiri viarum reparandarum 225
Quindecimuiri sacrorum, eorum munus 69
Quinquatrus, s. *Quinquatria* 121. erant duplices *ibid.* maiores 122. minores 123
Quinqueuiri mensarii 214
- - *muris & turribus reficiendis* 214
- - *vigilum* *ibid.*
Quirinus, ad deos indigetes pertinet 52
Quiritium ius 305. differentia a iure Latii *ibid.*

R.

Ῥαβδοῦχοι, lictores 163
Rationales 230
Recitationes apud Romanos vsitatæ 454. mos saluberrimus 455
Reges Romani 157. eorum nomina 159. creatio 160 potestas *ibid.* insignia 161 vrbe pulsi 162. nomen Romanis exosum 165 leges illorum 363
Relegatio, ab *exsilio* distinguenda 349
Resecrationes 145
Respublica Romana, scriptores de forma eius 157. seq.
Retiarii 493
Reus, plures defensores adhibere poterat 338. laudatores quærebat 347. habitu squalido adparebat 348. seqq.
Rex sacrificulus 87. 163 eius vxor *regina* dicta 88 domus etiam regia *ibid.*
Rhetores latini, vrbe pulsi 428. seq.
Ricinium, vestimentum muliebre in luctu 518
Ritus sacri 140. cum moribundis ante & post conclamationem 526. post sepulturam 539
Robigalia 137
Robur, præcipitatio de illo 352. pars Tulliani 353

Landesbibliothek Oldenburg

Rogationes 356. ſæpe pro legibus ponuntur 362 ordo in illis adhibitus 391
Roma, eius dies natalis 127 *vrbs* ſimpliciter dicta 309
Roma litterata 419. ſeqq. ludibunda 463. ſeqq.
Romani, cur Venerem ſancte coluerint? 42
Romulus 159. quomodo populum Romanum diuiſerit 369
Roſtra nauium 284
Rudis, præmium gladiatorum 497

S.

Sacellum 156
Sacerdos dei ſolis inuicti Mithræ 99
Sacerdotes, ius eos eligendi 55. duæ eorum claſſes 56 ſcriptores de illis 57. ſic & pontifices & augures dicti 58
Sacra Romanorum, auctores de illis commentati 1. ſeq.
Sacramentum, ſenſu chriſtiano 245
Sacramentum militare 244
Sacraria 155
Sacrificia, quomodo peracta 147. ſeq.
Sacrificulus rex 87
Sacrorum ius apud Romanos 303
Sacrum bonæ deæ 134
Sacrum nouendiale 106
Sagum, veſtimentum militare 516
Salii 78. quis primus eos inſtituerit, incertum 80 a ſaltatu dicti 81. an Paullus *Rom. XIII*, 12. ad eorum ſollemnia reſpexerit? 81
Saltus 474
Sambucæ, ſcalarum genus 277
Sanauiuaria 497
Sancus, quis? 50
Saturnalia 116. quot abſoluta diebus? 118
Saturnus 44
Scabella, ſ. *Scabilla*, quid fuerint? 524
Scalæ murales 277
Scena 480
Sceptrum eburneum, inſigne regium 161
Scholæ veterum Romanorum 435. priuatæ *ibid.* publicæ *ibid.*
Scorpiones, tormentum militare 279
Scriba naualis 214
Scribæ *ibid.*
Scribæ pontificum 100
Scrinia cæſarum quatuor 233
Scutum 266
Seceſſio plebeiorum ad montem ſacrum 405
Seceſſus Romanorum in villas 445

Seculares ludi 135. seq.
Securis, supplicii instrum 351
Secures, cur de fascibus sublati 169
Sedere in quatuordecim 402
Selecti dii, quinam? 5. eorum festi dies 137
Sella curulis regum 161
Semidei 5
Semones 50
Senacula 395
Senatores, centum a Romulo creati 158. 160. seq. 386. deinde aucti 387 ratio in illis legendis 389
Senatores pedarii 393
Senatorius ordo 385
Senatus 386. legitimus 375 indictus *ibid.*
Senatus auctoritas 393
Senatusconsultum 358. duplex modus id faciendi 359. vim legis non habuit 393
Sententiæ iudicum, in tabella scriptæ 334
Sententias dicere 390
Septa campi Martii 382
Septemuiri epulonum 76
Sepulcra veterum Romanorum 537. vtplurimum ad vias erant 538
Sepultura 536. ritus eam subsequentes 539
Serui, vnde dicti 412. eorum varia conditio *ibid.* distinctio in *vrbanos* & *rusticanos* 413. officia *ibid.* *litterati* per iocum dicti 417. in summa necessitate milites lecti 243. eorum manumissio 407. seq.
Seruitus ciuium 350
Seruius Sulpicius, iuris consultissimus 451
Seruius Tullius 159. populum Romanum varie distribuit 369. 373
Sestertium 551
Sestertius 551. computandi ratio 573
Seuiri Augustales 98
Sexus in diuinis numinibus 16
Sibyllini libri, quinam? 69 71. ad eos prouocarunt Christiani 73
Sigillaria 119
Signa militaria 273. seqq.
Silicernium 137
Siluanus 53
Societas, eius ineundæ triplex ratio apud Romanos 295
Sociorum militia 264
Sodales Titii 98
Sol, deus 45. inprimis a Persis cultus *ibid.*
Solidus, moneta 552. eius valor 553
Solitaurilia 112
Specularia, fenestræ 604
Sponsa apud Romanos 587 seq.
Sponsalia apud Romanos 584. seq.

Squamæ 272
Stadium 556
Stator, cognomen Iouis 13
Statores 216
Status hominum diuersus apud Romanos 406
Stili cæci 277
Stili exercitatio apud Romanos 453
Stipendium militare 242
Stola, vestis muliebris 518
Strangulatio 351
Στρατηγὸς 241
Studia Romanorum ante Sullam 419. post Sullana tempora 431. modus ea discendi 453. prouincialium 457
Subarmale 520
Subucula 513
Succenturiones 263
Suffragatores, consules suffecti dicti 173
Suffragia ferre in comitiis 390
Suffragiorum ius apud ciues Romanos 300. 302 distributionis populi vsus in illis 370
Suouetaurilia 112
Supellex veterum Romanorum 607
Supplicationes 107. 146. *tristes* & *lætæ* 107. triplicis erant generis *ibid. vniuersales* & *particulares* 108. per plures dies protractæ 109
Supplicia capitalia, varia eorum genera 350. seqq.
Suspendium 350
Synthesis, vestis senatoria 509
Syria, prouincia Romana 325

T.

Tabellæ 345. tres in sententiis ferendis 334
Talasius, deus Hymenæus 589
Tablinum 601
Talentum 558
Talionis pœna 348
Tarpeia rupes 350
Tarquinius Priscus 159. ex plebeiis centum ad patricios retulit 386
Tarquinius Superbus 159
Tecta domus 604
Τελῶναι 205
Templa, eorum forma 153 inauguratio *ibid.* dedicatio *ibid.* numerus Romæ 154. tres partes *ibid. curiæ* nonnumquam dictæ 397
Templum Iani, Romæ conditum 43. raro clausum 43. seq.
Terebra, arietis genus 279
Terentius 424
Terminalia 129
Terminus deus 53. veneratio 129
Testamenti ius apud ciues Romanos 301

Landesbibliothek Oldenburg

Testudo, machina bellica 283
Theatrum, eius forma ac partes 478. 480
Thorax 272. 520
Threces, gladiatorum genus 493
Thus, ad sacrificia adhibitum 143
Tibialia 522
Tirones, noui milites 252
Tituli magistratuum posterioris æui 237. 239
Toga 499. eius vera forma 500. vsus 501. materia 502. color *ibid.* differentia 504
Toga purpurea, insigne regium 161
Toga virilis 504
Togati 499
Tollenon, instrumentum bellicum 282
Tonans, epitheton Iouis 12
Trabea, togæ genus 507
Tragœdiæ 475. a comœdiis distinctæ 485
Transuectio annua equitum 403
Triarii 247. 253
Tribuni ærarii 195
- - *castrorum* 260
- - *cohortium* *ibid.*
- - *militum* 258. discrimen inter *laticlauios* & *angusticlauios* 260. ornamenta 261
- - *militum consulari potestate*, 178. 261
Tribuni plebis 189. 405. eorum origo 189. numerus 190. creatio 191. potestas amplissima 190. 192 *magistratus* proprie non fuerunt 193
Tribunicia potestas, a cæsaribus adsumta 194
Tribunus celerum 164
Tribus, in certas agrum Romanorum descripsit Seruius 371. 373. seq. vrbanæ & rusticæ 372. 375
Tributarii 320
Tributa comitia 379
Tributorum & vectigalium ius apud Romanos 302
Triclinium 580. 602. 603
Triptolemus, ei frugum satio adsignata 28
Tripudium solistimum 66
Tripus, Apollini adsignatus 37
Trium liberorum ius 315
Triumphus 288. eius pompa 289. auctores de illo agentes 291. in monte Albano 293
Triumuiri agrarii 212
- - *locorum publicorum reficiendorum* 212
- - *mensarii* *ibid.*
- - *monetales* *ibid.*
- - *nocturni* 211
- - *sacri* 100
Tuba 275
Tullianum, locus carceris 353

Landesbibliothek Oldenburg

Tullus Hostilius, rex Rom. 159
Tunica 513. interior & exterior *ibid.*
Tunica angusticlauia, insigne equitum 400. 514. *laticlauia*, senatorum 390 514
Tunica molesta 352
Turmæ equitum 250. seq.
Turres, machinæ bellicæ 278
Turris rotata 282

V.

V. R. (i. e. *Vti rogas*) in legum suffragiis 359
Valeriæ leges 167. ad eas prouocat Paullus 168
Valerius Publicola pauper 388
Vas in iudiciis (*vades*) 341
Vectigales 320
Vectigalia, a censoribus locata 204
Velites 247. 251
Venationes 476. ludorum genus 486
Venus 41. eius cognomina *ibid. seq.*
Verbera, pœnæ genus 348
Ver sacrum 134. 149
Verrendi crinibus fana ritus 152
Vertumnus 52
Vespæ, s. *Vespillones* 101
Vesta 23. seqq. eius simulacrum 26. quare ei ignem perpetuum consecrauerint veteres? 92
Vestales virgines 89
Vestes veterum Romanorum 499. virorum in vrbe *ibid.* militares 515. mulierum 518
Veto, formula sollemnis trib. pleb. 190
Vexillum 274
Viarum curatores 213. 225
Vicomagistri 213
Victima fugiens 151
Victimæ albæ & nigræ 140 seqq.
Vincula, loco pœnæ adhibita 347. varii generis in custodia 356
Vindex 341
Vinalia 136
Vinea, machina bellica 283
Viocuri 213
Virgines Vestales, in eas imperium habebat pontifex maximus 60. quænam fuerint? 89. earum numerus *ibid.* electio & ætas 90. seq. munus 91 priuilegia ac iura 94. senior inter illas *maxima* vocata 95. exempla defossarum 95. seq.
Virtutes, pro numinibus habitæ 7. a Romanis diuino cultu adfectæ 53. earum feriæ 137
Visceratio 539
Vittæ, earum vsus in sacris 150

Landesbibliothek Oldenburg


Vncia 555. eius partes *ibid.*
Vocatio in ius 338
Volturnalia 138
Vota 148. publica & privata *ibid.* quinquennalia 149
Vrna 537
Vstrina, ſ. *Vſtrinum* 536
Vſucapionis ius apud ciues Romanos 301
Vtenſilia veterum Romanorum 607
Vulcanalia 126
Vulcanus 32. claudicaſſe traditur 33
Vxores militum 243

Z.

Ζεὺς ὀρθώσιος 13
Zona, cingulum 524

ERRATA.

p. 42. lin. 4. *nomen* leg. *numen*. p. 351. lin. 17. & robore, leg. *de* robore. p. 540. g) lin. 4. leg. Io. *Burc.* Menckenius.


Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg